



VARIA DOCTORUM
PIORVMQVE VIRORVM
DE
CORRUPTO
ECCLESIAE STATU
POËMATA.

ANTE NOSTRAM AETATEM
CONSCRIPTA, EX QUIBUS MULTA
HISTORIAE QUOQUE UTILITER
AC SUMMA CUM VOLUPTATE
COGNOSCI POSSUNT CUM
PRAEFATIONE

MATHIAE FLACII ILLYRICI

OLIM EDITA
NUNC ALTERA VICE
OB INSIGNEM LIBELLI RARITATEM
PUBLICAE LUCI EXPOSITA.




Anno M. DCCLIV.

PRÆFATIO EDITORIS.
LECTORI BENEVOLO SALUTEM.



Quod veteribus olim in proverbium abierat.
Vino vendibili non opus esse suspensa hedera,

idem & de libello, quem denuo hic in lucem publicam protractam vides, qui judicaverit ex vero plane judicasse quilibet justus aequusque rerum arbiter mecum pronuntiaverit. Neque profecto eo tendit haec Praefatio nostra, ut viris eruditis iisque quibus verum scriptis praestantissimorum virorum statuere pretium datum est, hunc Flacii foetum ulla commendatione nostra probaremus. Adeo quaqua patet literarius orbis inclaruit nomen, adeo increbuit scriptorum meritorumque in ecclesiam Protestantium fama Illyrici, ut isto elegantissimo supersedere posse labore, nobis quidem videamur. * *Ne itaque*

* Quam vere haec de Flacio praedicentur, vel solo celeberrimi ecclesiae nostrae Doctoris Christ. Aug. Heumanni comprobabimus Testimonio. Ita autem ille in Conspect. reip. literariae C IV. §. 53. p. 144. Flacium fuisse Theologum Lutheranorum superioris seculi omnium facile eruditissimum, judicat Mollerus in Homonymoscopia p. 61. Ac sane via cujusquam ampliora extant in Theologiam merita. Intelligens enim, ut ipse confite-

itaque phalerata operis praeconio, ne prolixas ejus in Auctorem hic exspectes panegyricos benevole Lector. Habeant id sibi obscurorum nominum opellae, tineis blattisque sacratae. Praeclarorum virorum partus, omnibus, quibus

de meliore luto finxit praecordia Titan,
sese ipsos commendent.

Quaecunque praemonenda esse rati sumus in solis instituti nostri rationibus explicandis, posita sunt. Quidquid enim vel ad pleniorem Auctoris notitiam, vel ad ipsius operis argumentum & oeconomiam pertinet, id omne jam ab aliis satis quod ajunt, superque est expositum. Vitam celeberrimi Viri praeter alios satis amplum dedere enarratam Petrus Baylius, & Joh. Balthasar Ritterus. Ille in Dictionario Historico-critico,

fitetur in Dedicatione Catalogi test. ver. tria potissimum opera ecclesiae esse necessaria Commentarium in S. Scripturam, Philologiam Sacram, ac Historiam ecclesiasticam, ipse tantis operibus manum admovit perfecitque non solum Commentarium in N. T. & Clavem scripturae, sed etiam incomparabile illud opus Historiae ecclesiastcae, cui ejus Catalogus testium veritatis pro insigni appendice meretur adjungi. Quae intuentes fateri cogimur Flacium, si unum ejus exceperis peccatum, quod in doctrina de peccato originali peccavit, unum omnium amplissime de Theologia sacrisque literis promeritum esse, nemini uni eorum qui post Lutherum scribendis literis Ecclesiae profuerunt, postferendum.

sub Tit. Illyricus, hic vero peculiari in libro, de vita Flacii Illyrici vernaculo idiomate conscripto. De argumento libri ipsa, quae scitu sunt necessaria, praefatus est Auctor. Quamobrem ne actum velle agere videamur, ea quidem hac vice repetitu superflua existimavimus.

Aliter de instituti nostri rationibus statuendum esse duximus. Cum enim in publico apparere libellum huncce jusserimus, aequissimum sane est, ut quae nos ad suscipiendum ipsum laborem permoverint, eidem etiam innotescant. Varii autem ea sunt generis. Quaedam editorem saltim, quaedam ipsum opus attinent.

Et ut meam quidem sententiam primo expediam loco, is mihi semper sedit animus, statius fore, si in tanta, quae quotidie protruduntur, quibusque quodam quasi diluvio inundatur orbis literarius, scriptorum copia, praestantissimorum virorum quibus superioribus seculis vivere contigit, antiquiora, utiliora, rarioraque monumenta typographorum nostrorum prela exercerent, eaque tot mediocribus, ne quid durius eloquar, mediocrium ingeniorum foetibus, tot futilibus perversorum hominum voluminibus substituerentur. Magnos utique & nostra aetas tulit viros, quibus eximia prorsus accepta refert respublica literatorum. Sed qui maximam eos constituere scripturientium partem arbitraretur nae is oppido falli censendus esset. Potior enim est numerus, qui vel recoctam centies crambem apponunt, vel & lectoribus impressa propinant, quae satius non raro aeternis supprimerentur tenebris. Quam vero praestaret, nisi nova in lucem proferendi vires adessent, antiqua illa, oblivione pene sepulta, saporis tamen eruditionis masculaeque doctrinae plena in scenam redu-

reducere, & nonnisi optima quaevis literarum cultoribus venum ponere. Quae cum ita sint, cum ad manus non profuerint, quibus optimarum promoveri potuerint augmenta literarum, quae ante nostra tempora prodiere, cimelia pervestigare, & ex eorundem copia libellum hunc iteratis typis destinandum seligere maluimus, quam ea publico dare, quibus tam egregie careret, quam quo maxime. Neque optionem nostram culpatum iri veremur, cum eum esse viri clarissimi judicaverint, qui eruditorum hominum manibus teri dignus habeatur.

Quod si enim, quem doctissimus Flacius edidit Testium veritatis Catalogum, summis encomiis susceperit Protestantium chorus, non minori sane approbatione & haec poëmata exceptum iri confidimus.

Sive enim argumentum utriusque operis, sive laborem utrique impensum spectaveris, pari fere passu utrumque ambulat. Idem utrinque argumentum tractatur. Testimonia veritatis medio in Papa tu olim prolata utrinque collecta videas. Eo solum discrimine, ut in altero ea maxime, quae prosaico olim exarata fuerunt scribendi genere, in altero quae metrice prodierunt, exhibeantur. Quae enim posterioris generis in opere Flacii majori inveniuntur, nonnisi excerpta quaedam fragmenta, vel post exectam messem sunt spicilegia. Ita ut haec poëmata insignem aliquem laudatissimi illius operis appendicem jure meritoque dixeris.

Idem vero & utrinque adhibitus labor. Non enim hic prout & in catalogo, cerebri Flaciani figmenta exponuntur, sed ex reconditis bibliothecarum complurium latebris indefesso studio & incredibili opera congesta antiquitatis monumenta, quibus, quid multos ante Eccle-

siae reformationem annos de coetu Romano senserint graves cordatique Viri orbi patefactum est universo. Quidni igitur & huic opellae eundem bonorum applausum augurari licuerit? At enim vero non argumentum solum, quod hic pertractatum inuenies, non opera solum in id impensa talia sunt, quae ipsi libello favorem bonorum eruditorumque conciliare & possint & debeant, sed & argumenti insignis utilitas quam maxime hic in censum vocanda. Norunt ecclesiae nostrae homines, quam proterve sanctissima nostra doctrina à Pontificiis novitatis arguatur, quam ad nauseam usque tritissimum illud ubi fuerit ecclesia nostra ante Lutherum, solidissime licet repulsi, togganire non desistant, quam mire sibi in hisce quisquiliis placeant, triumphumque ante victoriam, quin prostrati jam saepius canere consueverint, quum ex altera parte ecclesiae suae perpetuitatem, puritatem, veritatem, omnibus quibus pollent viribus jactitare, & ad astra quasi evehere allaborent. Quamquam vero dum nihil nisi antiquitatem crepant, nosque novitatis indesinenter insimulant, priscis illis Gibeonitarum legatis plane similes se gerant, ut scite comparationem istam instituit, Auctor libri de superstitionibus & ceremoniis in ecclesiam invectis in praefatione p. m. 9. cujus verba inferius dabimus. ** *Quanquam porro tela ejusmodi telis*

** Ita autem : Enfin je donne un racourci de l'Histoire de l'Eglise, & je fais voir, quels ont éte depuis plus de 800. ans les fidelles Temoins de la verité : Afin de fermer la bouche à ceux qui nous demandent, Ou étoit votre Religion avant Calvin ? Ces Messieurs, semblables à Gabaonites, vetus des

telis possint retundi, & actu retusa sint, utilissimam tamen & illi posuere operam, qui testes veritatis ex ipsis Papatus tenebris prodire jussis, & allatis eorum documentis evicerunt, non sub Reformationis demum tempore fuisse, qui corruptionibus & depravationibus, quas à Pontificibus romanis passa est Christiana Religio, contradixerunt, sed multo etiam ante extitisse viros & auctoritate & ingenuitate venerabiles, qui idem profiteri, eandemque querelam praecinere nulli dubitaverint. His ipsis enim historicis atque ad hominem maxime argumentis, non nudis saltem phantasmatibus & sophismatis nostra ex parte pugnari, sed ipsis rerum exemplis asserta demonstrari luce clarius exposuerunt, insimulque solidissime evictum dederunt, ut magni Joh. Gerhardi verbis utamur, nec superioribus illis seculis Deo ecclesiam, nec ecclesiae veritatem, nec veritati confessores unquam defuisse. Quorum in numerum cum praeter laudati nostri Gerhardi Confessionem Catholicam & Flacii Catalogum testium veritatis haec etiam ab

---

des haillous de leurs superstitieuses Ceremonies, & de leurs mauvaises doctrines nous voudroient persuader, qu ils viennent de loin. Mais nous qui avons consulté Dieu, nous connoissons, d'ou ils sont partis, & qu'ils ne sont rien moins que cequ'ils disent étre. C'est pourquoi, si nous traitons avec eux, ce sera comme fit le peuple de Dieu avec ceux, qui étoient hors de l'Alliance. Ils couperont leurs ongles & leurs cheveux, c'ést à dire, qu'ils otéront le superflu. & tout cequi defigure la beauté & la pureté de la religion.

ab illo edita poëmata praecipuo jure referuntur, nemo quid speramus susceptae inutilis operae nos facile accusabit.

Nescio vero, nunc majorem opusculi utilitatem, quam raritatem depraedicare oporteat. Tanta ea certe hactenus fuerat, ut in is instructissimis eruditorum bibliothecis non solum frustra saepius illud quaesiveris, sed & ingenti literatorum numero ne visus unquam fuerit. Quod ipsum & diligentissimo Illyrici Biographo laudato Rittero accidisse vel ex eo patet, quod cum Catalogum ille Flacianorum scriptorum exactissimum pertexuisset, haec ejus poëmata annotata quidem videas, sed absque anni observatione, quo illa edita fuere.


Quo factum, ut cum inter rarissimos fuerit referendus libellus, magno ille plerumque pretio eoque, quod paucissimis conveniebat, comparandus esset. Adeo ut si unquam de opusculo aliqua, de hoc certe Latinorum illud

quod rarum carum

praecipue valuerit.

Quae cum ita sint, rem omnino eruditis ecclesiae nostrae non ingratum facturos esse speravimus, si librum hunc eruditissimi olim Viri & praestantissimum & rarissimum, eoque ipso nomine impenso huc usque pretio redemtum typis recudendum curaremus, ejusque facile omnibus comparandi copiam faceremus. Quod si ea vero nobis persuaserimus, si exspectationi nostrae contigerit eventus, si benevolos fautores, si promtos inuenerimus emtores, incitamento id forsan nobis erit, plura ejusmodi rariora doctorum virorum monumenta in posterum luci commodisque publicis dandi. Ita vale Benevole Lector, & conatibus nostris faue.

Illu-



Illustriss. & Pientiss. Principi ac Domino,
D. JOANNI ALBERTO,
Duci Megapolensi, &c. suo domino clementiss. Salutem à Domino JESU, unico omnium piorum servatore, Amen.

MAGNUM, Princeps Illustrissime, aliquot jam seculis studium quibusdam hominibus fuit, conquirere ac conservare vel ossa, vel vestes, vel qualescunque demum reliquias, exuvias, aut res, quæ quoquo modo olim ad eos viros pertinuerunt, qui pietatis sanctitatisq; nomine celebres fuerunt. Hinc alibi aliud, vel os, vel vestimentum, vel etiam calceus, talis (ut putatur) cujuspiam viri, magno cum multitudinis applausu ostentatur, adoratur, & ingentibus donariis cumulatur & obruitur.

Utinam verò perinde magnum studium vel illis fuisset, vel nobis jam esset, veras spiritualesq; piorum reliquias, germanásq; eorum notas conquirere, conservare & imitari. Sunt autem veræ eorum, longéq; optimæ reliquiæ, sententiæ de religione, confessio veritatis, reprehensio ac deploratio errorum, insectatio vitiorum, & pia monita. Sunt enim non solum à meliori ipsorum parte, id est, ab animo profectæ, cujus sermo character est, ut proverbio dicitur:

tur; sed & ab ipso Spiritu S., in ipsorum corde gemente. Sic profectò & ipsis, & Deo rem longè gratiorem fecissemus, & nobis modis omnibus utiliorem. Nam & ipsi illi beati viri non ossa, aut vestes suas terræ putrediniq; debitas, ad posteritatem inutiliter conservari: sed talia sua scripta, pia monita ac dicta, toto pectore exoptaverunt. Antonius certè heremita, ut in ejus vita legitur, cùm diligentissimè præcepta de fide in Christum, deq; vitandis erroribus inculcaret: simul etiam persuadebat omnibus, ut sanctorum corpora non foris honorificè, ut jam tunc quidam pravo studio solebant, conservarent, sed in terra sepelirent: multiq; ejus voci ac piæ admonitioni paruerunt. Nos quoq; illis Sanctorum virorum sententiis de multis rebus, ac in primis veræ doctrinæ ac pietatis studio rectè admoneri, erudiriq; potuissemus: nec tam multa interiissent, quæ jam tanto desiderio exoptamus, ac flagitamus.

Ego sanè (ut quod verum est fatear) conatꝰ jam aliquandiu sum, talia monumenta bonorũ virorum colligere: & potissimum quidem eorum, qui suorum temporum vitia, abusus & errores reprehenderunt, insectati sunt, & deplorarunt, omnésq; ad fugienda ea, sequendámq; veriorem viam sunt cohortati. Sicut enim Arist. præclarè scriptum reliquit, Medicos non ideas, sed singulos homines curare, imò etiam non tam singulos homines, quàm singulos eorum morbos: sic ego optimos eos Ecclesiæ doctores, ac veluti curatores & medicos esse existimo, per suas conciones & scriptiones, ad

præ-

præsentia mala sananda, tollendáq;, quám commodissimè applicant: non qui de vetustis temporibus, aut hæreticis, de rebus non controversis, aut alioqui notis plæclarè ac subtiliter disputant. Quod hisce temporibus, plerísque etiam theologis, quo hominum odia effugiant, sinéq; invidia laudem parent, studio est.

Hoc igitur studio cum præditus essem, collegi non pauca, tum soluta oratione, tum versu conscripta, quæ partim jam olim edi curavi, superioréq; & hoc anno: partim adhuc apud me delitescunt, idoneum tempus, navigationémq; expectantia. Superiore quidem anno sunt edita complura ejus generis opuscula solutæ orationis, cum præfatione eruditiss. viri Wolfgangi Wissenburgii, Basileæ, titulo Antilogiæ: quæ undique non vulgari labore ac sumptu collecta, ac descripta, eò miseram. Jam verò varia diversorum piorum carmina in hoc volumine prodeunt, ex quibus mirè ardentem vividúmq; spiritum ac zelum illorum piorum virorum deprehendas.

Multos porrò fructus hinc lector percipere poterit, quorum aliquos ordine comemorabo. Primùm, possunt hinc varia historica de illis temporibus cognosci, quæ aliunde haud facilè haberi queant. Deinde, horum poematum lectione necessariò pia mens excitabitur ad studiũ retinendæ purioris religiònis, ad gratias Deo pro ea agendas, & invocandum eum, ut nobis suæ doctrinæ sinceritatem clementer conservare velit. Denique licebit hinc clarissimè percipere, semper fuisse septem piorum millia divini-

vinitùs præservata, ne genua Baali, ejúsque grassantibus per mundum erroribus incurvarent: quod in se & eruditionem & consolationem eximiam piis mentibus continet. Taceo jam, quod etiam ad moderandos mores, hæ vitiorum insectationes prodesse poterunt.

Tibi verò, Princeps illustriss. Scripta hæc ideo dedico, primùm quòd quædam ex tuæ regionis bibliothecis collecta sunt. Deinde, quòd singulari te sincerioris pietatis studio ac noticia præditum esse, cùm alia multa à te præclara facta indicant, tum etiam proximus in sopiendo Osiandrico dogmate perdifficilis fœlixq; conatus. Denique etiam, quòd tua multiplex in me benignitas, necessariò aliquam gratitudinis significationem à me exigit. Dominus JESUS te, unà cum dilectiss. conjuge, & omnibus tuis, incolumen conservet, & per rectam, sibique placentem viam ducat: Amen. Madeb. 1. Maij, anno Domini 1556.

T. C.

deditiss.

M. F. Illyricus.

QVE-



QVERELA ERVDITI ET PII HOMINIS, qua alloquitur Papam, oſtendens Prælaturas & bona Eccleſiaſtica teneri ab indoctis, avaris & ignavis ventribus: contemptis interim & eſurientibus iis, qui ſe doctrinæ ſtudiis dediderunt: petitque hoc malum à Papa emendari. Aſſignari tamen poſſunt hi rhythmi Gualtero Mapes, ſicut in Vita ipſius infra ſubjecta opuſculorum index oſtendit.

EX VETVSTO CODICE.



Anto viro locuturi,
Studeamus eſſe puri,
Sed & loqui ſobriè:
Carum carè venerari,
Et ut caro ſimus cari,
Careamus carie.
Decet enim, & hoc unum
Eſt in primis optimum,
Vt me ipſum judicem:
Homo vetus exuatur,
Atque novus induatur
Ante tantum judicem.

Commendarem mundi mores:
 Sed virtutis amatores
 Paucos esse doleo.
 Quod si pravos non defendam,
 Aut eos jam reprehendam,
 Bella mihi video.
Sed ô judex æquitatis,
 Propagator veritatis,
 Lenis aura sæculi:
 Esto mihi in asylum;
 Te rectore sumpsi stylum,
 Te duce signa tuli.
Sed quis sum qui ausim loqui.
 Coram Papa quis est qui
 Sano loquatur capite?
 Rodo pravos in aperto,
 Factus clamans in deserto:
 Rectas vias facite.
Quod desertum nisi mundus?
 Mundus quidem, sed immundus,
 Quia munda respuit.
 Sed desertum dici solet:
 Nam quòd fructum dare solet,
 Ecce prorsus aruit.
Debet mundus in prælatis
 Germinare largitatis,
 Et pudoris flosculos:
 Tali partu destitutum,
 Gramen affert non virtutum,
 Sed spinas & tribulos.
Qui sunt spinæ, tribulique?
 Qui pastores, prælatique?
 Amatores muneris.

Cum

Cum non pascant, sed pascantur,
Non à pasco derivantur,
Sed à pascor, pasceris.
Blandos amant, & bilingues,
Canes muti, tauri pingues,
Et Gigantes efferi:
Qui thesauros coacervant,
Non dispergunt, sed observant,
Vt pupillam oculi.
Omnis habens numeratur:
Non habenti supplantatur
Idipsum quod habuit.
In deserto mundi hujus
Nemo floret, nisi cujus
Bursa nondum vomuit.
Bursa prægnans principatur,
Sapiensque conculcatur,
Si manusære vacet.
Nam si pauper sit sophia,
Vilis erit, quare? quia
Pauper ubique jacet.
Pauper jacet: sed palpones,
Quorum blandi sunt sermones,
Et ipsi sunt iacula.
Isti sunt quos mundus amat,
Et de quibus Psalmus clamat,
Beati in macula.
In macula sunt beati,
Sed & non immaculati,
Teste conscientia:
Vivit leno more suis,
Quia in labiis suis
Diffusa est gratia.

Quid dant artes nisi luctum?
 Nam laborem, & non fructum
 Dat genus & species:
 Olim plures, nec est mirum,
 Provehebat Arma virum,
 Et Fraternas acies.
Nunc in ara sepelire
 Nummos magis est, quàm scire
 Bella per Aemathios.
 Opulenti solebant esse,
 Qui aptabant virgam Iesse
 Partui virgineo,
 Sive rubum visionis,
 Sive vellus Gedeonis,
 Sparsum rore niveo.
Super aquas rubri maris
 Designatur salutaris
 Lavacri lavatio.
 Licet hoc scit, quod lucrum fert,
 Quid hoc scire mihi confert,
 Si sciens esurio?
Solet Christus appellari
 Lapis cæsus de altari,
 Non manu, sed forcipe.
 Hoc est notum sapienti,
 Sed præbendam requirenti
 Nemo dicit, Accipe.
Scio crucem figurari,
 Quando legem dulcorari
 Legis apud Exodum:
 Manibusque cancellatis
 Iacob terræ libertatis
 Præfigurat commodum.

In Hebræa lege legis,
Quòd ſerpentem lator legis
Erexit in patibulo,
Vt ceſſaret mors & tabes.
Noſtras enim lavit labes
Chriſtus in patibulo.
Duo ligna Sareptanæ,
Spiritalis eſcam tene,
Coquunt in Eccleſia:
Abrahamque tulit ligna,
Per quæ dora dignè digna
Cremaretur hoſtia.
Fudit aquam ter Helias,
Pater ſanctus Iſaias
Trinitatem innuit.
Vidit Abram trinum chorum,
Ruth in agro Iudæorum
Trinitatem meſſuit.
Sic involvit rotam totam,
Sic deponit lepræ notam
Lex in ſuperficie.
Sic amictum parvipendit
Ioſeph, quando non attendit
Vocem fornicariæ.
Dumque per deſertum itur,
A gentili reperitur
Calens unda penitus.
Quia legis in deſerto
Reperitur à deſerto
Calor ſancti Spiritus.
Hæc ſcrutari quidam ſolent,
Pòſt afflicti fame dolent
Vacaſſe tali ſtudio.

Vnde multi perierunt,
Et labore defecerunt,
Scrutantes ſcrutinia.
Ergò quia tot oppreſſis
In ſtudendo patria meſſis
Redditur poſt aſpera:
Ad Romani ſedem Patris,
Et ad ſacro ſanctæ matris
Sum reverſus ubera.
Turpe tibi Papa bone,
Si divina lectione
Spreta, fiam laicus:
Vel abſolvar clericatu,
Vel fac ut in cleri ſtatu
Perſeverem clericus.
Dulcis erit mihi ſtatus,
Si ſim ego muneratus
Præbenda, vel alio.
Licet detur non abundè,
Saltem mihi detur unde
Studeam de proprio.

DIALOGISMI VERITATIS, ADULATORIS, Iuſticiæ. Primò alloquitur Veritas Iuſticiam, oſtendens nullum ei locum ſupereſſe in terris, poſteaquam tam Eccleſiaſticus quàm civilis ordo omni ſcelerum genere perturbetur, quibus potiſſ. cauſam det Adulatio.

HEu ſoror Aſtræa, cœleſti de Galilæa,
Huc cur veniſti, quæ cœlo tuta fuiſti?
Infectus morbis vitiorum jam perit orbis.
Omnis enim virtus vilet, ſterilis quaſi myrtus.
Iam nos nullus amat, nos contra quiſque reclamat.

Eſt noſter finis, pedibus calcamur Erynnis.
Sunt factæ fortes animarum deniq; mortes,
Tartarei proceres, rectores noctis, alumni
Nequitiæ, fabri ſcelerum, culpæque magiſtri,
Damna, doli, fraudes, periuria, furta, rapinæ,
Impetus, ira, furorq; odium, diſcordia, pugnæ,
Luxuries, livor, faſtus, infamia, nugæ,
Is ſcelerum turbo, vitiorum turba, malorum
Conventus, numeroſa lues, & publica peſtis,
Iam fortis factus, noſtros exterminat actus.
Heu pudeat noſtra terris decreta ſilere:
Quòd noſtri langueſcit amor, quòd fama te-
peſcens
Torpet, & à toto viles proſcribimur orbe.
His eſt ſubiectus populus, plebs, nobile pectus,
Præſul, prælatus, rex, dux, & Papa beatus:
Iam nos non noſcunt, nec noſtra iuvamina
poſcunt.
Heu pudeat, noſtri clauſerunt oſtia, noſtri
Dicere nil veri præſumunt, atque fateri.
Hi dictant iura, faciunt alijs ea dura:
Plus tamen à jure vergunt, quàm tu Nero dire.
Sub ſpecie veri, ſoliti ſunt falſa tueri.
Iſtis qui fatur verum, pedibus maculatur:
Iſtis qui loquitur verum, mox fuſte feritur.
Iſtis nemo loqui præſumit vera: ſed ô qui
His ſcit adulari, magis & fictè famulari,
Hinc magis eſt gratus, quàm ſi ſit morigeratus.
Regnat adulator penes hos, & falſus amator:
Dulcius his fando, ſed dulcius infatuando.
Vngit, cantillat, cor & aures palpo titillat.
Quicquid agit, laudat ſimulator, eû ſibi fraudat.
Non ſibi ſe noſſe mittit, nec noſcere poſſe.

tur; sed & ab ipso Spiritu S., in ipsorum corde gemente. Sic profectò & ipsis, & Deo rem longè gratiorem fecissemus, & nobis modis omnibus utiliorem. Nam & ipsi illi beati viri non ossa, aut vestes suas terræ putrediniq; debitas, ad posteritatem inutiliter conservari: sed talia sua scripta, pia monita ac dicta, toto pectore exoptaverunt. Antonius certè heremita, ut in ejus vita legitur, cùm diligentissimè præcepta de fide in Christum, deq; vitandis erroribus inculcaret: simul etiam persuadebat omnibus, ut sanctorum corpora non foris honorificè, ut jam tunc quidam pravo studio solebant, conservarent, sed in terra sepelirent: multiq; ejus voci ac piæ admonitioni paruerunt. Nos quoq; illis Sanctorum virorum sententiis de multis rebus, ac in primis veræ doctrinæ ac pietatis studio rectè admoneri, erudiriq; potuissemus: nec tam multa interiissent, quæ jam tanto desiderio exoptamus, ac flagitamus.

Ego sanè (ut quod verum est fatear) conatꝰ jam aliquandiu sum, talia monumenta bonorũ virorum colligere: & potissimum quidem eorum, qui suorum temporum vitia, abusus & errores reprehenderunt, insectati sunt, & deplorarunt, omnésq; ad fugienda ea, sequendámq; veriorem viam sunt cohortati. Sicut enim Aristot. præclarè scriptum reliquit, Medicos non ideas, sed singulos homines curare, imò etiam non tam singulos homines, quàm singulos eorum morbos: sic ego optimos eos Ecclesiæ doctores, ac veluti curatores & medicos esse existimo, per suas conciones & scriptiones, ad

præ-

præsentia mala sananda, tollendáq;, quám commodissimè applicant: non qui de vetustis temporibus, aut hæreticis, de rebus non controversis, aut alioqui notis plæclarè ac subtiliter disputant. Quod hisce temporibus, plerisque etiam theologis, quo hominum odia effugiant, sinéq; invidia laudem parent, studio est.

Hoc igitur studio cum præditus essem, collegi non pauca, tum soluta oratione, tum versu conscripta, quæ partim jam olim edi curavi, superioréq; & hoc anno: partim adhuc apud me delitescunt, idoneum tempus, navigationémq; expectantia. Superiore quidem anno sunt edita complura ejus generis opuscula solutæ orationis, cum præfatione eruditiss. viri Wolfgangi Wissenburgii, Basileæ, titulo Antilogiæ: quæ undique non vulgari labore ac sumptu collecta, ac descripta, eò miseram. Jam verò varia diversorum piorum carmina in hoc volumine prodeunt, ex quibus mirè ardentem vividúmq; spiritum ac zelum illorum piorum virorum deprehendas.

Multos porrò fructus hinc lector percipere poterit, quorum aliquos ordine comemorabo. Primùm, possunt hinc varia historica de illis temporibus cognosci, quæ aliunde haud facilè haberi queant. Deinde, horum poematum lectione necessariò pia mens excitabitur ad studiũ retinendæ purioris religionis, ad gratias Deo pro ea agendas, & invocandum eum, ut nobis suæ doctrinæ sinceritatem clementer conservare velit. Denique licebit hinc clarissimè percipere, semper fuisse septem piorum millia divini-

vinitùs præſervata, ne genua Baali, ejúſque graſſantibus per mundum erroribus incurvarent: quod in ſe & eruditionem & conſolationem eximiam piis mentibus continet. Taceo jam, quod etiam ad moderandos mores, hæ vitiorum inſectationes prodeſſe poterunt.

Tibi verò, Princeps illuſtriſs. Scripta hæc ideo dedico, primùm quòd quædam ex tuæ regionis bibliothecis collecta ſunt. Deinde, quòd ſingulari te ſincerioris pietatis ſtudio ac noticia præditum eſſe, cùm alia multa à te præclara facta indicant, tum etiam proximus in ſopiendo Oſiandrico dogmate perdifficilis fœlixq; conatus. Denique etiam, quòd tua multiplex in me benignitas, neceſſariò aliquam gratitudinis ſignificationem à me exigit. Dominus JESUS te, unà cum dilectiſs. conjuge, & omnibus tuis, incolumen conſervet, & per rectam, ſibique placentem viam ducat: Amen. Madeb. 1. Maij, anno Domini 1556.

T. C.

deditiſſ.

M. F. Illyricus.

QVE-



QVERELA ERVDITI ET PII HOMINIS, qua alloquitur Papam, oftendens Prælaturas & bona Ecclefiaftica teneri ab indoctis, avaris & ignavis ventribus: contemptis interim & efurientibus iis, qui fe doctrinæ ftudiis dediderunt: petitque hoc malum à Papa emendari. Affignari tamen poffunt hi rhythmi Gualtero Mapes, ficut in Vita ipfius infra fubjecta opufculorum index oftendit.

EX VETVSTO CODICE.



Anto viro locuturi,
Studeamus effe puri,
Sed & loqui fobriè:
Carum carè venerari,
Et ut caro fimus cari,
Careamus carie.
Decet enim, & hoc unum
Eft in primis optimum,
Vt me ipfum judicem:
Homo vetus exuatur,
Atque novus induatur
Ante tantum judicem.

a Com-

Commendarem mundi mores :
Sed virtutis amatores
Paucos esse doleo.
Quod si pravos non defendam,
Aut eos jam reprehendam,
Bella mihi video.
Sed ô judex æquitatis,
Propagator veritatis,
Lenis aura sæculi :
Esto mihi in asylum,
Te rectore sumpsi stylum,
Te duce signa tuli.
Sed quis sum qui ausim loqui,
Coram Papa quis est qui
Sano loquatur capite ?
Rodo pravos in aperto,
Factus clamans in deserto :
Rectas vias facite.
Quod desertum nisi mundus?
Mundus quidem, sed immundus,
Quia munda respuit.
Sed desertum dici solet ;
Nam quòd fructum dare solet,
Ecce prorsus aruit.
Debet mundus in prælatis
Germinare largitatis,
Et pudoris flosculos :
Tali partu destitutum,
Gramen affert non virtutum,
Sed spinas & tribulos.
Qui sunt spinæ, tribulique ?
Qui pastores, prælatique ?
Amatores muneris.

Cum

Cum non paſcant, ſed paſcantur,
Non à paſco derivantur,
Sed à paſcor, paſceris.
Blandos amant, & bilingues,
Canes muti, tauri pingues,
Et Gigantes efferi:
Qui theſauros coacervant,
Non diſpergunt, ſed obſervant,
Vt pupillam oculi.
Omnis habens numeratur:
Non habenti ſupplantatur
Idipſum quod habuit.
In deſerto mundi hujus
Nemo floret, niſi cujus
Burſa nondum vomuit.
Burſa prægnans principatur,
Sapiensque conculcatur,
Si manus ære vacet.
Nam ſi pauper ſit ſophia,
Vilis erit, quare? quia
Pauper ubique jacet.
Pauper jacet: ſed palpones,
Quorum blandi ſunt ſermones,
Et ipſi ſunt iacula.
Iſti ſunt quos mundus amat,
Et de quibus Pſalmus clamat,
Beati in macula.
In macula ſunt beati,
Sed & non immaculati,
Teſte conſcientia:
Vivit leno more ſuis,
Quia in labiis ſuis
Diffuſa eſt gratia.

Quid dant artes nisi luctum?
Nam laborem, & non fructum
Dat genus & species:
Olim plures, nec est mirum,
Provehebat Arma virum,
Et Fraternas acies.
Nunc in ara sepelire
Nummos magis est, quàm scire
Bella per Aemathios.
Opulenti solebant esse,
Qui aptabant virgam Iesse
Partui virgineo,
Sive rubum visionis,
Sive vellus Gedeonis,
Sparsum rore niveo.
Super aquas rubri maris
Designatur salutaris
Lavacri lavatio.
Licet hoc scit, quod lucrum fert,
Quid hoc scire mihi confert,
Si sciens esurio?
Solet Christus appellari
Lapis cæsus de altari,
Non manu, sed forcipe.
Hoc est notum sapienti,
Sed præbendam requirenti
Nemo dicit, Accipe.
Scio crucem figurari,
Quando legem dulcorari
Legis apud Exodum:
Manibusque cancellatis
Iacob terræ libertatis
Præfigurat commodum.

In

In Hebræa lege legis,
Quòd ſerpentem lator legis
Erexit in patibulo,
Vt ceſſaret mors & tabes.
Noſtras enim lavit labes
Chriſtus in patibulo.
Duo ligna Sareptanæ,
Spiritalis eſcam tene,
Coquunt in Eccleſia:
Abrahamque tulit ligna,
Per quæ dora dignè digna
Cremaretur hoſtia.
Fudit aquam ter Helias,
Pater ſanctus Iſaias
Trinitatem innuit.
Vidit Abram trinum chorum,
Ruth in agro Iudæorum
Trinitatem meſſuit.
Sic involvit rotam totam,
Sic deponit lepræ notam
Lex in ſuperficie.
Sic amictum parvipendit
Ioſeph, quando non attendit
Vocem fornicariæ.
Dumque per deſertum itur,
A gentili reperitur
Calens unda penitus.
Quia legis in deſerto
Reperitur à deſerto
Calor ſancti Spiritus.
Hæc ſcrutari quidam ſolent,
Pòſt afflicti fame dolent
Vacaſſe tali ſtudio.

Vnde multi perierunt,
Et labore defecerunt,
Scrutantes ſcrutinia.
Ergò quia tot oppreſſis
In ſtudendo patria meſſis
Redditur poſt aſpera:
Ad Romani ſedem Patris,
Et ad ſacro ſanctæ matris
Sum reverſus ubera.
Turpe tibi Papa bone,
Si divina lectione
Spreta, fiam laicus:
Vel abſolvar clericatu,
Vel fac ut in cleri ſtatu
Perſeverem clericus.
Dulcis erit mihi ſtatus,
Si ſim ego muneratus
Præbenda, vel alio.
Licet detur non abundè,
Saltem mihi detur unde
Studeam de proprio.

DIALOGISMI VERITATIS, ADULATORIS, Iuſticiæ. Primò alloquitur Veritas Iuſticiam, oſtendens nullum ei locum ſupereſſe in terris, poſteaquam tam Eccleſiaſticus quàm civilis ordo omni ſcelerum genere perturbetur, quibus potiſſ. cauſam det Adulatio.

HEu ſoror Aſtræa, cœleſti de Galilæa,
Huc cur veniſti, quæ cœlo tuta fuiſti?
Infectus morbis vitiorum jam perit orbis.
Omnis enim virtus vilet, ſterilis quaſi myrtus.
Iam nos nullus amat, nos contra quiſque reclamat.

Eſt

Eſt noſter finis, pedibus calcamur Erynnis.
Sunt factæ fortes animarum deniq; mortes,
Tartarei proceres, rectores noctis, alumni
Nequitiæ, fabri ſcelerum, culpæque magiſtri,
Damna, doli, fraudes, periuria, furta, rapinæ,
Impetus, ira, furorq; odium, diſcordia, pugnæ,
Luxuries, livor, faſtus, infamia, nugæ,
Is ſcelerum turbo, vitiorum turba, malorum
Conventus, numeroſa lues, & publica peſtis,
Iam fortis factus, noſtros exterminat actus.
Heu pudeat noſtra terris decreta ſilere:
Quòd noſtri langueſcit amor, quòd fama tepeſcens
Torpet, & à toto viles proſcribimur orbe.
His eſt ſubiectus populus, plebs, nobile pectus,
Præſul, prælatus, rex, dux, & Papa beatus:
Iam nos non noſcunt, nec noſtra iuvamina poſcunt.
Heu pudeat, noſtri clauſerunt oſtia, noſtri
Dicere nil veri præſumunt, atque fateri.
Hi dictant iura, faciunt alijs ea dura:
Plus tamen à jure vergunt, quàm tu Nero dire.
Sub ſpecie veri, ſoliti ſunt falſa tueri.
Iſtis qui fatur verum, pedibus maculatur:
Iſtis qui loquitur verum, mox fuſte feritur.
Iſtis nemo loqui præſumit vera: ſed ô qui
His ſcit adulari, magis & fictè famulari,
Hinc magis eſt gratus, quàm ſi ſit morigeratus.
Regnat adulator penes hos, & falſus amator:
Dulcius his fando, ſed dulcius infatuando.
Vngit, cantillat, cor & aures palpo titillat.
Quicquid agit, laudat ſimulator, eũ ſibi fraudat.
Non ſibi ſe noſſe mittit, nec noſcere poſſe.

 Stulta,

Stulta,ſit inſana,mens per præconia vana :
Et faſtidit herum, qui vult nimis edere verum.
Si quid agit temerè , ſibi tunc bene fingit habere :
Dicit, dixiſſe bene, nec melius potuiſſe,
Tam bene,tam verè,quod debet quiſq; ſtupere
Quamvis ſit falſum,ſit ineptum,ſit malè falſum,
Si non palparit, ſi non maledicta probarit :
Si quid honeſtatis ſibi conſulit, aut probitatis ,
Mox expellit eum, vel dicit eum Phariſæum.
Decipit omne genus,falſoq; eſt nectare plenus.
Pro lucro modico, laudes profundit iniquo.
Sicut aves modulans, ſic ſtultum fallit adulans.
Eſt hodie ſummus regum proceſſus in aula ,
Peſtis adulandi Biblis ſtudioſa potentum ,
Auribus inſtillans animæ lethale venenum.
Huic aulæ vitio tanta eſt conceſſa poteſtas,
Vt rerum dominis humanas ſubtrahat aures.

Adulator confuſus à Veritate, reſpondet.

E contrà modulans Veritati dicit Adulans,
O vos germanæ, quæ fertis nomen inane ,
Quid tantum furitis?nihil eſtis,jam bene ſcitis.
Hoc bene iam noſtis, vobis eſt publicus hoſtis
Omnis mercator, Santrokerus, fenerator.
Hi per vos iurant, per vos ſua lucra maturant:
Ac his conſimiles, qui vos reddunt mihi viles.
Plus valet in ſomnis mea vis, me diligit omnis
Præſul,Prælatus, Rex, Dux,& Papa beatus.
Cuius & à tergo iam ſtas, ſis tutior ergo ,
Deſine vera loquis. ſcis,verum dicit homo qui,
Se facit exoſum magnis, magis atq; oneroſum.
Parce tuis verbis, ne convincaris acerbis.

Parens

Parens virtuti nescit bene regibus uti.
Si vis adulari, poteris citò ad alta vocari,
Incipe palpare dominos, & disce fricare,
Incipe fuscare, sua crimina disce probare:
Sic poteris verè Dominis, Regique placere.

Pergit Adulator.

Stultus & ingratus Mauritius inveteratus,
Quum se neglexit, qui tanto tempore rexit,
Nil tamen est fretus, est nescio quomodo lætus
Si mihi seruisset, applaudere si bene scisset,
Hunc jam ditassem, sibi Canonicumq; creassem.
Quamvis hic legeret artes, Logicæq; studeret,
Est erro vagus: auro sed flueret quasi Tagus,
Si sciret scurrare, & si sine fine rogare.
Nunc infrenitus, & garrulus, & parasitus,
Clericus erigitur, mox censibus & redimitur.
Plus palponista placet altercante sophista.

Respondet Veritas Adulatori.

Non est sincerum, pro trophis linquere verum:
Non hominis recti, vero de tramite flecti.
Est tua doctrina, video, mihi magna ruina.

Adulator cum magna comminatione repellit Veritatem, dicens:

Nunquam compare, nunquam mihi vera lo-
quare.
Ni iam discedas, faciam de te citò prædas.
Te pede calcabunt Furiæ, vel fortè necabunt.

Iustitiæ contra avaros & raptores querela.

PRo lucro avari paras
Sacerdotis jam tres aras,
Quavis in Ecclesia:
Et cum defuncto servitur,

Ad tres aras ſimul itur
Ferendo libamina.
Si quis nequit hoc explere,
Non permittitur iacere
Intra templi limina.
Non eſt hoc virtutis opus,
Sed cordis avari tropus,
Et falſa devotio.
Qui primùm hoc adinuenit,
Coruus eius rodat zenith
In Stygis palatio.
Eſt adhuc genus malignum
Hominum, quod non eſt dignum
Vt dicantur homines:
Hi ſunt pauperum mambrones,
Militelli & barones,
Inferni voragines.
Illis ſumus ita caræ,
Quòd non nolunt ibi ſtare,
Dum noſtri fit mentio.
Fides iſtis eſt ignota,
Sed rapina non remota,
Nec vi iuris ſublatio.
Hic non credit eſſe Deum,
Qui punire poſſet eum:
Nec vult ei credere.
Tantæ ſunt impietatis,
Nullus poſſet loqui ſatis
De ipſorum ſcelere.

Contra adulatores.

Nil plus numme de te dicam,
Sed invadam inimicam,
Quæ eſt Adulatio.

Quam

Quam mea ſoror attriuit,
Sed confuſe ab hac iuit,
Vt ego conijcio.
Nam receſſit vulnerata,
Pedum acceſſu fœdata,
Et fugata miserè.
Quæ ſub ſcamno ſe abſcondit,
Hæc verba mihi reſpondit,
Cum hanc cœpi quærere:
Quid ſic taces hîc ſub ſcamno?
Dixit, Non ſum ſine damno,
Ne fiat deterius.
En ſic meum opus ago,
Vt Romæ fecit imago,
Quam ſculpſit Vergilius:
Quæ manifeſtare ſuevit
Fures, ſed cæſa quievit,
Et os clauſit digito:
Nunquam ultra dixit verbum
De perditione rerum
Palàm, nec in abdito,
Sic eſt mihi iam concluſum
A palpilta os obtuſum,
Hic ſub ſcamno iaceo.

Hic Iuſticia invehitur contra omnes Veritati & Iuſtitiæ adverſantes, & eas penitus conculcantes.

Ego mater æquitatis
Pro te ſum turbata ſatis,
Soror mea Veritas.
Cum à Deo ſim creata
Tecum, & in mundum data,
Vt per noſtras ſemitas,
Evitando mundi peſtem,

Ad

Ad patrem noſtrum cœleſtem
Dirigantur populi.
Sed heu nil iam ſumus factæ,
Ambæ in riſum redactæ,
Sicut duo cuculi.
Poſt me nullus curat ire,
Nec à te verbum audire
Hominum peruerſitas.
Si quid quiſquam rectè patrat,
Quod ſit raró, huic oblatrat
Iuſtæ viæ cæcitas.
Quæ eramus immortales,
Vulgo ſumus iam æquales,
Factæ proh inſtabiles,
Factæ ſumus ut melota,
Et uelut fortunæ rota,
Mutæ & fallibiles.
Nec tu audes loqui verum,
Nec mihi fas & ſincerum
Ius dictare miſeris:
Quia ſi uerum loquaris,
Palmis, fuſte bacularis,
Niſi falſo ceſſeris.
Nihil ſunt virtutes cunctæ,
En jacent quaſi defunctæ:
Nullibi eſt charitas.
Metus & jam terga uertit,
Et fides ſub ſcamno ſtertit,
Superbit humilitas.
Nullus feruet charitate.
Rex, Præſul, nec tu Prælate,
Si ſunt, tunc at pauculi.

Omnes

Omnes poſt numum declinant:
 Toto niſu huc feſtinant,
 Vt ſint pleni loculi.
Ob hoc ego cum Legiſtis,
 Advocatis, & Iuriſtis
 * *
Indefeſsè litem gero,
 Cur pervertunt iura, quæro,
 Nummo dantes oſcula.
Quivis ſic mihi redicit,
 Sed quem nummus iam non vicit?
 Vel quis ſpernit munera?
Tantæ eſt virtutis munus,
 Quod Rex, Dux, Comes, tribunus
 Ob hoc agunt perperam.
Nummi virtus ſic excrevit,
 Quòd virtutes abolevit,
 Et promovit vitia.
Sic quis vilis, & nummoſus,
 Reputatur virtuoſus,
 O quanta dementia.
Et ſi nondum ara nummo
 Fabricata ſit in ſummo,
 Tamen plus Dijs colitur.
Si nondum canoniſatus
 Nummus ſit, neque beatus,
 Ipſi genufleƈtitur.
Quanta numme operaris,
 Quòd plus quàm Deus amaris,
 A clero & à laicis.
Iam te ſine nullus ſapit,
 Per te homo, quod vult, capit:
 Quòd vis, totum perficis.

Olim

Olim Papa, Cardinalis,
Nil habebat rei venalis,
Gratis dabat omnia:
Præbendas & Præsulatus
Dabat pro Deo rogatus,
Non curabat xenia.
Iam mos iste est perversus,
Novus peior est emersus,
Nil gratis dat Curia.
Nisi pro te roget nummus,
Si sis philosophus summus,
†*id est* Papa dicit, † Vauia.
Apage. Si intercedet florenus,
Vel de auro saccus plenus,
Dicit, Fiat subitò.
Postquam mos increvit talis,
Quòd Papa sic est venalis,
Nihil dans ex merito,
Omnes currunt cateruatim,
Aurum Papæ dant certatim:
Vide hanc iniuriam.

Contra sacerdotes avaritiam facientes.

Sit Thersites, siue Dauus,
Malè natus, siue ignauus,
Si offert pecuniam,
Mox est certus de præbenda:
Cum hic non sit sine menda:
Vide fiunt qualia.
Quot iam Papa tales seuit,
Si tot iste qui nunc creuit,
Mittet de Italia:
Feremus querelas Ioui,
Sicut terra, quando novi
Creabantur Febuli.

Cum

Cum ob iſtos nil valemus,
Et ſi plures expectemus,
Erimus ut duo cuculi.
Sic hoc ſcelus inceſtavit
Multos ſummos, & fœdavit
Pragenſem eccleſiam.
Ad quam jam tot ſunt promoti
Alieni & ignoti,
Quòd patimur nauſeam.
Vnde ſunt, vel cujus nati,
Vel qua ſtirpe generati
Nemo novit dicere,
Hoc ſcimus, quòd ſunt parati,
Pluſquàm hi, qui hîc ſunt nati
Statim groſſos rapere.
Non quærit, quis ſit patronus,
Nec quod ſervitutis onus
Hæc habet Eccleſia.
Rarò tamen hanc accedit:
Et ſi venit, mox recedit,
Non vult pati tædia.
Nunquam ad chorum veniret,
Niſi nummos ibi ſciret,
Et ni eſſet portio.
Sic ad miſſam cum venitur,
Et tibi Chriſte ſervitur,
Groſſus eſt occaſio.

Contra nummum.

Sed quem pudet incuruare
Tibi genu, númme chare,
Cum ſis tam mirabilis?

De

De indigno facis dignum,
Demis de cruce malignum,
Nulli es odibilis.
Multis tamen es amarus,
Quamvis cunctis ſis tam carus,
Quorum perdis animas.
Qui propter tui amorem
Et mundi vanum honorem,
Pœnas ferunt plurimas.
Tu horrendos habes mores,
Santroſſos, uſuratores
Miro modo decipis.
Hi pro te ſe dant Plutoni,
Et præponunt rationi,
Sic cum iſtis deſipis.

Contra Santroſſones & uſurarios.

O tu miſer Santroſſere,
Quàm multos cogis egere,
Malè quos eviſceras.
Illa tamen manent tecum,
Quis hoc eſſe dicat æquum?
Quæ ſæpe vendideras.

Contra iudices, & eorum catulos.

O iudex, & tu iurate,
Quantum ego premor à te,
Et à tuis famulis.
Tu obiurgas innocentem,
Et proſternis impotentem,
Heu cum tuis catulis.
Tu iuſtorum es oppreſſor,
Quod feris, promptus fers meſſor,
Tu clerum perſequeris.
A quo tua fluit ſalus,
Cur ei es itat malus?

Ni

Ni citò ceſſaueris.
Pœna tua te ſequetur,
Deus eum ulciſcetur,
Te proſternens fulmine.
Præter hoc mittet ad orcos,
Vt Plutonis paſcas porcos,
Pro malo regimine.
Tu es, numme, falſi cauſa.
Per te iurant ſine cauſa,
Falſi falſo homines.
Per te clerus infamatur,
Quòd ſit avarus, clamatur,
Giezitæ, & Simones.
Nullum ſacramentum gratis
Dant, ni ſibi fiat ſatis
Per te, numme miſere,
O ſacerdos, qui ſic uendis
Sacramentum, non attendis
Quàm hoc facis temerè.
Induxiſti novum ſcelus,
Quod non eſt virtutis zelus,
Sed plus idolatria.

EX BREVIARIO PRÆMONSTRATENSIUM,
contra inuocationem ſanctorum.

Adiuvent nos eorum merita,
Quos propria impediunt ſcelera:
Excuſet eorum interceſſio,
Quos propria accuſat actio.
At tu qui eis tribuiſti,
Cœleſtis palmam triumphi,
Nobis veniam non deneges peccati.

CANTILENA A PIO QVODAM ANTE CCC annos composita, in Antichristum & spirituales eius filios: ut Hildeberto Cenomanensi episcopo, qui ante 400. annos floruit, autore scripta videatur.

I.

DEduc Sion uberrimas
Velut torrentem lachrymas.
Namque pro tuis patribus
Nati sunt tibi filij:
Quorum dedisti manibus
Tui sceptrum imperij.
Fures & furum socij
Turbato rerum ordine,
Abutuntur regimine
Pastoralis officij.
Ad corpus infirmitas
Capitis descendit,
Singulosque gravitas
Artus apprehendit.
Refrigescit charitas,
Nec iam se extendit
Ad amorem proximi.
Nam videmus opprimi
Pupillum à potente,
Nec est qui salvum faciat,
Vel qui iustum eripiat
Ab impio premente.
Vide Deus ultionum,
Vide videns omnia,
Quòd spelunca vespillonum
Facta est Ecclesia.
Quòd in templum Salomonis
Venit princeps Babylonis,
Et excelsum sibi thronum,
Posuit in medio.
Sed arrepto gladio
Scelus hoc ulciscere.
Veni iudex gentium,
Cathedras vendentium
Columbas evertere.

II.

DIC CHRISTI veritas,
Dic chara raritas,
Dic rara charitas,
Vbi nunc habitas?
Aut in ualle uisionis,
Aut

Aut in throno Pharaonis,
Aut in alto cum Nerone,
Aut in antro cum Timone,
Vel in fiscella scirpea
Cum Moyse plorante,
Vel in domo Romuleia
Cum bulla fulminante.

III.

O CÆCITAS HARpiæ,
O fex hypocrisiæ,
Turpis lepra simoniæ.
Scandunt solium
Falsitatis viæ,
Movent omni die
Christi veritati piæ
Prælium:
Comites Goliæ
Spernunt David prophetiæ
Testimonium.
Perdunt ob præmium
Filium Mariæ
Comites Vriæ,
Herodis tingunt gladium
Iohanne.

IV.

Sederunt iniquè
Principes in agmine,
Sensus sub caligine,
Confidentes argumentis
Literalis paginæ
Litis in examine.
Sævi plagis violentis
Meo fuso sanguine,
Fero lapides torrentis:
In pressuris, in tormentis
Adiuva me Domine.

V.

De Stephani roseo
Sanguine martyrij,
Vernant primitiæ
Eliminat pristinæ
Nubem scripturæ,
Patent figuræ
Legis obscuræ:
Irradiat paginæ,
Lux gratiæ.
Erant futuræ
Signa pressuræ,
Quod Abel iure
Fracto naturæ
Fratris obit acie.
Culpa non est sub caligine,
Clamat sanguis fusus hodie:
Non celatur

Quod monſtratur,
Nulli dubie
Culpæ torpedine
Iudices & vindices
De crimine,
Clament anxiè
Filiæ Sion, ô Domine,
Sede in pulvere,
Pro filio Sion conquerere
Querelæ planctus asperæ
Et ploratus audio,
Voces & loquelæ
Mixtæ ſunt ſuſpirio,
Plangitur à Rachele.
Surge, pugna tute
Tuos cum virtute
Hoſtes conterit.
Surge liberè
Pulſa ſeruitute
Agnum ſequere,
Hic eſt gloriæ
Stola, curſus bravium,
Fructus victoriæ,
Hunc pie complectere
Spera, crede,
Certa ſtrenuè,
Certa de mercede:
Nullum metue,
Nullique cede,
Non permittet Deus
Te ſuccumbere,
Nullus Phariſæus,
Nullus Iebuſæus,
Nullus Philiſtæus,
Poterit reſiſtere.
Contra Stephanum non poterunt prævalere
Ei, qui nocere ſederunt,
Sunt afflicti, ſi juncti manſerunt,
Ferientes & furentes perierunt,
Omnes defecerunt.

VI.

OMNI penè curiæ
Præſident iniuriæ
Penes quos iuſticiæ
Tenor, & iudicij,
Pios ligant impiè.
Sed ſoluuntur impij,
Nec dant locum veniæ,
Niſi forte præmij.

VII.

IN VERITATE comperi
Quòd ſceleri cleri
Studet univerſitas:
Livor regnat, veritas
Datur funeri.

Hæ-

Hæredes Luciferi
Sunt præiati,
Iam elati gloria
Membra domant alia
Capitis inſania.
Cæci, ducesque cæcorum
Et cæcati terrenorum
Idolatria,
Quærunt omnes propria.
Manus patent,
Et iam latent
Crucis beneficia.
Luge Sion filia,
Fructus urit meſſium
Ignis in caudis uulpium.
Triſtes per hypocritas
Simulata ſanctitas.
(Vt Thamar in bivio)
Turpi mareſcens ocio
Totum orbem inficit,
Nec deficit, nec proficit
Data libertati
Charitatem reſpuit,
Caſtitatem polluit.
Studens rapacitati.
Sedet in inſidijs
Hominum præ filijs,
Pauperem ut rapiat,
Et linguarum gladijs
Iuſtum ut interficiat,
Non eſt qui bonum faciat
Iſtorum,
Quorum conſcientia
Spelunca eſt latronum
Hanc vide videns omnia
Deus ultionum.

VIII.

Mundus vergens in defectum,
Caſum probans per effectum
Se fallacem exuit.
Nam remota fraudis arte
Nos delere vi vel arte,
Quod iam patet, aſtruit.
Et dum his ſe applicat,
Quod explicit, explicat.

IX.

Onus, quod nobis alligant,
Nolunt movere digito:
Hinc eſt, quod eos diligant,
Qui palpant in abſcondito: Hos

Hos à secretis abigant,
Qui terrent vitæ merito.

X.

Omne cor mœrens hodie,
Caput est omne languidum.
Clerus campo licentiæ
Vagus, ut vulgus sordidum.
Semen legis & gratiæ
Solum condit in aridum.

XI.

Luxuriant animi
Rebus sæpe prosperis,
Viles iacent infimi
Casibus in asperis.
Ingrati pro gratia,
Grati sub inopia,
Inopes sunt humiles,
Propter opes labiles
Inflantur superbia,

XII.

Fas & nefas ambulant
Ferè passu pari,
Prodigus non redimit
Vicium avari.
Virtus, temperantia
Quadam singulari
Debet medium
Ad utrumque vitium
Cautè contemplari.
Si legisse memoras
Ethicam Catonis,
In qua scriptum legitur,
Ambula cum bonis.
Causa dandi animum
disponis,
Inter cætera
Primum tu considera
Quis sit dignus donis.
Vultu licet hilari,
Verbo licet blando,
Sis æqualis omnibus,
Illud tamen mando,
Si vis rectè gloriam
Promereri dando,
Primum videas,
Granum inter paleas
Cui des, & quando.
Dare non ut convenit,
Non est à virtute,
Bonum est secundum
quid.
Sed non absolutè.
Dare dignis poteris,
Et mereri tute,
Famam muneris,
Si me prius noveris
Intus & in cute.

XIII.

Si mundus viveret,
Mundus pecunia, regnaret
Inter nos pax & concordia.
Sed cum præcipitet
Nos avaritia,
Lites interserit.
Et plantat odia,
Duce discordia.

XIV.

Quid scire proderit
Nova & vetera,
Nummus dát quidlibet,
Et mollit aspera.
Nemo vane rogat
Qui tendit munera,
Preces sunt vacuæ
Vacua dextera.
Nil valet litera,
Dantur officia
Bursæ præconio.
Fit de moribus
Suprema quæstio.
Dicitur omnibus
Qui carent precio,
Amen dico vobis,
Quia vos nescio,
Nec tales audio.
Proh dolor artium
Doctrina spernitur,
Quæ præstat reditus
Bursis intenditur.
Cui res tenuis,
Nemo diligitur.
In usu nimis est,
Illud quod legitur:
Habenti dabitur.
Nemo tam degener,
Tam detestabilis,
Quin fiat gratia
Nummorum habilis.
Quo plus habet,
Doctis amabilis:
Ridentur inopes
Etiam nobiles,
Pauper jacet vilis.

XV.

Quare fremuerunt
Gentes & populi?
Quia non viderunt
Monstra tot oculi,
Neque audierunt
In orbe seculi
Senes & parvuli
Prælia quæ gerunt,
Et quæ sibi quærunt
Reges & reguli.

XVI.

Multa nobis adversantur,
Quibus mores adeò
impinguantur,

Tria tamen principantur,
Quæ viciſſim prælian-tur,
Hoſtis inviſibilis,
Mundus hic umbratilis,
Caro comes fragilis.
Iſta coniunguntur.
Mundus fraudes præmolitur,
Scelus celat & blanditur,
Dum, quod ſpondet, non largitur,
Mendax eſſe comperitur,
Occultans verſutias
Rerum affluentias,
Spondens & res varias
Omnia mentitur,
Dignitates & præbendas
Hic promittit exhibendas,
Si magnates non offendas,
Sed ipſorum tegas mendas,
Et occultes vitium,
Suave per mendacium
Quod eſt adulantium,
Sed hoc non attendas.

XVII.

Rara fides
A fraudis facie
Neſcit quò ſe
Reponat angulo,
Saturnizat regnum
Perfidiæ: bona
Frigent palam & clanculo.
Iam prælati ſunt offendiculo,
Rigent, urunt
Bruma ſævitiæ.
Quorum rigor totus
Ex glacie charitatis
Caret vocabulo.

XVIII.

Hi ſunt ſal, quod evanuit,
Foras porcis proiectum:
Sunt idolum, quod corruit,
Super arcam erectum:
Sunt lignum quod computruit,
Radicitùs refectum.
Non ſunt genus electum,
Sed tanquam caput languidum, Quod

Quod reddit, cum ſit marcidum,
Totum corpus infectum.
Sic nunc elinguis ſtatuæ
Formam gerunt Prælati,
Cernunt ſupervacuè,
Et annulis ornati
Sic ſunt perſonæ fatuæ,
Turgentes & inflati,
Et caput coronati,
Mortem propinant ſubditis:
Aſcendentes in pulpitis
Stant, velut inſenſati.
Quod ſi ſtultus eligitur
Sacerdos, vel Prælatus,
Quòd ſi muto committitur
Docendi præſulatus,
Nonne totus confunditur
Grex indiſciplinatus?
Cum dæmon incarnatus
Sit Prælatus inſipiens,
Et Nabal inobediens,
Et ſal inſatuatus.
Monſtruoſis fluctibus
Mare magnum æſtuat,
Aquilonis flatibus
Cymba Petri fluctuat,
Quia dormit veritas,
Sola ſedet civitas,
Quam Scribarum cæcitas
Cæcis locat ducibus.

XIX.

Caput in caudam vertitur,
Dum Agar ſublimatur,
Et libera reijcitur,
Et ſervæ ſubiugatur.
Dagon truncus erigitur,
Et arca captiuatur:
Cum Dagonitis datur,
Apex rerum & dignitas,
Et extrema captivitas
Sion redintegratur.

XX.

Conſequens, antecedente
Deſtructo, deſtruitur benè.
Nam conſequitur

Nemine

Nemine contradicen-
te,
Quod ſi dabis,dabitur:
Sed ſi primum tollitur,
Non cures de conſe-
quente.
Quoniam negabitur,
Si non approbabitur,
Auro viam faciente.

XXI.

Artium dignitas,
Quæ primùm viguit,
Modernè vitio
Doctrinæ viluit.
Quæ tot involucris
Verborum diffluit,
Tot circuit,
Quod ſe deſtituit,
Et nihil certum con-
ſtruit.
Qui nunc infantium
More balbutiunt,
Et vulgi digito
Monſtrari cupiunt,
Colantes culicem,
Camelum glutiunt.
Quæ neſciunt,
Vel quæ non capiunt,
Blaſphemant,vel tran-
ſiliunt.
Tales concelebrat
Præconum copia.
Quibus innititur
Doctrinæ gloria.
Nec enim precium
Meretur propria ſci-
entia,
Niſi venalia
Mendicet pro ſe ſuf-
fragia.

XXII.

Fontis in rivulum
Sapor ut defluit,
Odor ut vaſculum
Infuſus imbuit:
Sic vita populum
Regentis inſtruit.
Sic teſta figulum
Probat, vel arguit.
Prælati munera
Præponunt meritis,
Opes non opera
Penſant in ſubditis.
Iudex vox libera
Clamat in compitis.
Honoris dextera
Diſpenſat divinis.
O qui cuncta proſpi-
cis,
Punies in clericis
Adipem ſuperbiæ,
Quos nec terror iudi-
cis,
Nec legis aut gratiæ
Co-

Cohibent mandata.
De ſudore pauperis
Ornant equos phaleris,
Et ſe veſte varia
Diffluentes proſperis,
Sui luxus gloria,
Prædicant peccatum.
Ah cum iudex venerit
Et cum ventilaverit
Triticum in area,
Fructum qui non fecerit,
De cultoris vinea
Palmes excidetur.
Cicatrices vulnerum,
Chriſti clamor pauperum,
Sordes quas non terſimus,
Accuſabunt operum,
Primus & noviſſimus
Quadrans requiretur.

XXIII.

Sede Sion in pulvere,
Caput aſperge cinere,
Induere cilicio,
Quo ſtetit ſpei firmitas,
Caret vexillo charitas:
Et fides privilegio,
Sion in ſinu lamiæ
Catulos lactant hodie,
Lapides ſanctuarij
Per plateas diſijciunt,
Et labores diripiunt
Hebræorum Aegyptij.
Divinæ nutu gratiæ
Solus comes Campaniæ,
Spei favillam ſuſcitat,
Fidelis Sion filius,
Velut alter Heraclius
Fide ferròque militat.

XXIV.

Quomodo cantabimus
Sub iniqua lege?
Oves ecquid attendimus,
Lupus eſt in grege?
Deciſis panniculis
Noſtris offert oculis,
Ieſus inconſutilis
Tunicæ ſciſſuram,
Suam iudex humilis
Suſtinet preſſuram.
O quando diſcutiet
Speluncam latronum,
Quàm tremendus veniet
Deus ultionum?

XXV.

XXV.

Ariſtippe, quamvis ſerò,
Tuo tamen tandem quæro
Frui conſilio.
Quid Romæ faciam,
Mentiri neſcio?
Potentum gratiam
Dat adulatio.
Si mordaci utar vero,
Verri nunquam charus ero.
Meretur hiſtrio
Virtutis præmium,
Dum palpat vitium
Dulci mendacio.
Nec potentum didici
Vitijs applaudere,
Nec favorem quærere
Corde loquens duplici.
Veritate ſimplici
Semper uti ſoleo.
Dari famam doleo
Cuiquam præter merita.
Nec impinguo capita
Peccatoris oleo.
Ergo, ſicut conſulis,
Expedit ut taceam,
Blandiensve placeam
Mollibus auriculis
Potentium, quibus me vis
Sic placere,
Adulari vel tacere:
Nihil ponis medium.
Sicque, quaſi faveam,
Alienæ ſubeam
Culpæ participium.
Vade retrò Satanas,
Tuas tolle fabulas:
Quicquid enim conſulas
Falſitatis organa
Voces adulantium
Devoveo aulicis.
Quod voveo
Blandiendo vitium.
Sed palponis nomen cavi,
Cuius ſemper declinavi
Fraudis artificium.

XXVI.

Mundus à mundicia
Dictus per contraria.
Sordet immundicia
criminum,
Creſcit in malicia
Culpa neſcit terminum.
Omnis immundiciæ
Clerus

Clerus fons est hodie,
Capita maliciæ
Præsules, nec tot pestis
Variæ monstra vidit
Hercules.
Nihil prodest mathesis
Nil logos, nil poesis,
Aurum plusquam
phronesis
Ponderat: nisi trahat
Lachesis,
Clotho frustra præparat.

XXVII.

Quò me vertam, nescio,
Dum stricto iudicio
Prælatos circumfero:
Dum virtutes pondero
Patrum modernorum.
Tanta subit charitas,
Vt vix unam veritas
Probet meritorum.
O si Roma respiceret
Patrum suorum merita,
Salubrius disponeret
Talenta sibi credita,
Humilitatem coleret,
Nube fastus deposita,
Nec spe lucri recederet
A veritatis semita
Terræ, maris, aeris
Cum fluctus evaseris,
Et re salvâ fueris
Ereptus angustia,
Ex quo Romam veneris,
Nisi te nudaveris,
Vix absolvi poteris
Curiæ naufragijs.
Simon cubat ianuis,
Spem præcidens vacuis.
Simon in assiduis
Laborat contractibus,
Argus circa loculos
Centum gyrat oculos,
Briareus sacculos
Centum tollit manibus.

XXVIII.

TRANGRESSVS legem Domini,
Quam Deus dedit homini,
Homo dignus exitio,
Relegatur exilio:
Sed fons misericordiæ
Huic mediante filio
Finem dedit miseriæ.

Ve-

Veritati ſtat obvia
Mitis miſericordia,
Pro tranſgreſſore ſupplicans,
Deum immitem iudicans,
Si prorſus ita deſtruat
Naturam, quam fecerat.
Ergo verbum incarnari
Vult pater, ut reformari
Poſſit hominis ſtatus.
Eſt Chriſtus homo natus,
Carnem ſumens ex virgine,
Ab omni mundam crimine.
Non fuit mori veritus,
Vt homo morti deditus
Viveret liberatus.

XXIX.

Quis tibi Chriſte meritas
Laudes impendere,
Vel quis ſufficere
Poſſit, ut dignè debitas
Exolvat gratias?
Noſtras miſerias
Veniſti gratias tollere
Deus, qui propter hominem
Factus es homo per virginem.
Poſt paupertatis onera,
Famem, frigus & cætera,
Servorum pro nequitijs
Affectus contumelijs,
Ab impijs, immeritis
Tormentis es expoſitus,
Noſtramque vitam ſitiens
Bibiſti mortis calicem,
Patri factus obediens,
Novum gerens artificem,
Dum crucis ignominiam
Scalam facis ad gloriam.

XXX.

Naturas Deus regulis
Certis aſtringi ſtatuit,
Et à præſcriptis formulis
Nul-

Nullo conatu potuit
Vltra natura progredi
Vel per ſe citra regredi.
Sed his ligari vinculis
Ipſarum autor noluit.
Qui retrahit & tribuit
Naturis, quod vult ſingulis.
Sic ergo noſtris ſeculis
Mortalis naſci voluit,
Quod æternus apparuit,
Carnem ſumens ex virgine,
Triplex pandit myſterium.
Mortalis eſt ex homine,
Quod clauſum manet oſtium
Quando partus egreditur.
Spiritalis oſtenditur,
Quod ſine patris ſemine,
Quod non habet initium,
Aeternum tenens ſolium
Sub dio, ſine tegmine,
Non egens medicamine.
Ducit virgo filium,
Qui ſalus eſt omnium.
Benedicamus Domino.

XXXI.

Ortu Regis evaneſcit
Legis nubes involuta,
Vera dies illuceſcit
Vmbra noctis diſſoluta.
Roſa produxit lilium,
Et honorem convallium
Caſtitate non ſoluta.
Auſtro terris influente
Surgens cedit Aquilo,
Flatu ſacro ſuccedente
Pulſo mentis nubilo
Fervet ignis, ſed fœcundans,
Et humanum cor emundans
A lethali frigore.
Innovatur terra vetus,
Novo more germinans.
Parit virgo, prodit fœtus,
Evæ luctum terminans.

Quo

Quo complente ius legale,
Coaptantur cœlo ſcalæ,
Via patet regia.
Serpens dirus extrahatur
Ad vagitum pueri,
Per quem pauper liberatur,
Potens datur carceri.
Ab erroris via flexus
Patris redit in amplexus
Minor natu filius.

XXXII.

Quod promiſit ab æterno,
Die ſoluit hodierno,
Verbum mittens de ſuperno
Pater in Iudæam.
Levis nubes & vitalis
Munda caro virginalis,
Nobis pluens ſpiritalis
Roris plenitudinem.
Olim fuit argumentum,
Verbi ſignans indumentum,
Nubes ferens adiumentum
Lucis & umbraculi.

XXXIII.

Fraude cæca deſolato
Primo noſtri generis,
Mortis virus ex palato
Redundavit poſteris:
Sed mœrore deſiccato
Corruptelæ veteris,
Hauſit pœnam cum peccato
Iubar novi ſideris.
Noſtræ ſorti coæquatur
Lux in teſta condita,
Dum lucerna fœcundatur,
Per quam patet ſemita.
Mulieri reformatur
Dragma diu perdita,
In qua regis ſigillatur
Forma cœlo cognita.
Pingit arcam teſtamenti
Sedulò paraclitus,
Et largitor ornamenti
Reparat ingenitus,
Vernat intus ſacramenti
Virga florens cœlitùs,

Lux

Lux in rubo non marcenti
Fit homo divinitùs.

XXXIV.

Exaltavi plebis humilem,
Venerabilem & ſuperbum
Inclinavi deſpicabilem
Faſtus mentis germinat
Turpitudinem.
Faſtus ventum ſeminat,
Atque metit turbinem,
Ergo labiles,
Vmbræ ſimiles
Fragiles & vanas
Fugias divitias,
Inſtabiles & prophanas.
Qui cum interieris,
Eris olla cineris,
Et cibus vermium.
Vas es ſordidum,
Sepulchrum ſceleris,
Damnum culpæ veteris.
Si memineris,
Expedit ut vigiles,
Gazas mundi ſteriles
Contemnas, quærens fertiles,
Sinceras, ineffabiles,
Veras, interminabiles.
Ne timeas, quin gaudeas
In die flebili ſi pertranſeas
Has paleas, adhæreas
Humili grano cunctis utili.

XXXV.

Deo confitemini,
Qui ſua clementia
Carnem ſuo numini
Iunxit in Maria,
Vt Abrahæ ſemini
Promiſſa ferret auxilia,
Se conformans homini
Sic ſubiectum crimini,
Seductum hoſtis malicia
Redemit morte pia.

XXXVI.

Laus Domino reſonet
Omnium iubilo,
Qui condolens homini perdito
Eſt natus ex Mariæ virginis utero.

O mira res, digna præconio,
Sol rutilans oritur de suo
Sidere fulgido.
Hinc igitur homini hæc concio,
Et laus est Domino tam pio.

XXXVII.

Ad veniam perveniam,
Si veniam cum oleo.
Quod debeo, & caveo
Sedulis oculis, ne dormiam.
Somnum & desidiam
Si procul amoveam,
Vt vigil aperiam.
Nam sic itur ad gloriam,
Quam consequar per gratiam,
Si veniens obviam
Ornatu non caream
Nuptijs regis idoneo.

XXXVIII.

O natio, quæ vitijs,
Quæ studio serpentis
Callidi perverteris,
Convertere, consilijs
Veris cor perlustra,
Ne vixeris frustra,
Te pervertentem desere,
Te convertentem sequere:
Et eum amplectere,
Qui tibi sitiens, moriens
Brachia propria porrigit,
Erigens languidum.
Te convertentem sequere,
Mundans fœcundat,
Tibi dimittens debitum,
Sanctumque mittens spiritum.

XXXIX.

Gaudeat devotio fidelium,
Verbum patris incarnatur,
Nova proles nobis datur,
Et nobiscum conversatur.
Salus gentium,
Vitæ pandit ostium,
Dum mortis supplicium
Piè tolerat.

Mundi

Mundi princeps exturbatur,
Dum conſiderat,
Quòd per mortem liberatur,
Qui perierat.
Iure ſuo ſic privatur
Dum deſiderat
Illum ſibi ſubdere,
Qui nihil commiſerat.

XL.

Doce nos hodie
Viam prudentiæ ſtabilem,
Chriſte Veritas,
Et qui lucem habitas
Immarceſſibilem,
Pelle gratia ſplendoris
Noctis tædia.
Fer remedia
Mœroris gentibus
Intus gementibus
Tribue tuo gregi paſcua,
Da ſpiritum timoris, ut te diligat,
Et eligat arduæ viæ
Semitas, ne foris
Sit ut virgo fatua
Vacua liquoris,
Et extincta vaſa gerens,
Fruſtra quærens aditum
Iam clauſa ianua
Igitur de vocibus ſupplicibus
Pie rex gloriæ petimus,
Per quem fugimus
Tenebras erroris,
Ad te ſuſpirantibus
Da Spiritum paraclitum.
Cuius unctio
Vicium arcebit.
Extincto vitio
De virtutibus nos docebit.

XLI.

Laudes referat,
Et puri cordis
Sacrificium iam offerat,
(Quem hoſtis ſeduxerat
Ipſum liberat per filium
Pater, ut promiſerat,
Et quem juſte miſerat
In exilium.
Piè refert unde pulſus erat
Domino.)

 XLII.

XLII.

Ad ſolitum vomitum
ne redeas,
Paveas interitum meritum,
Præteritum doleas,
Propoſitum foveas,
Ad gaudia non eas,
Ne per ea pereas.
Provideas ſubitum exitium,
Et caveas vetitum reditum.
Ad obitum ſolicitum
Si oculum converteris
Oderis hoc ſeculum.

XLIII.

Chriſte via, veritas, & vita,
Cuius muro civitas
munita
Domat hoſtis damnum
Cuius morte mors ſopita
Sumpſit exterminium.
Hoſte deſtituto,
Solido fidei ſcuto
Me iuves, me munias,
ſubvenias.

XLIV.

DOCE NOS hac die
Viam patriæ
Fons gratiæ,
Spes veniæ,
Terminus viæ,
Ieſu Chriſte.
Me de ſortis vanæ
Et carnis humanæ
Salves carcere.
Rege, quem ſub lege
iubes degere.
Sine luce tua duce
Nil proſperè poſſum
agere,
Vitis des fructum de
te vitæ
Elicere, fœcunde
Gratiam funde,
Cujus abundè
Effluant undæ,
Vnde ſint res meæ fide mundæ,
Spe iucundæ.
Da gratiam cordi,
Sancti Spiritus amore
Proficere, qui me docebit.

XLV.

Doce nos Doctor optime,
Vitæ fons, ſalus animæ,
Mundo nos adime,
Rex unigenite,

Vitis

Vitis vitæ,
Dux & lux ſemitæ,
Paraclete,
Doctor inclyte,
Vena divite cor imbue,
Hoc inſtrue.

XLVI.

Formam hominis
In aula virginis
Veſtit incarnatum
Verbum, & reatum
Delet populi,
Novus author ſeculi,
Nobis delegatus,
Nobis conformatus.
Vitam parvuli
Sic noſter Eliſæus
Venit reparare,
Dum fit homo Deus
Volens collocare nos in gloria.

XLVII.

Fidelis gratuletur populus
Laudes ſolvat ſedulus,
De Maria naſcitur
Mundo parvulus,
Per quem mors damnatur,
Vita reparatur,
Donatur noſtra ſalus,
Per quem vincitur & deijcitur
Hoſtis æmulus.

XLVIII.

In Bethleem Herodes iratus,
Quia puer natus,
Timens principatus
Sceptro ſe privari,
Iubet trucidari
Pueros bimatus.
O mira novitas facinoris,
O tetra livoris immanitas,
O puritas innocentium,
Pede gemino ſequentium
Agni veſtigium.
O roſa rubens, ô candoris lilium
Flos odoris,
Vox infantium
Laudes Deo dicentium,
Canticum Oſanna.

XLIX.

Mors vitæ vivificatio,
Mors noſtræ mortis mortificatio,
Conſolatio, & reparatio, Pri-

Primo parenti noxio,
O mors anxia plena gaudio,
Tu es noſtra liberatio.
O non pepercit proprio
Propitius pater filio:
Sed nobis exilio
Preſſis Aegyptio,
Crucis afflictio,
Clavorum fixio,
Lateris apertio,
Sputa, ex probratio,
Sunt nobis redemptio.

L.

Mors morſu nata venenato,
Mors tu palato
Hæſeras vitiato:
Mors cum peccato
Primo derivato,
Ex vitio venis avito
Fonte fellito.
Fit corruptio ex abſinthio
Tranſacto, ſed veneno
Cum radio ſereno exiccato,
Fit refrenatio
Vero ſole nato,
Verbo humanato,
Paſſo ſub Pilato,
Dolo Iudæ vendito,
Crucis morti tradito,
Mortis morſu perdito,
Vitæ ſtatu reddito.

LI.

Mors quòd ſtimulo vos urges eiulo,
Importuno tradis unò omnes vinculo.
Dum devito,
Mors, ades ſubitò invito.
Mortem, quam paveo, caveo:
Quam fugio, non effugio:
Serpis clanculo, inſopito
Vigil oculo:
Dum inſignito
Dives titulo
Floret, ſeculo vitæ finito.
Hoc curriculo inanito,
Demolito hoc corpuſculo,
Diſſoluto teſtæ fragilis luto
Parvulo claudis angulo,
Brevi tumulo,

Mors

Mors gladio exuto
Inſtas iugulo.
Vivam ut in tuto,
Me ſignaculo
Crucis munio
Chriſti ſcuto.

LII.

Manere, vivere
Debes, & florere
In me, qui ſum verè
Vitæ vitis.
Qui ſititis,
Haurite vitam de me.
Vitæ odor mirè tritæ,
Balſamo conditæ
Flagrat: huc venite,
Myrrham invenite,
Sentite, oblite
Tui, de te quære,
De Iohanne ne mirêre,
Eum volo ſi manere,
Quid ad te? me ſequere,
Tibi ſtratæ præmonſtratæ
Patent, & cruore
Proprio ſunt ſignatæ.
Te redemi pignore
Animæ pro te datæ,
Ingrate pietate
Commoveare, ſi me verè
Diligis & purè.
Flagellorum trituræ,
Sputa, minæ, clavi, ſpinæ,
Preſſuræ, forma ſint diſciplinæ.
Fel, cathenæ, cæſæ genæ,
Omnes venæ plagis plenæ,
Tot pœnæ, ſi bene
Ponderes, ſunt doctrinæ.
Condolent naturæ
Lapidum ſciſſuræ,
Lucis ſol obſcuræ:
O dure, te
Iohannis aquilæ
Moneant ſcripturæ.
Magna ſepulturæ
Fuit huic cubile,
Meum pectus
Hic electus
Cuſtos matri Mariæ.
Hora cœnæ,
Hauſit plenè
Fontem gratiæ,
Ales alis ſpiritalis
Præminens ſcientiæ,
Figens viſum non eliſum
In me ſolem gloriæ:

Cujus alæ
Sunt virtutum ſcalæ,
Meum ſpiritalem
Volo talem manere.

LIII.

Vide prophetiæ
Finem adimpletæ:
Fugit umbra die,
Quia lux prophetæ,
Progenies eſt Mariæ.
Ad exitum hujus metæ
Tendunt omnes viæ.
Prodiit ſilice
Fons, mel cortice, myſticè
Vellus madet rore
Signum eſt inſigne,
Rubus rubet igne:
Virens in rubore,
Virga vernat flore,
Virgo novo more
Parit cum pudore.
Solem ſidere
Procedere, fulgere
Vide ſidus ſingulare,
Tuum ſalutare.
Stellæ ſigno fulgidæ,
Quod radiat hoc mare
Arride, & confide
Stella præſide,
Viam prehende,
Quam providè
Magi providerunt,
Ante puerum
Sidus ſiderum
Trinus unicum
Trium myſticum,
Munerum numerum
Obtulerunt.
Vide mundi figulum
Brevi claudi vaſculo,
Stabulo parvulo,
Deum juxta brutum
Angulo, ſacculo
Regem involutum.
Reſtitutum pater parvulum
Cæſo gaudet vitulo,
Cum oſculo dat annulum
Luto ſputum,
Sputo lutum,
Et unitum & linitum
Cui ſanat oculum,
Statum datum
Poſt grabatum,
Poſt triduum vivere
Mortuum viderunt.

LIV.

Homo cum mandato
Dato ſpreto,
Dignus letho
Pomo veſceris vetito,
Per-

Perderis meritò,
Deus te proprio
Redemit filio.
Non eſt aſſumptio
Dei, conſumptio
Carnis in coniugio
Verbi,manet vitio
Tua reformatio,
Talis ut formatio,
Quando primo
Nupſit limo
Spiritus coniunctio,
Luto fit unito
Sputo cæco lito
Reparata viſio,
Tua reparatio.
Lutum commaduit
Sputi connubio,
Sputum non viluit
Luti conſortio.
Neutrum abſorbuit
Iſta commixtio,
Salvat quas miſcuit
Naturas unio omnes.

LV.

Adeſſe feſtina,
Monas mihi trina,
Lux divina,
Aurem huc inclina,
Te propina
Vitæ medicina.
Sit vicina
Virtutum doctrina,
Ne ruina
Cadam repentina.
Seda gemitus, & cri-
mina
Laves in piſcina,
Cor illumina,
Valle peregrina,
Qua ſum poſitus, ex-
termina
Curas mundi ſpina
Fraus clandeſtina
Vrgetur,ſerpentina
Carnis cum ſentina
Vt de ſago ſim corti-
na.
Penitus elimina
Sordes mentis officina
Tu redde me tutum,
Tu Dominus es vir-
tutum,
Tu cuncta regis ad
nutum:
Tu mutas auro lu-
tum,
Mundas vas pollutum
Tu pugnantium es
brachium,
Gladius & ſcutum,
Tributum remove
ſervitutum.

Tu me iuva deſtitu-
tum,
Lapidea me iacula,
Me ferrea premunt
ergaſtula,
Me troclea craticula
Me cremant ignea,
Me framea ſudes &
ſpicula,
Me fellea inebriant
pocula:
Me laniant dentes &
ungula,
Patibula me cruciant
ſingula.
Mea meſſis matura
Crucis preſſura
Flagellatur area,
Emundatur palea,
Reddit pura grana
tritura.
Ea fer ad horrea
Fracta domo lutea.
Me recrea,& laurea
Aurea me laurea.
Ieſu per te video,
Quòd ianuæ ſint a-
pertæ,
Iam in loco paſcuæ
Prius fruite
Curſum vitæ,
Me conſtitue
Toties laceſſitæ
Mentes ſint lætæ,
Poſt dolorem iam
completæ.
In eis poſt dolorem
athletæ
Tuo da quiete
Frui te.
Dona ſtipendia iam
emerito
Stolam cum gloria,
Pro quibus milita.
Illis ut venia fiat, fla-
gito,
Neque ſupplicia des
pro merito.
At miſericors Deus
Parce ſceleri,
Neſcit homo reus
Scelus fieri.
Ne ſtatùas ei hoc pro
crimine,
Memor eſto rei in di-
ſcrimine.
Convertatur Domine
Vir ſanguinum à ſan-
guine,
Ne ruinæ
Tradas eum in fine,
Cæco miſerere miſero,
Ne miſer poſſit in-
terire,

Pœna

Pœna mortis duræ.
In diebus iræ
Neminem vis perire,
Sed converſum vivere
In ſcelere nullum vis
perire,
Sed diligere, credere,
Te miſereri.
Flere da ſincerè,
Verè pœnitere,
Fide placere
Spe fruere.
Deus meus ſalvum
me fac
Propter miſericordiam.
Tu deitati carnem
uniſti,
Tu pro me pati ſuſtinuiſti.
Nemo, tanta fieri,
Poteſt promereri.
Sed tu mihi miſero
Da miſericordiam.
Tu pro me mori
Non horruiſti.
Reddi favori
Quid valet iſti?
Nihil poteſt muneri
Tanto par cenſeri.
Tuæ manus operi
Das miſericordiam.

Morte tu morti
Mortem dediſti,
Tartara forti
Manu fregiſti.
IVRE SVI MERITI
NEMO POTEST
NITI.
Ergo tuo militi
Fac miſericordiam.

LVI.

Non orphanum te
deſeram,
Sed efferam ſicut Libanum,
Sicut clibanum ponam
te ſalutis,
Sicut tympanum &
organum
Læticiæ ſalutis.
Auferam Aegyptiæ
Iugum ſervitutis,
Conferam me conſecutis
Poſt lachrymas gaudium,
Præmium poſt laboris tædium,
Cum iero, veniam,
Sub veniam per gratiam,
Tribuam veniam,
Cœleſtium civium
gloriam. Men-

Mentem puram & ſe-
curam
Efficiam: carnis, curam
Et preſſuram ſeculi
reijciam.
Inclytus paracletus
Divinitùs tuum cor
docebit,
Et radicitùs
Tuam ſpem in Domino
ſic habebis,
Tuus ut introitus
Tutus ſit, & exitus.
Cor penitus gaudebit.

LVII.

DOMINO fidelium
omnium
Fidelis devotio
Laudis cum præconio
Iubilet in gaudio:
Cuius beneficio
Vitæ reſtituitur,
Redimitur ab exilio
Plebis natio.
Poſt culpæ remedium
Subit patriæ
Patris prædium.

LVIII.

Hæc dies læticiæ
Celebris memoriæ,
In qua vita triumpha-
vit
Prævalens in acie
Mortis impiæ.
Cujus torcular calca-
vit,
Viam vitæ repara-
vit,
Et ſpem veniæ
Collocans in requie
Rex gloriæ,
De tenebris miſeriæ
Suos ſurgens vocavit.

LIX.

IN SERENA facie
Sol ſplenduit gloriæ
Ferens patriæ præmi-
um
Poſt ſtudium tuæ.
In ſeculum ver æter-
num
Floruit, pignus æter-
num
Supernum brachium
rapuit,
Morte mortem de-
ſtruit,
Verum ſidus claruit,
Solem per hodiernum
Vetus perit fermen-
tum,
Dum mortuum, poſt
triduum
Frumentum,

Pa-

Parit uno centum,
Reddit fructum centuplum
Incrementum.

LX.

O MORS ANXIA
In angaria
Ponis omnia
Viventia,
Tibique ſunt pervia...
In triſtitia tua regia
Sunt, ſunt crudelia
Tua nimis imperia,
Citò maria
Tranſis varia,
Intras mœnia,
Rapis omnia,
Pacis neſcia,
Terras vincis omnes
Tua magna victoria.

LXI.

QVI vult pſallere,
Vocem opere
Pio referet,
Chordam cordis opere
Temperet,
In æquo confœderet
Pondere, lyram cordis
Tendere diſcat,
Non expendere
Temerè.
Perditam reſumere,
Et eſt dignum canere
Carmen huius operæ.
Domino unitrino
Sit decus laus & honor
Sine termino.

LXII.

VERBVM pater genuit
Exiſtentium omnium principium,
Quod induit
Virginalis carnis veſtem,
Medicinam dans cœleſtem
Homini qui languit.
Hoc per orbem ſonuit
Seminans ſemen
Permanentis fidem, ſpem
Amoris, cor fidelium
Intus ardet,
Foris curſus ſitit brabium,
Per patres credentium
Labes cedit erroris
Pater verbi myſterium.

LXIII.

VNVM Deum in Synai,
Tri-

Trinum in perſonis
cœli,
Celebrem in thronis
cordis
Puritas oris
Laudat melodia.
Creatorem qui eſt via,
Naturarum harmonia,
Veræ vitæ veritas.
O beata trinitas
Simus tuti ſub Meſſia.

LXIV.

Memor tui creatoris,
Eius vivas in timore:
Intus te formes & foris,
Doleas pio culpas lachrymarum liquore
Fervens amore,
Vt gratiæ de rore
Mens fidelis floreat,
Vt ex fide prodeat
Fructus operis,
Veteris te pudeat
Vitæ, nova placeat.
Labilem rotam erroris
Providus caveas
Sequi, ne pereas,
Sed in ſpe firma ſemper nitere
Ad patriam pergere.
Quo iugiter gaudeas,
Et pondere languoris careas,
Poſſideas opes lucis,
Verè regem ſummi decoris aſpicias,
Ad quem ut pervenias
Lucrum tibi facias,
Sedulus cuſtodias,
Soli vias virtuti pervias
Vt ſic homo
Vas fias honoris.

LXV.

HOMO mundi paleas & opera
Quòd vitare debeas conſidera,
Quæ facturus ſubeas delibera,
Fraudes ſic vipereas vi ſupera,
In via ne pereas per hæc proſpera:
Steriles ficulneas, ne cum eis ardeas,
Iam deſere.
Lignum vitæ ſequere,
Perennis fructus, ſpes vitæ
Florebit
Vt gaudeas de munere.

LXVI.

LXVI.

O VIRI Israelitæ
Volentes vitam venite
Ad beatum fontem,
Sitite Dominum:
Ad vestri laboris
Ite terminum.

LXVII.

CANTICVM læticiæ
Sonet in ecclesia:
Nullus sit tristitiæ
Locus, ubi gratia
Tanta patet hodie.
Gratis venit venia
Fructu pœnitentiæ,
Per stadia curritur iusticiæ
Ad beata brabia.
Ergo regem gloriæ
Laudet Sion filia.

LXVIII.

Omnia qui libras, diademata cœlica vibras,
Tu vergis cœlum, tu formidabile telum,
Tu quatis arce patris, timor infernalibus atris
Mortales sacro trahis ad tua regna lavacro.

LXIX.

Deus misertus hominis
Lavit reatum criminis
Suæ per partum virginis.
O quam dulcè remedium,
Vt vitium purgetur per contrarium.
Fit electis compendium
Ne tædium sit curenti per stadium,
Si differatur brabium.

LXX.

Magnum nomen Domini Emanuel,
Quod annunciatum est per Gabriel,
Hodie apparuit in Israel,
Per Mariam virginem rex Joel.

LXXI.

Beatis nos adhibe
Beans vice cœlibe,
Rex cœlorum Domine.
Vt summo cum agmine

Stolis

Stolis albis candidi,
Charitate fervidi,
Modulando cantica
Fide votum mellica,
Tibi benedicamus,
Tibi laudum solva-
mus,
Dona cantu placido.
Throno cuius fulgido
Astat cum præconio
Angelorum concio.
In cœlesti solio
Laudat cum tripudio,
Carentem principio.
Quorum nos collegio
Tua miseratio
Jungat e vestigiò,
In cœli palatio.
Ne mora dispendio,
Scelerum collectio
Nostra sit contritio,
In arcto iudicio:
Sed qui more proprio
Donas in convivio
Annulum cum pallio,
Pœnitenti filio,
Pasto in exilio,
Porcorum cibario,
Pascat cum solennuo
Vultus tui visio,
In summo cœnobio,
Vbi pari gaudio,
Cum læto consortio,
Effundamus vario
Carminis indicio
Pia sine termino
Vota cordis intimi,
Et medullas animi,
Domino.

LXXII.

Trinæ vocis tripudio
Sonet concors discor-
dia,
Vt lingua mens &
actio
Pari concordent gra-
tia,
Trium dulcore con-
scio
Inebrietur sobria.

LXXIII.

Salvatoris hodie
Sanguis prægustatur,
In quo Sion filiæ
Stola candidatur.
Ecce nomen Domini
De longinquo venit
Hodie,quod homini
Perdito subvenit.
Ecce salva veritas,
Veraque salvatio,
Cuius in præputio
Literalis cæcitas
Terminum invenit.

LXXIV.

LXXIV.

Surſum corda elevata,
Dulci chorda reſonate,
Habemus Domino.
Non diſcordet vox à corde,
Sed concordet lyra chordæ,
Vt vitis pampino.
Argumentum ſine inſtantia,
Documentum ſine fallacia,
Cantu proſa,
Inſtrumentis dignis melodia.
Lætæ mentis exponit gaudia,
Vocis gloſſa:
Sanctus, Sanctus,
Sanctus, cantus
Eſt ſanctorum Angelorum,
Teſte Iſaia,
Patet quantus
Sit rex tantus,
Cui tantorum beatorum
Servit harmonia.
Cœli ſymphonia
Nos hortatur, ut canamus,
Et lætatur, dum cantamus
Angelorum chelys
Modulatu, dum clamamus
Oſanna in cœlis.
Ergo agnus veri Dei,
Magnæ magnus dator ſpei.
Qui tollis peccata,
Qui peccata mundi tollis,
Lege lata pœnas mollis,
Et emendas fata,
Miſerere miſerator
Verus veræ legislator
Leva pacis facem miſerator,
Miſerere legislator
Verus veram
Dona nobis pacem.

LXXV.

Inveſtigans ſemitas
Noſtræ redemptionis,
Deficit ſubtilitas
Humanæ rationis,
Arguit antiquitas
Vi conſequutionis,
Quod tulit fœcunditas
Labem corruptionis,

Omnis in hoc litera
Veterum consensit,
Si fuit puerpera,
Masculum præsensit.

LXXVI.

Isaias cecinit,
Synagoga meminit,
Iesse radix exeret
Virgam, virga profe-
ret
Florem, flos amigdala
Synagogæ scandala
Aridula virguncula
Vivificè florificat
Fructificat.
Ecce mysterium:
Virgo verbo peperit
Verum Dei filium.

LXXVII.

Leniter ex merito
Ferendum, quod pa-
timur.
Meremur ex debito
Pœnas, quibus subdi-
mur.
Quia dum deserimur
Deserentes Dominum,
Nec ad cor converti-
mur,
Mole pressi crimi-
num,
Pœnæ pœnam addi-
mus.
Longa reste trahimus
Peccatem implicitum,
A peccato genitum.

LXXVIII.

Latex silice,
Mel petra profluit:
Medulla cortice,
Manna terram com-
pluit,
In ardenti frutice
Flamma nil destruit,
Eijcit veterna
Regulum caverna
Dextera superna.
Spiritus emanat,
Literam complanat,
Sputo cæcum sanat
Lux de lumine
Suo sanguine,
Qui librum gratiæ
Scripsit immolatus.

LXXIX.

Regnum Dei vim pa-
titur,
Nec illuc quis admit-
titur,
Nisi seipsum vicerit.
Sed quem iudex, dum
venerit,
Invenerit victorem,
coronabitur.

LXXX.

LXXX.

Inter nos bellum geritur,
Quod vix, aut nunquam vincitur,
Dum caro vires exerit,
Si mens in id quod suggerit, consenserit,
Statim captiva trahitur
In spiritus exitium.
Mundus, caro, dæmonium,
Pari conspirant fœdere,
Parique certant scelere
Prærumpere
Virtutis adiutorium.

LXXXI.

Si Deus est animus,
Dij nostri sint animi:
Menti quod imprimimus,
Faciamus imprimi
Divinis operibus:
Sit in actibus,
Quod mens concipit:
Sit quod recipit,
Fides præcipit.
Nam ut lucis munere
Caret lampas vacua;
Sic & sine opere
Fides iacet mortua.

LXXXII.

Notum fecit Dominus
In conspectu gentium,
Angelis paulo minus
Coronavit socium,
Suæ carnis hominem;
Qui per virginem,
Et in virgine,
Et pro homine,
Sine semine,
Nostram carnem induit,
Servi formam capiens.
Quod erat non exuit,
Quod non erat vestiens.
Angelus consilij
Nobis sit consilio
Incarnati filij.
Nova incarnatio
Innovans vos renovet,
Carnis titillatio
Nos in vitio
Quos conceptio,
Sic matris quod filiæ
Suo partu foveat
Flore pudicitiæ

Caro noſtra floreat.
O fœlix commercium,
Deſcendens ut pluvia
Virginis in gremium,
Qui creavit omnia:
Ex compluto vellere
Grato fœdere
Agnus naſcitur,
Natus patitur,
Paſſus moritur,
Morte mortem de-
ſtruit,
Die ſurgens tertia.
Et Goliath corruit
Sua perdens ſpolia.
Nihil eſt incertius
Rebus in ambiguis
Hora mortis:
Certius morte
Nihil aſtruis.
Ergo mori cogites,
Mortem dubites,
Ne ſit impia
Vita vitia,
Chriſti gratia
Ne ſit in te vacua,
Conſtans ſis & azy-
mus,
Fides non eſt mortua
Si Deus eſt animus.

LXXXIII.

Flebiles & miſeri,
Qui caſtra ſequuntur:
Annos enim ſeculi
Suos largiuntur.
Sicque dies proſperi
Sibi mentiuntur,
Quòd efficiuntur
Hæredes Luciferi,
Nec promitti crimini
Se reminiſcuntur.

LXXXIV.

Plaude Cantuaria
Laudans ſalvatorem,
Cuius dedit gratia
Tibi protectorem,
Plenum ſanctimonia,
Vigilem paſtorem,
Suae carnis hoſtia
Chriſti ſecutorem.
Pro ſuis ovibus
Se opponens hoſtibus,
Mortem non abhorru-
it:
Sed flexis poplitibus
Seſe Deo precibus
Commendans, ut do-
cuit
Caput cadens enſibus:
Caeſus à militibus,
Quod vita promeruit,
Laetus ſumpſit prae-
mium,
Curſus ſui brabium

Con-

Consumans martyrium,
Deus ut dispofuit
Infra matris gremium.

LXXXV.

A solis ortus cardine
Præcessit solis radius,
Dum apparens in homine
Missus à patre filius
Elegit sine semine
Virgo nasci de virgine,
Et stans inter nos medius:
Licet eclipsim nescius,
Involutos caligine,
Non respexit lumine
Mortem, quam mortis nuncius
Induxerat pro crimine,
Suo damnavit sanguine,
Et reduxit in melius,
Quicquid erat deterius.

LXXXVI.

Gaudet chorus cœlestium,
Fit & mundo lætitia,
Quod virginis in gremium
Descendit sicut pluvia
Qui vetus solvat odium,
Per crucis beneficium
Fit amota custodia,
Regressus ad cœlestia.
Stella producit radium,
Virga florem convallium,
Qui nova condit omnia,
Qui reverentem filium
Secum traxit ad prandium,
Et recepta substantia
Sanctis æquat in gloria.

LXXXVII.

Gratuletur Ecclesia
Repræsentans insignia
Paracleti solennia.
Digna quidem egregiæ
Commendari memoriæ,
Cum verus Sol iustitiæ
Corda suorum hodie
Suo replet meridie,
Zelo misericordiæ,
Et amoris intuitu

Corda fœcundat ſpiritu.
Quæ dum reputat ebria
Iudæorum væſania,
Magis effecta ſobria,
Fantur Dei magnalia.

LXXXVIII.

Veni doctor prævie
Spiritus ſcientiæ,
Dono cujus gratiæ
Laudes ſonant ſobriè,
Chriſto regi gloriæ,
Qui natus potentiæ
Clauſas tranſit hodie
Portas matris filiæ.
Per hunc datus adveni,
Et nos ſemper præveni,
Sancte ſanctis debite
Clemens & paraclete.
Per te fiunt cognitæ
Veritatis ſemitæ,
Spes & dator gaudij,
Et veri conſilij
Spiritus reple
Sacro flamine
CongregatosDomine,
Sub illius nomine
Qui natus de virgine
Homo fit pro homine,
Vt mundum à crimine
Mundo mundaret ſanguine.
Tu patri,tu filio
Compar in imperio,
Commune ſolatium
Cuius ad auxilium
Vota pendent omnium.
Corda ſana ſaucia
Vt pari concordia
Sonet oris gloria.
Fidem da cum opere,
Ne ſit vanum credere.
Ex oliva fidei
Vt ſons fluat olei
Fidelium,
Et tui præcipui
Aeterni ac perpetui
Amoris vinculo,
Et pacis oſculo,
Aſtringe ſedulo
Clerum cum populo,
Vt tandem querulo
Tranſacto ſeculo,
Sit in propatulo,
Quod mentis oculo
Cernit in ſpeculo.
Et ne munuſculo
Torpeſcat æmulo,
Vis amoris.
In eorum pectore,
Dum

Dum adhuc in corpore
Brevi manent tempore.
Spe, metu, quod famulis
Alimentis sedulis
Ignem accende.

LXXXIX.

Veni creator Spiritus,
Spiritus recreator,
Tu dans,tu datus cœlitus,
Tu donum,tu donator
Tu rex, tu digitus
Alens & alitus,
Spirans & spiritus,
Spiratus & spirator.
Tu septiformis gratiæ,
Dans septiforme donum,
Virtutis septifariæ,
Septem petitionum.
Tu nix non defluens,
Ignis non destruens,
Pugil non metuens,
Propinator sermonum.
Ergo accende sensibus
Tu, te, lumen & flamen.
Tu te inspira cordibus,
Qui es vitæ spiramen.
Tu sol, tu radius,
Mittens & nuncius,
Persona tertius
Salva nos, Amen.

XC.

Visitavit rex cœlorum
Hominum laborem,
Et sanavit languidorum
Vulnus & languorem.
Incarnatus est natus
Contra matrum morem,
Matris florem, & decorem
Servans & pudorem.
Deus invisibilis
Pro nobis fit passibilis,
Mortis frangit ostia,
Forti potentia
Vitam donat,
Nos coronat
Sua gratia.
Eia rex fugatur impius,
Eia Dei filius
Mala nostra sustinet,
Mali nescius.

XCI.
Librum clausum,& signatum,
Breve verbum explanavit.
Textum typis obumbratum
Verbi glossa declaravit.
Vt esset verbi glossula
In nostræ carnis schedula
Verbum pacis figuravit.

XCII.
Rudes qui vult erudire,
Tanquam iactis fundamentis,
Viam solet aperire
Alphabeti rudimentis,
Vt sit legendi formula,
Chartam affigit in tabula
Figuratam elementis.

XCIII.
Pater noster commiserans.
Filiorum excessibus,
Eos falli considerans
In peccati contractibus,
Tutorem sibi dirigit,
Qui pro pupillis transfigit,
Vitam morte mercatur.
In pœna culpam destruit,
Scelus in vero diluit,
Vincit,cum iudicatur.
Quicunque vult salvus esse,
Attendat subtilius,
Quod velut nescit obesse
Intra solis radios,
Sic servantur primitiæ
Carnis matris & filiæ.
Ne stupeat natura:
Eius enim destruere,
Cuius fuit & condere
Fragilitatis cura.

XCIV.
Scrutator alme cordium,
Lumen verum de lumine,
Redemptor & fidelium,
Homo factus pro homine,

Cum

Cum lachrymarum
flumine
Tuum peto præsidium
Ne intres in iudicium
Cum servo tuo Domine.

XCV.

Veri, vitis germine
Plantatoris germinat,
Verus orto lumine
Noctem sol exterminat,
Dum natus de virgine,
Summi patris numine,
Criminis ab homine
Iugum rex eliminat.
Iudæa revertere
Crucis ad signaculum,
Aut iam patens rumpere
Recolens oraculum.
Nam quod umbram
literæ,
Renuit detegere,
Virginis sub ubere
Rex signat ad oculum.
O salubris unio
Mira nuptæ novitas
Matris puerperio
Respirat integritas,
Quæ sit hæc conceptio
Nulla fiat * præscio.
Quod nescit discretio
Redimat fidelitas.

XCVI.

Magnificat anima mea
Dominum,
Qui iudicat verba,
cor, renes hominum:
Ponensque mortis
terminum,
Per Adam propagatæ,
Exterminans pristini
Semens gemitus,
Et seminat gaudia,
Nobis spem gratia
Pluens cœlitùs
Vitæ ros innovatæ.
Qui despicit populi
Fastus veteris,
Et respicit ancillæ
Fletum pauperis.
Proles humani generis
Iam me beatam dicent
Ostendunt Dei semitas
Patentes ab initio
Pius amor & veritas.
Sed præminet iudicio,
Quæ non turbatur odio
Dulcis eius benignitas.

Neque frigeſcit ſenio,
Sed ſemper ſine tædio
Fervet paterna charitas.
Ergo Dominum timentes
Ieiunæ mentis macie
Panis affertur gratiæ.
Solve læta ieiunium,
Reſpira mens ad gaudium,
Granum cœleſtis patriæ
Mortis in exterminium,
Vitæ largitur prandium,
Pulſa cordis eſurie,
Quod Deus implet bonis,
Iam ſolvens quod promiſerat
Abrahæ ſancto ſemini:
Summis ima confœderat,
Deſcendens verbum Domini,
Pacem reportans homini,
Librumque clauſum reſerat
Vnita carne numini.
Quod eſt conceſſum nemini,
Niſi quem virgo generat,
Quæ matris eſt origo.

XCVII.

Surget in propatulo
Lux æternæ gloriæ,
Ortus eſt de rivulo
Fons miſericordiæ,
Vim ducit à ſurculo
Radix veniæ,
Per quem tempus gratiæ
Datur ſeculo.
Floret Ieſſe virgula
Rore plena cœlico,
Fuge Evæ nebula
Eventu non longinquo,
Dum Chriſti virguncula
Non lubrico
Spem ponit, ſed ſedula
Servit unico.
Neſcius deficere
Defectus ingreditur,
Angelicum vivere
Famem ſitim patitur,
Tentans ſed temerè,
Mors incurritur:

Sed

Sed tamen extingui-
tur
Orco sidereo.

XCVIII.

Resurgente Domino
Ei corresurgamus,
Qui reatu pristino
Detrusi fueramus
Sub inferni latebris,
Exurgamus tenebris.
Tersa labe criminum,
Fateamur Dominum
Resurgere, cùm voce,
Tum opere.
Mors & Christus ac-
cinguntur
Ad luctam, aggrediun-
tur
Certamen, occiditur
Christus, mors excidi-
tur,
Et vincendo vincitur.

XCIX.

Ave Iesu Christe
Verbum patris, filius
Virginis, salus
Mundi, hostia sacra,
Fons pietatis.
Ave lumen cœli,
Precium mundi,
Gaudium nostrum,
Cordibus iubilus
Rex & sponsus
Virginitatis.
Ave via dulcis,
Veritatis summa,
Præmium nostrum,
Charitas vera,
Fons amoris,
Pax, dulcedo, requies,
Nostra vita perennis.

C.

Hac in die Gedeonis
Ros mundi novit adi-
tus,
Per quam princeps
Babylonis
Fit Babyloni subditus.
Verbum caro Deus
Homo creans fit cre-
atus,
Quod in virginali
Domo fuit humana-
tum
Germinavit radix Ies-
se,
Vt humanum Deus
esse
Terminaret per neces-
se,
Qui cum suis voluit
unus esse.

CI.

Hæc est dies trium-
phalis, Mun-

Mundo grata perdito:
Solamen noſtris malis, dans
Hoſte iugo ſubdito.
Hæc eſt dies ſpecialis,
Tanto nitens merito:
Quòd peccati ſit finalis
Mali malo irrito.
Duce fraudis demolito
Terris pax indicitur,
Et exhauſto aconito
Salus ægris redditur.
Morte mortis morſu trito
Vitæ ſpes infunditur:
Clauſtro peſtis inanito
Nefas omne pellitur.
Cum nos Chriſtus fœcundare
Tanto vellet fœdere:
Et ſe morti gratis dare
Pro reorum ſcelere.
Iure decet hunc laudare,
Et ei conſurgere,
Paſcha novum celebrare,
Corde, voce, & opere.

CII.

De naturæ fracto iure
Ratio miratur,
Sicut docet litera,
Virgo fit puerpera,
Virilis expers ſeminis,
Alvus tumeſcit virginis,
Rex hominis
In virgine ſervata,
Verbum patris, lux æterna,
Luce lucet hodierna.
Lucet lux in tenebris,
Se latebris noſtræ carnis
Palliat,
Neque minus radiat
Deitas veſtita.
Quid pervertis, nec advertis
Legis ad umbracula
Iudæa incredula?
Mentem legis malè legis
Medullam corticis
Nec elicis, vanis
Hærens, docens vana:
Dum de ſpica

Pa-

Paleas quaſi teneas
Colligis, non grana.

CIII.

Novum ſibi texuit
Dominus lumbare,
Volens quod computruit
In hoc compenſare,
Sterilis lætare.
Nam tot Chriſto paries,
Vt Iudæum ſupplantare
Tuus poſſit paries.
Prius tactu fimbriæ
Menſtrua curatur,
Iayri quàm filiæ
Sanitas reddatur.
Per portam intratur
Camelis gentilium,
Nec Helias aſpernatur
Viduæ tugurium.
Eſau repudiat Iacob,
Chriſtus gratis vocat.
Annunciat fide trinitatis,
Cuius dignitatis
Signum dedit gentibus:
Iacob natis, cancellatis
Benedicens manibus.

CIV.

Relegata vetuſtate
Vetus homo renovetur,
Vt in ſancta novitate
Sanctum paſcha celebretur,
Et in malis deformatus
Chriſto pſallat reformatus,
Vt eidem conformetur.
Mec te credas renovari,
Niſi prius expurgari
Mentem velis à fermento:
Quia verus agnus
ſum, memento
Pro te paſſus immolari
Veræ lucis matutino
Non legali, ſed divino
Agno decet reſurgere
Corde, ore, & opere:
Sic benedicamus Domino.

CV.

CV.

Relegentur ab area
Fidelis conſcientiæ
Lutum, later, & palea
Servitutis Aegyptiæ.
Preſſuris mancipati
Sint libertatis hodie
Charactere ſignati.
Clauſus in teſta figulus
Vnivit ſibi fictile:
Fons idem, fons & rivulus,
Immò fluentum ſtabile,
Se nobis propinavit,
Aſſumensque mutabile
Quod erat, non mutavit.
Ad vitem pullus, aſina
Colligatur ad vineam,
Vitæ panduntur limina,
Quibus amovit rompheam,
Cuius virtute ſarcina
Legalis leviatur,
Novellæ vetus pagina
Spiritu complanatur.

CVI.

Præſens qui colit gaudium,
Penſet æterni præmium,
In eum conferat ſtudium
Facta qui ponderat omnium.

CVII.

Gratuletur populus
Pro ſalute populi,
Quam deſignat baculus
Noſter ſignans baculi
Aaron myſterium.
Nec caret myſterio.
Quòd virga tam arida,
Et loco tam arido
Florens fructum edidit.
Sic virgo fit gravida,
Sed non ventre gravido
Virginalis perdidit
Floris beneficium,
Fructus beneficio.

CVIII.

Gloria in excelſis Deo

Redemptori meo Ga-
lilæo
Sidereo binæ
Maiestatis : & in ter-
ra
Pax hominibus,
Non tamen omnibus.
Ergo quibus ? fideli-
bus,
Bonæ voluntatis.
Hinc amor, inde tre-
mor,
Manet utrumque pre-
mor.
Alleluia expositum,
Laudate invisibile,
Patrem, Filium, Spiri-
tum,
Magnum, ruffum,
Et humilem Christe,
Nostrum electrum,
Tu lyræ nostræ ple-
ctrum
Angelicis adapta,
Formam nostram re-
forma.
Nos angelis conforma
Captivitate capta,
Rogo sit gloria
Patri & filio,
Et sit laus tertia
Flamini tertio:

Patri potentia,
Nato scientia,
Flamini bonitas:
Trina est gratia,
Vna essentia,
Aequalis deitas.

CIX.

Mens fidem seminat,
Fides spem geminat,
Charitas exterminat
Metum, & eliminat
Mentem illuminat,
Germen fit de semine,
Florem germen pro-
pinat,
Fructum flos propa-
ginat,
Virtus fit hoc ordine,
Fides spei
Spes est ei,
Radix & initium.
Quæ sola maior om-
nium,
Extrema ligans medi-
um.
Quæ vitium declinat,
Ocium vitat,
Nos invitat,
Cursus ad stadium,
Vitæ brabium.
Mentem ditat,
Fidem spes maritat,
Miscet

Miſcet harmonias,
Parit varias melodias,
Charitas eſt bonum
Mentem quòd illuminat,
Per gratiam veræ lucis
Donum, mentem
quod iuſtificat,
Tenebras & purificat.
Hanc ſitias,
Vana ſcias,
Linguas, prophetias,
Verum appetas:
Hanc tu ſapias,
Hanc tu cupias.
Alias devias,
Per hanc fugias,
Arbor fias,
Vt bonum parias
Fructum in odorem.

CX.

Lætetur iuſtus,
Glorietur in Domino,
Vitæ termino,
Qui vitam divino
Firmat glutino.
Veneretur laus hodierna,
Quo iuvetur ſpes interna,
Cuius vita
Viæ ſit lucerna,
Quæ noctis à ciſterna
Nos transfert ad ſuperna,
Vbi nos ſerenat lux æterna.

CXI.

Homo natus ad laborem,
Cui ſtatus tuæ morem
Sortis conſidera
Propenſius, me parcius
Querelis aſpera.
Queſtus ergo reprime
Nec animæ quod miſeræ
Commiſeris, quod pateris,
Miſer impropera.
In abyſſum culpæ
Ducis, quæ commiſſum opus
Ducis, procuras temerè.
Me perimis, cum opprimis
Peccati pondere.
Tibi nomen animæ
Iam adime, quia rectè
Non

Non animas,
Cum perimas
Me mortis ope.

CXII.

In hoc ortus occidente
Sole, mergens de torrente
Illuminat tenebras:
Noſtræ ſortis umbra tectus,
Fert languores & defectus,
Morte mortem terminans.
Obumbravit mortis flumen,
Quæ concepit ſalvo lumen
Pudoris ſignacula,
Parit nata genitorem
Factor ſecli ſupra morem,
Factus eſt in ſeculo.
Quæ dum reum ſoluit gratis,
Obviatrix veritatis
Fit miſericordia.
Et de luto pax erexit,
Et de cœlo nos proſpexit
Liberans iuſticia.

CXIII.

Excuſet, quæ vim intulit
Virtutis præminentia,
Si qua laudator obtulit
Quæ factis ſint imparia.
Non enim mihi detulit
Affectus mei copia,
Cum me iactare compulit
Contra tenentem brachia.
Mentis fugat à limine
Actus omnis rubiginem,
Et in pœnæ libramine
Servat hunc iuris ordinem.
Quod dum penſat in homine
Conditoris imaginem
Ex innata dulcedine
Vtravis punit hominem.
O ſi facta diſcerneres,
Quorum metitur exitum,
Non ſolum tibi te crederes

Sed toti mundo genitum,
Quo plus suum disquireres
Plus abundaret meritum,
Fontem prius ebiberes
Quàm inaniret spiritum.

CXIV.

Ad cor tuum revertere
Conditionis miseræ
Homo cur spernis vivere,
Cur dedicas te vitijs,
Cur indulges malicijs?
Cur excessus non corrigis,
Nec gressus tuos dirigis,
In semitis iusticiæ:
Sed contra te quotidie
Iram Dei exasperas.
In te succiri metue
Radices ficus fatuæ,
Cum fructus nullos afferas.
O conditio misera,
Considera quam aspera
Sit hic vita, mors altera:
Quæ sic immutat statum,
Cur non purgas reatum,
Sine mora, cum sit hora
Tibi mortis incognita:
Et invita charitas,
Quæ non proficit, prorsus
Aret & deficit,
Nec efficit beatum.
Si vocatus ad nuptias
Advenias sine veste
Nuptiali, à curia regali
Expelleris, & obviam
Si veneris sponso,
Lampade vacua,
Et quasi virgo fatua.
Ergo vide ne dormias,
Sed vigilans aperias
Domino, cum pulsaverit:
Beatus, quem invenerit
Vigilantem, cum invenerit

CXV.

Bonum est confidere
In dominorum Domino, Bo-

Bonum eſt ſpem ponere
In ſpei noſtræ termino,
Qui de regum potentia
Non Dei clementia
Spem concipis.
Te decipis,& excipis
Ab aula ſummi principis.
Quid inopum aggere
Exaggeras peccatum,
In Deo cogitatum
Tuum iacta, prius acta
Studeas corrigere
In labore manuum,
Et ſudore vultuum
Tuo pane veſcere.

CXVI.

Dum medium ſilentium
Tenerent legis apices,
Et lucere dominium
Regnari apud ſupplices
Extendit pater brachium,
In quo ſi rectè iudices
Regnum & ſacerdotium
Reliquit inde iudices,
De tenebris hiſtoriæ
Proceſſit ſol iuſticiæ.

CXVII.

Vanitas vanitatum
Et omnia vanitas,
Sed noſtra ſic malignitas
Cor habet induratum,
Vt verbum ſeminatum
Suffocet mox cupiditas
Opum & dignitatum,
Licet ſit nobis ratum,
Quàm ſit acerba
Proprio iudicio
Conditio magnatum,
Qui maiori diſcrimine,
Quàm crimine
Et iugibus
Mereantur cruciatibus
Aeternum cruciatum.

CXVIII.

Veritas veritatum,
Via,vita, veritas,
Per veritatis ſemitas
Eliminans peccatum,
Te verbum incarnatum
Clamant fides , ſpes, charitas.

Tu primæ pacis ſtatum
Reformans poſt reatum,
Tu poſt carnis delicias
Das gratias,
Vt facias beatum,
O quàm mira potentia,
Quàm regia vox principis
Cum ægrotanti præcipis,
Surge tolle grabatum.

CXIX.

Vitæ perditæ
Me legi ſubdideram,
Minus licitè
Dum fregi
Quod voveram:
Sed ad vitæ veſperam
Corrigendum legi,
Quicquid ante perperam
Puerilis egi.

CXX.

Vetus abit litera
Ritus abit veterum,
Dat virgo puerpera
Novum nobis puerum,
Munus ſalùtiferum,
Regem & presbyterum,
Qui complanans aſpera
Firmat pacis fœdera
Purgatorem ſcelerum.

CXXI.

Kyrie fons bonitatis pater ingenite,
A quo cuncta bona procedunt,
Eleyſon.
Chriſte hagye
Cœli compos, regiæ
Melos gloriæ:
Cui ſemper aſtans
Pro numine angelorum
Decantat apex Eleyſon.
Kyrie Spiritus alme,
Cohærens patri natoque
Vnius uſiæ,
Conſiſtendo ſlans de utroque,
Eleyſon.
Cunctipotens genitor
Deus omnicreator,
Eleyſon.
Chriſte Dei ſplendor,
Eleyſon.
Amborum ſacrum
ſpiramen

Ne-

Nexus amorque,
Eleyson.

CXXII.

Quem pium
Benedicit turma
In terris fidelium,
Munda
Miscentium
Supernis choreis carmina,
Gemens quòd peccati
Premebatur sarcina,
Eras humilis actu
Mortis dira ferens,
Vt nostra pianda piares.
Ad vitam surgens,
Vt nos sic iustificares:
Cœlos ascendens,
Vt nos in pace locares.

CXXIII.

Homo, quo vigeas,
Vide Dei fidei adhæreas,
In spe gaudeas,
Et in fide intus ardeas,
Foris luceas,
Turturi retorqueas
Os ad fiscellas.
Docens ita
Verba vita
Oris vomere.
De cordibus fidelium
Evellas lolium, lilium
Insere rosæ, ut alium
Per hoc corripere
Speciose valeas.
Virtuti, saluti
Omnium studeas,
Noxias delicias
Detesteris, opera
Considera:
Quæ si non feceris,
Damnaberis.
Hac in via militans
Gratiæ, & præmia cogitans
Patriæ, & sic tuum
Cor in perpetuum
Gaudebit.

CXXIV.

Crucifigat omnes Domini
Crux altera,
Nova Christi vulnera
Arbor salutifera
Perditur, sepulchrum
Gens evertit extera,
Violente plena
Gente sola
Sedet civitas,
Agni fœdus

Rapit hœdus.
Plorat doctus perditos
Sponſa Syon immolatur,
Ananias incuruatur,
Cornu David flagellatur,
Mundus,
Ab iniuſtis abdicatur,
Per quem iuſtè iudicatur.

CXXV.

Heliſæi manubrio
Securis adoptio
Non vero fit connubio
Emerſio de fluvio
Se præbuit, quæ latuit
Iam patuit & affluit
Redemptio conſilio
Parentis
Seu reſtauratio
Chriſte commercio
Naſcentis.

CXXVI.

Rege mentem
Et ordina, ſub trutina,
Quæ niſi paret
Imperat, ſed ſuperat,
Et ſuperans eliminat
Honeſtum & iuſticiam
Sequeſtrat, exterminat
A ſe virtutis gloriam.

CXXVII.

Ex ſemine Abrahæ,
Divino moderamine
Igne pro lumine
Producis Domine,
Hominis ſalutem paupertate,
Nuda virginis nativitate
De tribu Iuda
Iam proprias ovum,
Per natale novum,
Piſcem, panem dabis
Partum ſine ſemine.

CXXVIII.

Gyrant & regyrant
Clypeos pugiles,
Laudes ut requirant
Se reddunt mobiles,
Adverſus debiles
Sic reges, nobiles
Ad pugnandum ſpirant:
Sed quicquid delirant
Plectuntur humiles.

CXXIX.

Ne redeas
Sortis ad aleas,

Sed transeas
Mundi per-paleas:
Et ſtudeas,ut timeas,
A te removeas,
Vt floreas,
Vitæ per laureas
Et ſic eas,
Vt eas habeas,
Vt gaudeas,
Adhæreas,
Perdere timeas,
Ne careas,
Summiter teneas,
Vt tenuerunt.

CXXX.

Rex pacifice,
Vnicæ matris unice,
Honorifice
Miniſtrantibus
Cœli civibus
Da ſolium egregium.
Præceperis de cuius
Munere præſentia,
Millia cœli publicè
Gaudent, quia regio
Stirpis Davidicæ,
Proles adparticipium,
Regni ungitur civium
Conſortium verbi beneficum,
Vbi noſtrum præmium
Iubet noſtri filia
Summa cum lætitia,
Vbi ſummo præmio
Cum electis finitur:
Vbi noſcit & noſcitur,
Vbi pane patriæ paſcitur,
Vbi regis gloriæ cernitur
Facies, ubi quies
Quietè ſequitur,
Vbi ſanctorum acies
Regnat.

CXXXI.

Si verè
Vis adhærere,
Vti palmes, meas,
Et floreas,
Opere properè
Tutus igneum
Supplicium,humilium
Sequaris contubernium,
Sis convallium lilium,
Sit tua virtus ſtudium
Sterquilinium mundans ſordidum.
Gratiæ per auxilium,
Fortium fortis gere prælium,
Per ſtadium,
Nitaris ut cœleſtium

Brabium feceris in
feculum.

CXXXII.

Tanquam fucipit
Vellus pluvium,
Ita percipit,
Dum concipit
Virgo propriam
Domini gratiam.
Novus ufus
Per Mariam
Novi partus incipit,
In qua natura decipit,
Dum fic accipit
Intra viri nefciam
Hominis fubftantiam.
Rex qui per iufticiam
Corripit omnem maliciam,
Et peccatum eripit,
Et dat veniam.

CXXXIII.

Deum quærite,
Deum totis viribus
diligite:
In Deo vero,
Non operibus, fpem
ponite:
Opes vanas fugite,
Ne cor apponatis:
Sic mentis follicitæ
Curas abfconditas,
Vt rerum vanitatis
Amor pereat,
Sicque penitus
Munda Deo placeat,
Vt folamen fpiritus,
Tibi cœlitùs,
Dari gaudeat gratis.

CXXXIV.

Ecclefiæ ex hodie
Solennia iuftus,
Recenfeat, fubfideat,
Virtutibus & laudibus
Obtineat fidelium,
Sicut lilium,
Devotio germinet,
Sed proprio fcrutinio
examinat,
Spem charitas nutriat,
Quam firmitas fidei
muniat,
Solennitas Deo fic
placeat,
Floreat in æternum,
Et florebit.

CXXXV.

Ex flore gratiæ
Tuæ mifericordiæ
Servus tuus ifte
Chrifte viget hodie,
Confors cœleftis gloriæ:
Qui

Qui piè, ſobriè,
Pudicè, caſtè,
Prudenter, quietè,
Ambulans immacula-
tè
Tuæ legis in beatæ
Via recta Domine
Per hoc habere
Claritatem lucis veræ
Quæ ſemper clareſcit
more
Coram ſummo incly-
tè,
Vbi quies, & non la-
bor:
Vbi gaudium, non do-
lor:
Vbi nec metus, nec
mœror:
Vbi iuſtus probitate
Dignus, & vitæ bea-
tæ
Munere, ſine funere
Florebit, ſic floret iu-
ſtè
Dei ſervus iſte
In æternum.

CXXXVI.

Flos aſcendit de radi-
ce
Virgo Ieſſe,
Myſticæ prophetiæ
Verſa vice,
Verbum reſpice
Cum reſpice
Partu pro fœlice
Prolis unice
Futurum deſpice,
Iudaicæ plebis unice
Vbi catholice
Virgo Dei genitrice
Facta ſi vivificè
Dic melicè
Flos filius eius.

CXXXVII.

Iuſtè vivere,
Præmia cœleſtia per-
quirere
Mentibus ſagacibus
requirere
Quem pium ſit crede-
re
Quid homo de pul-
vere
Cuius ſit ex cinere
Nephas eſt confidere.
Sub tali fœdere
Non deficient,
Quid ſi ſentiant,
Fontem interficient
Et quod potum hau-
rient,
Mortem fugient,
Vitam capiant verè.

CXXXVIII.

Mulierum gnatus eſt
Maior natus hodie
Hoc eſt ſidus ſide-
rum
Quem ſol iuſticiæ
Miſit ut luciferum.
Hic eſt prophetiæ
Patrum iubar vete-
rum,
Hic præcurſor gratiæ,
Hunc dignare puerum
Chriſte ſanctificare,
Matris uterum
Dum vult ſterilem
Fœcundare,
Teſtis venit operum
Agnum digito mon-
ſtrare,
Et mundatorem ſce-
lerum
In lavacro mundare.

CXXXIX.

Mulieris marcens
Venter dum vireſcit,
Dum ſenectus
Sera iuveneſcit,
Legis nubes,
Novus pubes
Natus eluceſcit.
Pariture prædicat
Plebi, quæ receſſit
Virtus ob inſtantiam
Legis ut areſcit.
Tempus gratum gra-
tiæ,
Quæ prius detexit
Vias pœnitentiæ,
Per quas nos prove-
xit:
Nam matris ex ſemine
Natus maior non ſur-
rexit.

CXL.

Opus operare,
Quod per crucem
aræ
Te conformes & re-
formes
Dona perdita,
Mundi mendacis.
Vita ſit in arcto, vita
Quo poſt finem dilate-
ris,
Firmans greſſus,
Per inceſſus,
Boni operis.
Et quam prius
Culpæ palus
Merſit, ut tibi ſit ſa-
lus,
Confitendo te ſincera
Digna Deo gerens o-
pera.

CXLI.

CXLI.
Scandit solium patri-
um,
Secum ferens præmi-
um
Christus hostium:
Cuius morte, vita
Nobis est reddita.
Cuius est stadium,
Canite semita,
Rerum sacrificium:
Qui sanguinem pro-
prium
Offerens ovium,
Ad suffragium,
Præstat remedium,
Purgat vitium.

CXLII.
Stupeat natura,
Fracta sua iura,
Virgine fœcunda
Omnis creatura,
Sua pro mensura,
Hac in genitura,
Iubili iucunda,
Vota placitura,
Lingua det facunda
Laude non obscura,
Psallat plebs gratula-
bunda.
Communi censura,
Sit hæc nobis cura,
Lenis & non dura,
Voce lætabunda.
Nam sine iactura,
Parit parens pura,
Virgo manens munda.

CXLIII.
Dat superis inferis
Gaudia præ cæteris,
Vitæ victoria,
Rutilant insignia.
Mors fugias,
Et rapias minas
Hinc impias,
Implicitum gemitum
Parias rex sideris
Aetheris iam vias
Dat pervias,
Dat varias delicias
Celebris hæc dies.

CXLIV.
Larga manu seminavi,
Granum hoc frumen-
ti,
Terræ bonæ commen-
datum
Hora competenti.
Nisi morte sit munda-
tum
Vitam conferenti
Non resurget duplica-
tum
Sibi, vel ferenti.

Igi-

Igitur præmoritur,
Sic ad vitam reducitur
Iuſtum deificum,
Tropuum cœlicum
Granum & triticum
Glorificum,
Sed ex uno reliquum.

CXLV.

Spes eſt miſeris
Culpæ veteris
Exterminium,
Vita morituris
Vincit dubium
Lumen in obſcuris
Semper præmium,
Fidei veſtigium
De bonis futuris
Iuſto gaudium,
Tollit tædium
De via ſideris
Gravis dat oneris
Dulce remedium.

CXLVI.

Viam rident veritatis
Semitam iuſtitiæ,
Gentium primitiæ.
Dum ad limen pietatis
Pium regem gloriæ
Mentibus illuminatis,
Tres de doño gratiæ
Veniunt, & reſeratis
Theſauris pecuniæ,
Ductu ſtellæ præviæ
Trinum & unum datis
Tribus adorant hodie.

CXLVII.

Præmij dilatio,
Meriti ſupplicium,
Quod potentum vitio
Cedit in proverbium,
Devotis obſequio,
Qui ſuſpendunt præmium
Ne recepto præmio
Declinet obſequium.
Sed quo plus ſuſpenditur,
Plus venturum venditur,
Voto longo venditum
Perdit munus meritum.

CXLVIII.

De monte lapis ſcinditur
Mirabili miraculo
Ab illo cum diſiungitur,
Non manus adminiculo
Lapis hic intelligitur,
Quem

Quem Salomon in angulo
Templi perfecti dicitur
Corde locasse sedulo.

CANTILENA ABBAtis Vrspergensis, ante 300. annos composita.

FACTA est, inquit Vrspergensis, haec abusio, ut fieret quasi portentum multarum abusionum, quae subsecutae sunt in terris. Vix enim remansit aliquis Episcopatus, sive dignitas Ecclesiastica, vel etiam parochialis Ecclesia, quae non fieret litigiosa, & Romam deduceretur, ipsa causa, sed non manu vacua.

Gaude mater nostra Roma,
Quoniam aperiuntur cataractae
Thesaurorum
In terra,
Vt ad te confluant rivi & aggeres nummorum
In magna copia.
Laetare super iniquitate filiorum hominum,
Quoniam in recompensationem tantorum malorum
Datur tibi precium.
Iucundare super adiutrice tua discordia,
Quae erupit de puteo infernalis abyssi.
Vt accumulentur tibi
Multa pecuniarum praemia.
Habes quod semper sitisti,
Decanta canticum,
Quia per maliciam hominum,
Non per tuam religionem,
Orbem vicisti.
Ad te trahit homines
Non ipsorum devotio,
Aut pura conscientia,
Sed scelerum multiplicium perpetratio,
Et litium decisio
Precio comparata.

EX

EX QVODAM HYMNO, quem adhuc canunt papistæ in Ecclesia, de communione sub utraque specie.

DEDIT fragilibus corporis ferculum,
Dedit & triſtibus ſanguinis poculum,
Dicens: Accipite, quod trado vaſculum,
Omnes ex eo bibite.
Sic ſacrificium inſtituit,
Cuius officium committi voluit
Solis presbyteris,
Quibus ſic congruit,
Vt ſumant, & dent cæteris.

CLERI FLETVS: HOC EST, DEPLORATIO perditæ maliciæ Clericorum, ſeu Spiritualium Antichriſti, olim ante annos 100. vel amplius, ab aliquo pio, templi Domini repurgationem videre cupiente, conſcripta.

MVNDVS falſo dictus mundus,
Quare fœdus & immundus,
Me commonet aſſumere
Ponderoſum mihi pondus,
Quod vereor verecundus
Aggredi & dimittere.
Nam tot & tantas video
Iniquitates in eo
Quotidie pullulare:
Quare inde nimis ſtupeo,
Et reticere timeo,
Et horreo recitare.
Libens tum arguerem,
Et palam reprehenderem
Mala, quæ ſæpe video,
Si proficere crederem,
Et ſi talis exiſterem,
Qui fuiſſem dignus eo.

Sed

Sed indignum me
sentio,
Et laborare timeo
Et in vanum hoc fe-
cisse.
Nam maiores me vi-
deo,
Laborasse super eo.
Et minimè profecisse.
Item veritas odium
Parit hodie nimium,
Et propter hoc in-
currere
Vereor iram populi.
Nam ferè mos est om-
nium,
Non se velle corripi.
Et ideo me fari
Bonum est,& silere.
Sed immensitas crimi-
num
Me compellit expri-
mere,
Et varias arguere
Enormitates homi-
num.
Præcipuè clerico-
rum,
Qui deberent esse mo-
rum
Exempla, & sancti-
tis:

Sed magis sunt ne-
quitiæ,
Exemplar, & maliciæ,
Et in verbo veritatis.
Non Christus malig-
niores
Comperit, & nequio-
res,
Quàm principes sa-
cerdotum,
Quàm scribas & Pha-
risæos,
Sed & nunc videmus
eos
Vbique per orbem
totum.
De Christi patrimo-
nio
Eos in omni vitio,
Christo constat adver-
sari.
O quàm gravis præ-
sumptio,
Adversari de proprio
Cui debet famulari?
Pro peccatis mortu-
orum
Pauperum & misero-
rum
Capiunt eleemosynas,
Quas in excessum ci-
borum

Ver-

Vertunt, & veſtimentorum,
Et in turrium machinas.
Vltra victum & veſtitum
Simplicem, non exquiſitum,
Quidquid habent reſidui,
Dare debent pauperibus:
Sed vaſtant in exceſſibus,
Quibus illi debent frui.
O quàm crimen peſtiferum,
Abuti bonis pauperum,
Qui premuntur inopia:
Et peccata mortuorum,
Vel precium peccatorum,
Comedere cum gloria.
Eleemoſynas flentium
In tormentis gementium
Expendi cum læticia:
Et debita egentibus
Vaſtare in exceſſibus
In pompis & ſuperbia?
In divitum convivijs,
In amplis ædificijs
In ſcyphis argenteis,
In corrigijs & iocalibus,
In annulis & monilibus,
In multis equitaturis
Veſtibus & ſubducturis,
Et nimis magnis ſtatibus.
Quidam, quorum Deus venter,
Nihil aliud diligenter
Student, niſi quòd veſcantur
Cibis delectabilibus,
Et vinis melioribus,
Et guloſe nutriantur.
Heu vix invenitur caſtus
Pauper pauco parcè paſtus,
Et potatus aqua pura.
Et qualiter caſtus erit,
Qui multa fercula quærit,

Et

Et vinum ſine menſura ?
Quidam multos ſervientes
Curioſe veſtientes
Ad pompam & ſuperbiam,
De bonis indigentium
Pauperum & humilium,
Faciunt extollentiam.
Nunc videmus aliquos,
Qui de clericis laicos
Faciunt, plus diligentes
Comitivam laicorum
Habere , quàm clericorum,
Se, quales ſunt, oſtendentes.
Quod videtur probabile.
Nam omne ſuum ſimile
Amat, quærit, aſſociat.
Ergo quod magis eligit
Sibi quiſquis, & diligit
Similem ſe denunciat.
Quidam verò concubinas
Suas ornant ut reginas
Alunt, paſcunt & veſtiunt:
Et ad augmentum criminis
Ex ſanctis eleemoſynis
Tanta peccata faciunt
Vt eas ſuis domibus
Palàm diebus noctibus
Habere iam non verentur:
Et inde natos filios
Non negant eſſe proprios,
Sed publicè confitentur.
Iam non videtur peccatum,
Sed licitum ut mandatum
Quòd luxus ſit ita publicè:
Quod vix iam eſt quem pudeat,
Vel arguat, vel doleat,
Sed iam regnat pacificè.
Ita qui ſunt pudici,
A multis habent deſpici,
Et vocari Sodomitæ,
Quaſi non ſit poſſibile,

Continere vel facilè,
Vel dicuntur hypocritæ.
O quam crimen horribile,
Et scelus implacabile
Ita Deo famulari :
Labijs Deum colere,
Et factis contradicere,
Et semper huic adversari,
Confiteri, pœnitere
Non corde, non sincerè,
Et redire ad vomitum
Sæpius rursum incidere
Quasi Deum illudere,
Ad malum ducunt exitum.
Quidam grues & pavones,
Quidam nisos & falcones
Habent propter solatium,
Atque canes venatores
Ad convivas & lepores
Et ad capturas avium.
Sed dicunt sibi licitum
Propter sanguinem inclytum.
Sed contrà potes dicere,
Quòd viros alti sanguinis
Pauperum eleemosynis,
Indecorum est vivere.
Certè nec propter talia
Fuerunt beneficia
Ab antiquis instituta:
Imò hæc sunt illicita,
Et clericis prohibita,
Iuxta canonum statuta.
Alii fabulatores,
Mimos & ioculatores,
Pro verbis petulantibus,
Secum habent, cum plangere
Debent & intercedere
Pro reorum criminibus.
Quidam ludunt ad aleas,
Et ad talos : & ad eos
Præcipuè sunt intenti.
Atque per hoc iniurias, Per-

Periuria, blaſphemias,
Incurrunt uſu frequenti,
Quàm grandis eſt infamiæ,
Sæpe viros Eccleſiæ,
Cum ribaldis converſari;
Ad griacham & ad aſardum,
Cor ſedulum nunquam
Habere, & operari.
Alij negociantur,
Emunt, vendunt & lucrantur,
Et diverſis negocijs
Implicant ſe, cum vacare
Deberent, & occupare
Se divinis officijs.
Tamen in Evangelio
Dominus ore proprio
Dicit, quòd nemo ſervire
Duobus poterit bene,
Deo ſimul & Mammonæ,
Sed unum reſtat odire.
Quidam tantam ſuperbiam
Incurrunt propter copiam,
Quòd eis pauperiores,
Quantum poſſunt effugiunt,
Ac etiam deſpiciunt,
Forſan eis meliores.
Vix eis loqui dignatur,
Et ſi quando loquatur,
Hoc eſt dictis ſermonibus.
Nam ſi nimis deprimerent,
Et ſtatum ſuum læderent,
Si congauderent talibus.
Hoc eſt enim documentum,
Divitum ſive potentum,
Canonicorum maximè,
Statum ſuum attollere,
Es cæteros deprimere
Et hoc obſervant optimè.
Nam ſi quidam ſit humilis,
Benignus & affabilis,
Ab alijs increpatur,
Quod non deceat taliter

 Se

Se gerere, tam viliter,
Ne ſtatus ſic depri-
matur.
Status enim Canonici
Honoris eſt magnifici,
Nam ſi quiſquis eſt
canonicus,
Eius dicta ſunt con-
grua,
Et opera ſunt ardua,
Et excelſus eſt cleri-
cus.
Sed in quolibet alio,
Adverſa eſt conditio.
Nam qui non eſt ca-
nonicus,
Nullius eſt ſcientiæ,
Laudis vel reverentiæ
Sed vilis plus quàm
villicus.
Et ideo ſociari
Non decet, ſed ſepara-
ri
Quæ ſint tam con-
traria.
Non eſt communica-
tio,
Societas vel unio,
Infimi ad ſublimia.
Tanta crevit ſuper-
bia
In tota iam Eccleſia,
Quòd totaliter perijt
Benignitas & huma-
nitas,
Fraternitas, charitas,
Funditus iam interijt.
Alij per potentiam,
Et ſuam excellentiam,
Non verentur inferre
Minoribus iniuriam,
Apertam & notoriam,
Nec eis volunt parce-
re.
Fortibus humiliantur
Nec contra fortes
conantur
Sua iura defendere:
Sed ſubditis adverſan-
tur,
Et eis iniuriantur,
Qui non poſſunt re-
ſiſtere.
Quidam pertinacita-
tis
Et integræ voluntatis
Tantæ, ſunt in propo-
ſito,
Quòd flecti rationibus
Nolunt, ſed voluntati-
bus
Obediunt pro libito.
Palàm ſcienter delin-
quunt,
Sed

Sed ampliant ad amplius,
Et in vitio vivere
Malunt, quàm corrigere
Quod malè fecerunt prius.
Scientias lucrativas
Student, non perfectivas
Animæ, neque corporis:
Leges legunt, & canones,
Sed iuris ſunt deſtructores
Clerici noſtri temporis.
Et quidam plures præbendas
Tenent, per ſe promerendas,
Qui vix uni ſufficerent.
Et cum cuilibet præbendæ
Canonicæ horæ ſint dicendæ,
Qualiter omnes dicerent?
Quidam ſolam recipiunt,
Sed illi ſoli ſerviunt
Pro lucro, non propter Deum.
Pro lucro chorum ſubeunt,
Cum lucrati ſunt exeunt,
Habentes numum aureum.
Quidem lucro provocati,
Ad cantandum ſunt parati:
Sed cum lucrum non imminet,
Tunc ſunt malè diſpoſiti,
Ad cantandum præpedit:
Vel ad ipſos non pertinet.
Quidam choro morantur,
Et cantare non dignantur,
Sed ſunt ibi ſtatuæ.
Qualiter horæ dicantur
Non curant, ſed fabulantur
Sæpius vel aſſidue.

Sed non ſolum ad
eſſendum,
Sive ſtandum vel ſe-
dendum
In choro, vel eccleſia:
Sed ad Deo ſervi-
endum,
Cantandum atque le-
gendum,
Data ſunt beneficia.
Sed nec pro dicendo
horis,
In domibus vel in cho-
ris
Data ſunt principali-
ter.
Sed nec in choris ſub-
miſſe
Dicentur & remiſſè,
Sed altè & comiter.
Non propriè vel cur-
rendo,
Non ſyncopas faci-
endo,
Sed tractim integræ
totæ
Dicantur, non truſa-
ticè,
Neque mulierum vo-
ce
Pipitando, ſed devotè.
Quis enim iudex au-
diet
Libenter, & exaudiet,
Truffatorem advoca-
tum,
Gratis perverſe lo-
quentem,
Feſtinum & accen-
dentem,
Irreverenter affatum.
Sed multi Deum ta-
liter
Precantur inutiliter,
Atque diſplicent cri-
mine.
Offendunt quoque
gravius,
Quanto præeminent
alios,
Dignitate vel ordine.
Pontifices, prælati,
Qui paſtores ſunt vo-
cati,
Qui debent paſcere
Exemplis & docu-
mentis,
Et corporis alimentis,
Quibus opus eſt fa-
cere.
Sed nec exemplis in-
ſtruunt,
Nec documentis im-
buunt:
Imò potius dicunt,

Nec ſubditis ſubveniunt,
Quibus nihil proficiunt,
Sed potius excoriant.
Et quos ſumptibus proprijs
Deberent ex iniurijs
Tueri & defendere:
Non ſolum non defendendo
Sed gravamen inferendo,
Modò ſolent opprimere,
Illi graviter delinquunt,
Qui ſuas oves relinquunt
Lupis advenientibus:
Sed multò quidem gravius
Illi, qui eas ſæpius
Suis devorant dentibus.
Quidam, clerum defendere
Cum debeant, & regere,
Et eorum libertatem:
Non verentur opprimere,
Clericis & imponere
Servitutis novitatem.
Et cum clericis laici
Oppidò ſunt inimici,
Clericos tamen ſubdere
Laicorum ſervi uti
Non abhorrent, & veluti
Tributarios facere.
Sed non verè clerici,
Nec clerici debent dici
Qui clericis adverſantur:
Nec boni ſunt, qui negligunt
Bonos, & malos eligunt,
Et per eos operantur.
Sed certè maligniores
Hodie ſunt chariores,
Et qui vias malignandi
Citius adinveniunt:
Hi collaterales fiunt,
Et præ cæteris amandi
Tot & tanta facinora,
Plura quoque gravia
Invaleſcunt tota die:
Nec hæc in ſecularibus
Solum, ſed in clauſtralibus
Pullulant multifariè.
Nam

Nam cunĉti ferè clau-
ſtrales,
Monachi & moniales,
Religionem abdicant:
Plus de mundo curioſi
Quàm ſtatus religioſi,
Se nunc mundanis
applicant.
Quæcunque per or-
bem fiunt,
Scire volunt & cupi-
unt,
Et de cunĉtis inquire-
re:
Nec non de matrimo-
nijs,
Et cæteris negocijs
Se volunt intromitte-
re.
Extraque mundum
poſiti
Dicuntur, ſed ſoliciti
Inde ſunt: unde vi-
dentur
Mundi in religionem
Elegiſſe manſionem.
Sed ut meliorentur,
Quid referam per ſin-
gula?
Omnes ſub una regula
Ferè poſſum colligere.
Omnes enim malicia
Abundant, & nequitia
Et prava ſtudent face-
re.
Itaque in conventi-
bus,
Et capitulis omnibus
Nulla eſt patientia
Viris bonis ſimplicibus
Iuſtis verò volentibus,
Nec vox audientia.
Sed viris malicioſis,
Doloſis, contentioſis,
Omnis eſt dominatio:
Qui penitus & liberè
Cunĉta ſuo procedere
Nunc faciunt arbitrio.
Vnde dico Capitulum,
Quaſi capitum cumu-
lum:
Nam ſunt in eo varia
Capitatorum capita
Ad invicem adhibita,
Sed ſæpe diſcrepantia.
In capitulo maximè,
In quo perſonæ pluri-
mæ,
Sunt pares ſine capite:
Vbi quiſque domina-
tur,
Et à nullo refrenatur
Nihil ibi ſine lite.
Nam quot ibi ſunt ca-
pita,
Tot

Tot ſunt ibi recondita
Sententiarum genera.
Nec prævalet ſenten-
tia,
Nec ætas,nec vita pia,
Sed fraus & verba
aſpera.
Nec locum habet eti-
am
Vires & efficaciam,
Illud quidem, Sapien-
tia
Modò vincit maliciam
Sed contrarium, quo-
niam
Vincitur à malicia.
Quia boni ſunt modici
Et quum hoc ſunt
pacifici,
Et nolentes contende-
re :
Multi ſunt contrarij,
Et bonis adverſarij,
Et quærentes obſiſtere
Vnde bonum boni
cœptum
Rarò ducunt ad effe-
ctum,
Alio ſemper obſtante:
Alijque propoſitum
Suum ducunt ad libi-
tum,

Malicia dominante.
Qui bene poſſunt
clamare,
Et alios reprobare
Verbis & contumelijs
Hos habent ſuperare,
Et firmiter oſtentare
Ex ſuis deſiderijs.
Et tales nunc Eccle-
ſiam
Habent regere, quo-
niam
Non eſt qui poſſit ob-
ſtare :
Sicut volunt & cupi-
unt,
Cuncta progredi fa-
ciunt.
Nec videntur deviare
Sed ex quo ſibi pla-
ceat
Non quærunt utrum
liceat.
Sed quid placet, eſt li-
citum.
Nec pudet eos fovere,
Et ſcienter ſuſtinere,
Iniquum vel illicitum.
Et id quod nulli eſt
præcipuè,
Irrititum ipſo iure,
Suſtinetur tanquam
licitum :

Et quid est de iure ratum,
Et desuper confirmatum,
Impugnat velut irritum:
Scientiæ iura non videntur:
Et si sciantur, non verentur
Adversus iura facere.
Nec Deum, nec scandalum
Timet, nec facere malum,
Neque palàm delinquere.

Sed suum velle complere,
Suos reditus augere,
Totalis est intentio:
Seseque magnifacere,
Et omnes suppeditare,
Sibi suo Domino.
Quid differerem per omnia?
Non possem tot nepharia
Cogitare, nec referre:
Sed in hoc opus finiat,
Non est qui bonum faciat,
Vsque ad extremum terræ.

Explicit hic fletus
Quòd cleri cœtus

Nullus debet flere, lætus,
Sit tanto crimine spretus,

PLANCTVS BERNHARDI VUESTERRODIS.

COllationis gratia
Pertractrurus aliqua
De statu clericali,

Nar-

Narrabo de inſania
Quæ regnat in Eccleſia,
Proceſſu criminali.
Vbique nunc religio
Recedit à veſtigio
Sanctorum præceſſorum:
Mundanis eſt mundanior,
Et vanis multo vanior
Vbilibet locorum.
Non eſt in ea ſanitas,
Sed vanitatum vanitas,
Et omnia neglecta.
Permixtura ſecularibus,
Et fœminis, & maribus
Omninò ſit deſpecta.
A maximis ad minimum,
Vix habet unum filium
Religio tam ſacrum:
Qui purè propter Dominum,
Religionis habitum
Portare videatur.
Sed permulti nunc, proh dolor,
Converſi quidem non ad cor,
Sed magis ad pulmonem:
Vt vivant commodius,
Et bibant gloriofius,
Intrant religionem.
Non ſic vos impij, non ſic,
Sed tanquam pulvis eſtis hic,
Qui rapitur de terra:
Si vivitis neutraliter,
Torquebimini pœnaliter.

Sub

Sub inferorum ſerra.
Indigni Deo Domino,
Deſpecti quoque ſeculo,
Peribitis in Giverra:
Vos omnes eſſe timeo
De presbyterorum numero
Damnabili revera.
Omnes ad clericalia
Recurrunt, ut per talia,
Quæ ſua ſunt, acquirant:
Meſſiam non inveniunt,
Nec invenire cupiunt,
Spontaneè delirant.
De Chriſti patrimonio,
Sub pompis & præconio
Viventes intumeſcunt:
Intenti voluptatibus,
Et mundi vanitatibus,
De cappis erubeſcunt.
Non ſolum noto monachos,
Sed etiam canonicos,
Et fictas moniales:
Quæ propter Ieſum minimè
Videntur eſſe filiæ,
Et filij ſpirituales:
Sed magis ut divitijs
Fruantur, & delicijs,
Et cæteris cupitis:
Quæ replicare nequeo,
Nec volo, neque debeo
De iſtis hypocritis.
A quibus multa patitur,

Con-

Confunditur & quatitur
Navicula marina:
In qua dormit Dominus,
Quem ſuſcitat diſcipulus,
Et poſtulat divina.
Væ mundo nunc à ſcandalis,
Et clericis & laicis
In mundo conſtitutis.
Impellitur navicula,
Iam tanta ſunt pericula,
Quòd vix eſt ſpes ſalutis.
Vix tamen ſurgit aliquis,
Et rogat Dominum pro ijs,
Pro ijs periculis inſtanter:
Ne navis ſanctæ fidei
Mergatur ab hypocriſi,
Quæ regnat abundanter.
In cunctis terræ finibus,
In ventis & turbinibus
Innumeris tam dirè:
Quòd niſi Deus faciat
De ſpeciali gratia,
Timendum eſt perire.
In die propinquiſſimo
Zizania cum tritico
Et e converſo quidem:
Nam Satan eſt in foribus,
Et in mille coloribus
Ad deſtruendam fidem.
Quam Chriſtus ſuo ſanguine
Conſtruxit in examine
Cruentæ paſſionis:

Dum

Dum perfidos damnaverat,
Et credulos ſalvaverat
In proprijs perſonis.
Quid amplius ediſſeram,
Si vera loqui debeam,
De vita clericorum?
Prælati ſedent hodie
In opulenta requie,
De ſorte miſerorum
Vivendo ſupervacuè,
Qui caritatem maximè
Deberent exercere,
Præ cæteris fidelibus,
In omnibus hominibus
Virtutes exhibere.
Cum bonis exemplaribus
Tam fœminis quàm maribus
Viam ſalutis dare,
Non alta quidem ſapere,
Non fremere, non rapere
Non aliquem truffare.
Hæc eſſent meritoria,
Servorum Dei gloria,
Fidelium tutela:
Per quæ manerent Principes,
Et Chriſtiani ſimplices
In fidei ſequela.
Sed ubi poſſunt hæc diſcerni?
Cum nec priores, nec moderni
Pro Deo famulentur:
Immò pro temporalibus
Omnes quaſi ſpiritalibus

In-

Insistere videntur.
Maiores cum minoribus,
Indocti cum doctoribus,
Et cæteri de clero:
Non habent rectam speciem,
Nec curant cœli precium,
De Christo Deo vero,
Sub cuius umbra latitant,
Et sua bona dissipant
In pompa sæculari:
Ii sunt Pilati, non Prælati,
Plusquàm tyranni, depravati,
In virtutibus ignari.
Per quos & grex fidelium
Tractatur in interitum,
Messia permittente:
Corrupti simul pereunt,
Abominabilesque facti sunt
Diabolo suadente.
Non est qui bonum faciat,
Non est qui Deum diligat,
Inutiles effecti:
Ad munera respiciunt,
Iustitiam non sitiunt,
Delicijs illecti.
Non vivunt Christianiter,
Nec iustè, nec humaniter
In sæculo præsenti:
Vt magna fortalitia,
Et plura beneficia
Possideant, intenti.
Eorum verè spiritus

In-

Inanis eſt, & irritus
Ad Dei famulatum:
Ab iſtis omnis gravitas
Egreditur, & ruit pravitas
In ſæculo paſſatum.
Emergit inſolentia,
Recedit conſcientia
Communiter à clero:
Quæ, qualis, quanta furia
Committitur in Curia?
De curtiſanis quæro.
Nam illi ſciunt practicam
De Simone truffaticam
Scripturas & Calendas:
Quas ille mille artifex
Diabolus eorum rex
Invenit exercendas.
Vt pauperes abijciant,
Et divites alliciant,
In modis & in formis:
Quid aliud per atria,
Quàm patens idolatria,
Et clericus enormis?
Non pſallitur Davidicè,
Sed prorſus hypocriticè,
De beneficiatis:
Qui qualiter, & quomodo
Servire ſolent Domino,
Iam dicebatur ſatis.
Nunc de eorum veſtibus,
Et moribus, & geſtibus,
Ad modicum tractabo:

In quibus fatualiter,
Et merè laicaliter,
Incedunt, increpabo.
Canonici cum cæteris
Collegiorum ſocijs
Mundaniter imbuti,
In uarijs & ſerico
Veſtiti vadunt Iericho
Moliſſimis induti.
Ne quid eorum corpora
Suſtineant, vel aſpera
Tenerrimos offendant:
De precioſis pellibus,
Subtilibus & mollibus
Camiſias emendant.
Vt placeant hominibus,
Nituntur ſuis crinibus
Incedere politis:
Coronas in capitibus
Ferunt de pilis mitibus,
Et rebus exquiſitis.
Sic imitantur Dominum,
Qui pro ſalute hominum
Eſt ſpinis coronatus.
Sic ſerviunt altiſſimo,
Qui non pepercit filio,
Dum ſtetit immo latus
In cruce nudis genibus,
Et manibus & pedibus,
In dextra perforatus:
Sic deridetur Dominus,
A' ſervo nihilominus

In via profperatus.
Præbendas habet quatuor,
Et eft Ecclefiæ paftor,
Vel potius mercator:
Si fortè chorum uifitat,
Non propter Iefum ibi ftat,
Præfentiæ fpectator.
Mox habita præfentia,
Cum magna vehementia
Recurrit ad mundana:
Sequentibus confocijs
In feculi negotijs
Multiplicat prophana.
Cum longis, amplis manicis,
Et actibus tyrannicis,
Incedit equitando:
Perfequitur deificos,
Subfannat fcientificos,
In malis gloriando.
Eligitur Præpofitus,
Decanus, vel Scholafticus,
Vt alios defendat:
Qui femetipfum deftruit,
Et omnia quæ repperit,
Diabolo commendat.
Vocatur tamen arduus,
Vir probus atque ftrenuus
In terra Vueftphalorum:
Quæ plena eft maleficis,
Raptoribus, veneficis,
Fafcina miferorum.
In qua laudatur impius,

Pec-

Peccator imperterritus,
In laicis & clero:
Qui claufa confcientia,
Non pertimefcit aliqua
Nepharia fub cœlo.
Nil plus de hac materia
Tractabo, nimis feria,
De alijs intentus:
De plangam fecularibus,
Et arguam mordacius
Studentium conuentus.
Iam fit magifter artium,
Qui nefcit quotas partium
De vero fundamento:
Habere nomen appetit,
Rem verò non curat, nec fcit,
Examine contempto.
Iam fiunt baccalaurij,
Pro munere denarij,
Quàm plures idiotæ:
In artibus, & alijs
Egregijs fcientijs
Sunt beftiæ promotæ.
Quid dicam de presbyteris,
Quos præful fine literis
Ad ordines deducit?
In quibus nec fcientia,
Nec vitæ condecentia
Ad minimum relucet.
Apparet de militibus,
Qui bellant pro divitibus,
Pauperibus neglectis:

Hos nituntur devastare,
Quos deberent defensare
Sermonibus & factis.
Vt mihi dicunt somnia,
Perverse fiunt omnia,
Quæ cernimus in mundo.
Iam dies est novissima,
Vt credo, propinquissima
Dolore cum profundo.
Peccatis exigentibus
Citissimè peribimus,
Propheta conquerente:
Heu qui nunc dilatabimur,
Subitò tunc damnabimur,
Malefica cum gente.

IN EPICVREISMVM ET SIMONIAM Prælatorum spiritualium, & corruptelas, tyrannidemque nummi.

SAtis vobis notum est, & res manifesta,
Qui nostis historias & antiqua gesta,
Quanta sit Ecclesia passa, quàm molesta,
Quæ tormenta, qualia damna, quàm infesta.
Post disiecta prædia, post ereptos census
Scire, quod inflictum sit, horror est immensus:
Qualiter Laurentius vivus sit incensus,
Et Petrus apostolus in cruce suspensus.
Non est, mihi credite, leve, neque parum,
Numeros & genera dicere pœnarum:
Vel tot scire nomina Principum terrarum,

Qui

Qui rectores fuerint tunc Ecclesiarum.
Nostros novi plenius fidei rectores,
Abbates & præsules, & eorum mores,
Et ut verum fatear, legum transgressores,
Hi sunt ijs temporibus Nerone peiores.
Scio quòd non lateat vos discretiores,
Qualiter statuerint sibi venatores.
Nam quidam sunt aucupes, quidam piscatores,
Qui semper errantium sunt persecutores.
Venatores peragrant vigilanti cura
Montes, valles, nemora, castra, prata, rura.
Et impensis viribus suis canumque plura
Captionum genera laxant in captura.
Apri, cerui, lepores rei sunt abbati:
Distingue, si tamen sunt & impinguati.
Ne sint offendiculum linguæ vel palati,
Hos oportet singulos in coquina pati.
Aucupes non segnius, neque minus lentè,
Terris, aquis, aere quærunt, sed intentè
Delicatas volucres: quæ si sunt inventæ,
Arcu,visco,laqueis, reti sunt retentæ.
Nec piscator plurimus cessat perscrutari
Gurgite, fluminibus, fontibus, à mari:
Quid abbatis legibus capi, judicari,
Condemnari debeat, & martyrizari.
Quòd si piscis captus sit nondum magnus satis,
Carcer stagni capit hunc, donec id ætatis
Sumat, quo resistere valeat illatis,

 Vel

Vel tunc acquiefcere rebus iudicatis.
Revertentes igitur omnes à captura
Fatigati graviter, hi de venatura,
Illi de aucupio, hi de pifcatura,
In captivos difputant, & minantur plura.
Abbas confiftorio fedet iudicator,
Ferarum quadrupedum, quas cæpit venator,
Volucrumque bipedum, quas dat aucupator,
Pifcium nullipedum, quos affert pifcator:
Tunc audita protinus caufæ qualitate,
Qui quàm longè fugerint, qua velocitate,
Quum rebelles capti fint, qua difficultate:
Verba legis recitat in rebelles datæ.
Clamabat Decalogus, ne quis peieraret,
Ne quis adulterium, furtum ue patraret.
Sed Nafo prævaluit, à quo dictum claret:
Incipere effe pium, quodcunque iuvaret.
Miffus fum in vineam circa horam nonam:
Suam quifque nititur vendere perfonam.
Et cum ita curfitent omnes ad coronam,
Semper ego auditor tantum, nunquam ne reponam.
Quando cibus deficit animalibus brutis,
Mugiendo poftulant cibum fpem falutis,
Sed eft mihi refonans vocibus acutis
Fiftula difparibus feptem compacta cicutis.
Spargat ergo primitùs fua Clio jacula,
In illos quos operit paftoralis infula.
Nam ab illis omnibus, quod patet per fingula,
Profluit in fubditos vitiorum macula.

Ecce

Ecce ſponſi comites vendunt ſponſi dotes,
Furantur in cacabo carnem ſacerdotes.
Si ſpectes medullitùs, ſi rem bene notes,
Chriſtum vendunt hodie novi Iſcariothes.
Iam prorſus aboluit uſus largiendi,
Præbendas, altaria video nunc vendi.
Verſa eſt in habitum cupido tenendi,
Tempore crevit amor qui nunc eſt ſummus habendi.
Vis Decanus fieri, præſul, patriarcha,
Auri multa tibi ſit & argenti marcha.
Tantum habet fidei teſte manu parca,
Quantùm quiſque ſua nummorum ſervat in arca.
In quo mundi climate, ſub quo cœli ſigno
Eſt abbas, vel pontifex pectore benigno:
Dignus Chriſti nuptijs, dignus vitæ ligno
Rara avis in terris, nigroque ſimillima cygno.
Vt Iudæis odio carnes ſunt ſuillæ,
Sic in ijs extinctæ ſunt virtutum ſcintillæ.
Hic vacat marſupio, nummo ſeruit ille,
Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.
Omnes avaritia mentibus imbutis
In nummo conſtituunt ſuæ ſpem ſalutis.
Nolunt dici prodigi rebus diſſolutis,
Fallit enim vitium ſpecie virtutis.
A' Prælatis defluunt vitiorum rivi,
Et tamen pauperibus iraſcantur Divi?
Impletur verſiculus illius laſcivi:
Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi.

Contrahit parochiam lege matrimonij
Sacerdos à Præſule: ſed nummi ſunt medij.
Nam ſi nummus defuerit, & tumor marſupij,
Dabit ei Pontifex libellum repudij.
Vos ergo cum talia Præſules agatis,
De futuræ gaudio uitæ deſperatis:
Illudque Lucanicum mente pertractatis:
Tolle moras, ſemper nocuit differre paratis.
Quanto plura poſſidet, quanto plus diteſcit,
Tanto magis locuples ſitit, & ardeſcit;
Veluti hydropicus, qui ſemper areſcit,
Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.
Mundus nummo deditus ſequitur hunc morem,
Vt tanto quis iudicet quenque digniorem,
Quanto eſſe noverit illum ditiorem.
O nummi nummi, talem dat nummus honorem.
Nullis avaritia rebus erubeſcit.
Ex hac vis libidinis derivata creſcit.
Nam cum ſemel opibus dives intumeſcit,
Inguinis & capitis quæ ſint diſcrimina neſcit.
Florebant antiquitus artium doctores,
Nunc acquirunt reditus auri poſſeſſores.
Quia ſicut exprimunt verſibus autores,

In

In precio precium nunc eſt, dat cenſus
honores.
Neſcit nummus compati, nec ſcit condole-
re
Mendicanti Palladi, quæ ſolet frigere.
Nam ſi nummis careas, foras expellere,
Ipſe licet venias Muſis comitatus Homere.
Axis magiſterij fractus eſt, & temo.
Audiri ſi cupiam, auditores emo.
Hoc eſt unde conqueror, hoc eſt unde gemo:
Scire nolunt omnes, mercedem ſolvere
nemo.
Senes avaritiæ ſunt imbuti felle,
Odor lucri primus dulcior eſt melle,
Nolle pudicitiam, nummos autem velle,
Hoc diſcunt omnes ante alphabeta puel-
læ.
Si rectè de vitio vitium derives,
Si de geſtis conſulas Athenarum cives,
Item actus ſeculi pravos, & declives,
Intolerabilius nihil eſt quàm fœmina di-
ves.
Hoc idcirco diximus, ut non ſine macula
Fœminas exiſtimes, quarum linguæ jacu-
la
Faſcinantes oculi, digiti novacula,
Si de diverticulo repetatur fabula.

*EX EPIGRAMMATIBUS PICTORII, IM-
preſſis Baſileæ Anno 1518.*

Ad Sacerdotes.

IMo pectore cogitate fratres

Veſtram, Paulus ait, vocationem.
Reſpondete mihi, rogo, parumper
Vos, qui in vertice crinibus coronam
Abraſis geritis: licet ne poni
Vobis fercula, quæ gravant ferentes?
Nunquid pectinibus comas eburnis
In multos decet annulos revolui?
Auratoque latus dolone cingi?
A' duroque manus gelu, vel æſtu
Defendi nivea, levique circum
Ducto pellicula nigro corymbo?
Et telas Phrygio decore pictas
Ferri veſtibus hinc & hinc apertis,
A' collo ad medium amplius ve pectus?
Aut zonas, quibus excitentur ad vos
Spectandos pueri & ſenes? quis ædes
(Proh crimen) veniam ſacras emendi
Vendendique dedit? Timete magnum
Vltorem ſcelerum: nec hunc reflecti
Votis fidite: cum nimis nimisque
Menſuram vitij videt repletam.

ELEGIA HENRICI BEBELII IUSTINGENſis, ad Joannem Nauclerum Tubingenſis Eccleſiæ præpoſitum, gymnaſiique cancellarium:
In Simoniacos.

EXimios inter cunctis memorande diebus
O Nauclere viros, & probitatis honos,
Quòd nunc ſuſcepta eſt per te provincia, rerum
Scribere ſacrarum de ambitione librum:
(Et ſolet à noſtris hæc nempe ſimonia dici,

Namque

Namque Simon sceleris hic magus author erat)
Rem facis in primis dignam, nec laude carentem,
Atque sacerdoti jure cavenda mones.
Nam cum dira lues vitiorum regnet in orbe,
Infandumque scelus agmine cuncta trahat:
Nulla tamen major pestis, væsania nulla
Illius exuperat impietatis opus.
Quòd si non fallar, si sim non sordidus author,
Divitiæ pingues hoc peperere malum.
Omne malum uobis funesta pecunia primum
Intulit, & sortis luxuriantis opes.
Præstabat quondam castos Ecclesia mores,
Cum Petrus in summa sede regebat inops.
Cum nondum marmor, crustataque tecta ferebat
Ipse locus templi, gemmiferasque trabes.
Cana fides mundo viguit cum paupere cultu,
Stabat in exigua ferreus æde calix.
Tunc viguit virtus, tunc nos Astræa colebat,
Inque suo precio docta Minerva fuit.
Pontificum at postquam paupertas sobria cessit,
Et cœpit luxus quos sacer ornat honos:
Nullum crimen abest, facinusque cupidinis, atque
Aurum omnes pulsa jam pietate colunt.

Victa

Victa fugit bonitas, aurum veneramur in orbe:
Auro lex cessit, mox sine lege pudor.
Auro pulsa fides, auro cœlestia dona
Mercamur, tanta est ambitiosa fames.
At sunt jam plures, qui justa vocabula turpi
Prætendunt sceleri, & talia verba vomunt:
Emptor ego non sum, sed munus munere penso,
Sic homines lusos credit & ipse Deos.
Stulte quid insanis? Christus speculatur ab alto
Singula corda hominum, fallier atque nequit.
Mortales circumvolitans simul omnia Pluto
Defert æterno cœlicolumque Deo:
Et tristes queritur mores, & debita poscit
Supplicia ô miseros, quos scelera atra tenent.
Indicij extremi memores estote fideles,
Ne vos præcipites naufraga Syrtis agat.

DE NOVO STATV ECCLESIÆ CHRISTI fidelibus, sed præcipuè clericis vitando.

PRofessiones in divinis mysterijs, seu in opere pietatis consistentes, ut ait sacratissimus Imperator Justinianus in Codicis libro, sunt officia juri divino subjecta. Hæc eadem verò officia gerentes, ab omni jure civili ratione privilegij eximuntur.

Mill-

Militantes enim Domino, alieni esse debent à mundanis actibus. Magna quidem diversitas est, alienum esse à mundanis actibus, & agere ea quæ mundi sunt. Vnde idem Justinianus, pœna dignos judicat, si officium impositum derelinquant, & in secularibus negotijs sese conterant. Quod præsens hæc nova ætas minus attendens, tum ignorantia, tum quia competenti magistratu caret, qui errata corrigat, posthabito Dei timore, & hoc excusso privilegio, in tantum sese applicat negotijs secularibus, ut illud Ozeæ prophetæ dictum adimpleatur: Et erit sicut populus, sic sacerdos. Quod ita est, ut ait Gregorius, quando is qui spirituali officio fungitur, ea agit, quæ illi faciunt, qui adhuc de studijs carnalibus judicantur. Harum igitur secularium rerum statum, qui sectatores suos non erigit, sed magis cadentes præcipitat, ipsiusque quædam exemplaria non quidem imitanda, sed potius vitanda summatim perstringens, distinguendo etiam religiosos à non religiosis, humilis stylus imperitiæ hoc modo præsumpsit explanare.

Capitula eorum quæ regnant in hoc novo statu Papisticæ Ecclesiæ.

Vana religio, negotiatio, avaritia, superbia, luxuria, vita bestialis, abusio, transgressio, perversitas, invasio, occupatio, ambitio, studium carnale, turpe lucrum, vana gloria, superfluitas, enormitas, hypocrisis, eversio casti-

castimoniæ, præcipitatio, neglectio, fornicatio spiritualis, simonia, perjurium, mendacium, apostasis, prævaricatio, destructio templi, impostura, sacrilegium, inobedientia, injuria, impudentia, solitudo, excessus, medicina carnalis, stultitia, dolus, infamia, præventio mortis, rapina, homicidium spirituale, idololatria.

DE NOVO STATV ECCLESIÆ ELEGIAcum carmen.

Vana religio. CORruit Ecclesia stipulæ suffulta columna:
Vnde perire solet quicquid ea geritur.
Negotiatio. Quisque via graditur propria, quæ sunt sua quærens:
Qui Dominum quærat rara videtur avis.
Avaritia. Excæcat sensus hominis cumulatio census,
Ne possit recta, quò velit, ire via.
Superbia. Cui dominantur opes, petit hunc elatio mentis:
Luxuria. Et petit istius carnis amica thorum.
Vita bestialis. Hac enervatus, & utroque malo superatus,
Nescit an ipse hominem gestet, an ipse pecus.
En novus his, quæ congessit studiosa vetustas,

Lu-

Luxuriat partis abſque labore bonis. *Abuſio.*
Lex & iura cadunt illatam vim patientes,
Cum quis non vetitus quod libet ipſe facit.
Ecce magiſtratus involuit & ipſe reatus, *Transgreſſio.*
Vt mala quæ damnant, illa frequenter agant,
Quà quondam ſedere viri, pueri relocantur:
Ordine perverſo ſtant nova ſecla modò. *Perverſitas.*
Quæ dudnm fuerant animarum vota piarum, *Invaſio.*
Nunc ſunt militibus maxima præda feris.
En Comitum prolesque Ducum, non lege probante, *Occupatio.*
Occupat officium pauperis, atque locum.
Mos eſt nobilium, quibus extat copia rerum,
Quæ dare debuerant, hæc ſibi dona petant.
Nunc prece, nunc precio puer, obſequioque parentum *Ambitio.*
Eccleſiæ dapibus ſemper alendus adeſt.
Et quod avaritiæ ſignum magis eſſe probatur,

Vberius

Vberius vinctis fit quasi canonicus.

Studium carnale. Pro stipe quærenda baratronum quisque laborat,
Nec baracando quisque quod optat, habet.

Turpe lucrum. Non Deus in causa, sed crassa litatio carnis,
Quáque iuvat nummi splendida forma dati.

Vanagloria. Celsior his domus est templis, & multa supellex,
Frigida multiplici cella referta mero:
Horrea plena novis decimarum fructibus ampla,
Exhilarans vultum pensio redditūum.

Superfluitas. Vestibus in claris his cultus adest popularis,
Principis egregia qui solet esse domo.
Omnia sanctarum sed & lucra sunt animarum
Nunquam divitibus, sed data pauperibus.

Enormitas. Qui vitam non canonicam sunt ritè professi,
Cujus sint normæ, pagina nulla docet.

Hypocrisis. Tales nimirum degunt sub imagine falsi,
Quos

Quos bene vivendi regula nulla regit.
His concludetur, cum venerit ille magister,
Qui declarabit quodque sophisma latens.
Nunc sacer ordo senis longos differtur in annos, *Eversio castimoniæ*
Quo desiderijs plus vacet ipse suis.
Tempora præterit hæc puer, ut lucretur honores, *Præcipitatio.*
Quum non matura semina mandat humo.
Nomen habens, non officium pastoris adimplet,
Qui terrendo lupos fit lupus ipse rapax.
Eligitur, quo negligitur plebs publica, pastor, *Neglectio.*
Qui tondens avido gutture sorbet oves.
Qualem constituis, tali pastore fruaris;
Quæ tibi damna paras, iure ferenda putes.
Frustra conquereris, cum sis tibi causa querelæ:
Hoc & majori dignus es ipse malo.
Ecclesias qui legitimas binas habet, aut tres: *Fornicatio spiritualis.*
Hunc non unius dicimus esse virum.

Singula diverſis ſunt munera danda miniſtris :
Ius non eſt, gerat hæc unus habenda tribus.

Simonia. Nunc vendunt & emunt,& ſacra ſtipendia pignus
Periurium. Conſtituunt,quibus eſt irrita ſæpe fides.
Quid faciunt miſeri, pulſantes cymbala templi?
Nunquid habent unde vivere quaque die?
Horum curator, animarum quippe necator,
Paupere pauperior, ſordidiorque Codro.

Mendacium. Verbis fallentes paſcantur, non alimentis,
Cum ſua damna vident, fletibus ora rigent.
Diffugiunt laici de clero quique miniſtri,
Quæ Deus inſtituit, vix ibi ſolus agit.

Apoſtaſis. Eſt tamen inviſus ſuper omnia ludicra riſus,
Quemque propoſiti linquere vota ſui.
Quando fit monachus, ſi diſplicet, excutit illum,
Ad retrò reſpiciens mittit aratra manus.

Talem

Talem qui recipit, geminos lucratur in uno:
Clericus in monacho nam ſtat & ipſe ſuo.
Ad maius licet ire bonum,leviore relicto,
Sed non converti regula poſſe monet.
Quem lex ſancta patrum damnat,magis hic veneratur,
Nec ſatis eſt uni nomen habere trium.
Clericus in laicum verſus, poſt inde receptus
Stans ubi conſtiterat, iure biformis erit. *Prævaricatio.*
Ordo tripertitus iuris minus arte peritus,
Quæ lex inſtituit debita non tribuit.
Pro ſe quiſque leget, pro ſe ſacra cantica promet,
Conductis ſed arant bobus in hoc aſini.
Seruit pro cunctis cuiuslibet ordinis unus,
Qui tamen illuſus ſæpius ære caret.

De Eccleſiarum diſſipatione.

Aula Dei quondam multo reſplenduit auro, *Deſtructio templi.*

 Ipſius

Ipſius argenti copia multa fuit.
Nunc ſtannum, prius argentum radiabat & aurum:
Qua gemmæ fuerant, vitrea forma micat.
Ex auro calices diverſarum ſpecierum
Sacrilegium. De multis vix eſt unus in æde Dei.
Omnes Eccleſiæ nunc ornatus venerandæ,
Vſibus immundis dat ſynagoga ſuis.
Res inhoneſta ſatis, ſcelus, exitium probitatis,
Quo lex ſancta patrum ducitur in vacuum.
Sanxerunt veteres legem Domini meditantes,
De mercede gregi paſcua certa dari.
Iniuria. Nunc datur argentum gregis hoc redimens alimentum,
Ne ſint conſortes muneris hinc inopes.
Sed capit oblatum gregis huius quiſque metallum,
Ac juga ſervitij caſſa relinquit ibi.
Impudentia. Eſt pudor inviſus, penetrans præcordia ſenſus,
Non ſervire Deo, munus habere Dei.

Prove-

Provenit hinc, chorus ut vacuetur & ara miniſtris: *Solitudo.*
Et duo vix ibi ſunt, plebs ubi multa fuit.
Quindenas noctes libet ire, vel amplius, extra: *Exceſſus.*
Stat chorus abſque viro, non domus abſque cibo.
Et quota ſit, reliquis ſpectatur, luna bicornis, *Medicina carnalis.*
Renibus elicitus ut cruor ipſe fluat.
Vt fuerint ſaturi poſt tempora meridiei,
Hos vocat ad tabulas teſſera meſſe litas:
Alea, cippa, minæ, tria ſunt portenta ruinæ,
Quod ſtetit in tuto, dant reſidere luto.
Ludus ſcacorum veterum ſolet eſſe piorum,
Quo prætermitti ſæpius hora ſolet.
Ire parant alij ſervare diem placitandi: *Dolus.*
Non fuit hoc, ſed erat altera cauſa viæ.
Clauſtra petunt alij, neptes videant moniales, *Infamia.*
Accenſis ſtuppis fit rogus inter eos.
Sunt qui diſcedunt, ſua nec legata reportant, *Præventio mortis.*

Et ſine ſtant reditu quàDeus ire iubet.
Tranſiliens ovis una vadum poſt ſe trahit omnes:
Sic caput excedens, membra ſequuntur idem.
Obſequijs non exhibitis• ſic explicit annus,
Prima dies Iani in fine Decembris erit.

Rapina. Sed plebs ignara, quàm ſint hæc neſcit amara,
Cum non diſcernit, myſtica dona rapit.
Sunt ubi raptores, illic ſpelunca latronum,
Non domus illa Dei, ſive dicata Deo.

Homicidium ſpirituale. Qui mactant animas exemplis impietatis,
Vnde truci monſtro victima fœda datur.
Mortificant animas, quas vivificare ſolebant,
Nil quibus extiterat quàm pietatis opus.

Exempla veræ religionis.

Vera religio. His quondam fuerant collata ſtipendia templi,
Vt templi gererent quod fuit officium.

Qui

Qui non Ecclesiæ nunquam servire volebant, *Moderantia.*
Non in præbendis ambitus ullus erat.
Sola fuit soli, nec pluribus affuit unus, *Iustitia.*
Nec subit unius multiplicata domum.
Hi justas fudere preces noctuque dieque, *Oblatio fidelium.*
Mandato Domini quisque peregit iter.
Non fuit his curæ vana vox ulla novellæ,
Ocia nulla dabant sedula vota precum.
Quos nec inescabat, nec mendax ludificabat,
Si fuerat vani dogmatis author eis.
Pluribus una fuit mens,& concordia pacis: *Concordia.*
Quod facerent, non quod displicuisset, erat.
Extiterat cunctis legem servare voluntas: *Obedientia.*
Quem prava inficerent tempora, nullus erat. *Contemptus mundi.*
Sedula Psalmorum cantatio, ludus eorum: *Perseverantia.*
Organa, vox illis pauperis ante fores. *Misericordia.*

Nec canis, aut nisus, quæ sunt commotio risus.
His movere iocum, nec lepus ipse fugax.
Victoria. Sint procul hæç ab eis, quibus est tonsura coronæ,
Requies. Quæ non dant memori signa sat apta choro.
AraDei. Quo petitur, Dominum puro de corde rogemus,
Immeritos casus ne ferat Ecclesiæ.

Sub secli brevitate legens hæc carmina fili,
Non laceres ea: sed talia qui faciunt.
Efficit illicita, qui transgreditur facienda.
Nunc novus Ecclesiæ denotet esse status.

Contra Prelatos.

Proh dolor in mundo video miranda, quòd ipsi
Qui præsunt, ut nos conservent, sint in eclipsi
Multo maiore quàm nos. prædatur ovile
Præsul sub specie pastoris: at ille sedile
Vt pater usurpat, qui nec pater est, neque pastor,
Imò lupus, sylvæque lupis me iudice major.
Excoriat Præsul, eviscerat Officialis,
Scriptor

Scriptor & asseſſor, & quiſque miniſterialis.
Nam ſolet activè dici paſtor, quaſi paſcens:
Sed nunc paſſivè fertur, quia paſcitur hiſcens
Turpiter ad dona Prælatus, nec ſatiatur
Cuncta vorando bona, quid turpius eſſe putatur?
Væ væ Prælatis, quorum ſunt facta prophana
Cunctis penſatis, & converſatio vana.
Diviſere greges, ſua gardáque concomitando
Cum pompa reges, extra ſua clauſtra vagando.
Vnde vacare magis curant regalibus ipſi,
Qui populi plagis bona vaſtantes Crucifixi.
Quicquid habent ultra victum, veſtesque probatur
Furtum: pauperibus, quod habent, ut diſtribuatur.
Ergo ſunt fures, quoniam nil pauperibus dant,
Theſaurizantes ſemper magis, ut ſibi condant.

VITA GVALTHERI MAPES, RHYTHMOrum autoris, ex majore Catalogo Ioannis Balei, de illuſtribus Britanniæ ſcriptoribus, Centuria tertia.

Gualtherus Mapes vir literatiſſimus, & ut teſtis eſt Gyraldus Cambrenſis in Eccleſiæ ſpeculo, Henrici ſecundi Anglorum regis

clericus olim familiaris fuit, ac filij ejus Joannis post illum. Sunt qui hunc ex Sarisburiensi Canonico, sunt etiam qui ex Lincolniensi Præcentore Oxoniensem Archidiaconum, Anno Domini 1197. fuisse factum affirment. Contigit illum fuisse Romæ,cum illic lis esset inter Hubertum Cantuariensem archiepiscopum, & prædictum Gyraldum, pro metropolitano Menevensis ecclesiæ iure,ut in Gyraldi vita. Vidit Pontificis fastum plusquam Luciferinum, vidit cardinalium ac prælatorum spiritualium ambitiones, supercilia, luxus, libidines, avaricias, & id genus sanctitates intolerabiles. Nec poterat sibi temperare, cum rediisset domum,quin illos postea, quandiu vix, vehementissimis criminationibus satyricè vellicaret. Sed fictis nominibus lusit, ut Goliæ pontificis, vel Joannis de Abbatia, vel Joannis de Corborio, vel Gualtheri de Hibernia, ac similibus. habebatqueOponij scurram,seu Bamologum, doctum tamen, qui libenter, eo consultore, jactitabat se facetiarum ac Rhythmorum suorum esse parentem. Nec poterat æquo animo perferre injurias & calumnias, ab iniquo ejus temporis clero, Joanni regi malitiosè illatas: sed illum quandoque Jovem, quandoque Leonem in Satyris appellans, Pontificem Plutonem atque asinum, Prælatos verò animalia bruta, imò & stercora vocabat. Vnde latinis Rhythmis facetè

cetè ſcripſit Gualtherus, Super enormitatibus cleri.

Apocalypſin Goliæ pontificis, lib. 1. De tauro torrida.

Prædicationem Goliæ, Rhyth. 1. Viri venerabiles.

Confeſſionem ejusdem, Rhyth. 1. Aeſtuor intrinſecus.

Planctum ſuper epiſcopis, Rhyth. 1. Complange tui Anglia.

Ad malos paſtores, Rhyth. 1. De legis doctoribus.

Ad Chriſti ſacerdotes, Rhyth. 1. Viri beatiſſimi.

In Papam & curiam, Rhyth. 1. Roma mundi caput.

Carmen ebrioſorum, Rhyth. 1. Tertio capitulo.

Ad prælatos impios, Rhyth. 1. Dilatatur impij.

Sermonem ad eoſdem, Rhyth. 1. Tempus acceptabile.

Anathema pro pileo, Rhyth. 1. Raptor mei pilei.

Dictamen loco lectionis, Rhy. 1. Tanto viro locuturi.

De malis Rom. curiæ, Rhyth. 1. Vtor contra vitia.

De palpone & aſſentatore, Rhyt. 1. Multi mortalium.

De malis monachorum, Rhyt. 1. Noctis crepuſculo.

Ad utrumque ſtatum, Rhyth. 1. Suſcitavit Dominus.

De

De Thetide & Lycæo, Rhyth. 1. Cum tenerent medium.
Disceptationem nubendi, Rhyth. 1. Sit Deo gloria.
De mundi contemptu, Rhyt. 1. Cur mundus militat.
De punitione peccati, Rhyt. 1. Omnis caro præcaveat.
Super cleri convocatione, Rhyth. 1. Novus rumor Angliæ.
De mundi miseria, Rhyth. 1. Ecce mundus moritur.
De fide trinitatis, Rhyt. 1. Multis à confratribus
De Maria virgine, Rhyth. 1. Pone scribentium tot.
Cambriæ Epitomen, lib. 1. Libri cursus nunc Camb.
Topographiæ compendium, lib. 1. Lectio certa prodest.
CommendationesGyraldi, lib. 1.
InCistertienses Monachos, lib. 1.
Atque alia multa. Huic Gyraldus dedicavit libros suos de operum suorum procemijs, ac de symbolis electorum. Claruit Mapes anno nati Servatoris nostri 1210. sub Angelorum rege Joanne, suo Mecœnate ac domino.

Appendix.

Gyraldus Cambriensis de utroque, & Mapo & Bamologo, hæc scripsit in Speculo Ecclesiæ.

fiæ. Primùm de Mapo lib. 3. cap. 1. & 14. Gualtherus cognomento Mapus, vir celebri fama conſpicuus, & tam literarum copia, quàm curialium verborum facetijs præclarus, Oxonienſis archidiaconus, facetias plures in Ciſtertienſes monachos evomebat, quòd illos ob eorum ambitionem & avaritiam odio habuiſſet. Iudæis, inquit, & albis monachis nulla fidelitas ſervanda, cum nec ipſi ſervent, &c. De Bamologo vel ſcurra, ut quem putabat Rhythmorum autorem, lib. 4. cap. 16. ejusdem operis dicit: Paraſitus quidam, Golias nomine, noſtris diebus guloſitate pariter & dicacitate famoſiſſimus, qui Gulias melius, quia gulæ & crapulæ per omnia deditus, dici potuit: literatus tamen affatim, ſed nec bene morigeratus, nec diſciplinis informatus, in Papam & curiam Romanam carmina famoſa pluries & plurima, tam metrica quàm rhythmica, non minus impudenter quàm imprudenter evomuit.

APOCALYPSIS GOLIÆ PONTIFICIS, SUPER corrupto ſui temporis Eccleſiæ ſtatu, edita rhythmis facetis, per Gualtherum Mapes Oxonienſem archidiaconum, circa annum Domini 1200.

A Tauro torrida lampade Cynthij
Fundente iacula ferventis radij,
Frondoſas latebras nemoris adij
Explorans gratiam lenis Favonij,
Aeſtivi medio diei tempore,

Fron-

Frondoſa recubans Iovis ſub arbore
Aſtantis video formam Pythagoræ,
Deus ſcit, neſcio, utrum in corpore.
Ipſam Pythagoræ formam inſpicio,
Inſcriptam artium ſchemate vario:
An extra corpus ſit hæc revelatio,
Vtrum in corpore, Deus ſcit, neſcio.
In fronte micuit ars Aſtrologica,
Dentium ſeriem regit Grammatica,
In lingua pulchrius vernat Rhetorica,
Concuſſis æſtuat in labijs Logica.
Eſt Arithmetica digitis ſocia,
In cava Muſica ludit arteria,
Pallens in oculis ſtat Geometria,
Quælibet artium vernat vi propria.
Eſt autem ratio totius Ethicæ:
In tergo ſcriptæ ſunt artes Mechanicæ.
Qui totum explicans corpus pro codice
Volam expoſuit, & dixit: Inſpice.
Manus aperuit ſecreta dexteræ,
Cumque perſpexeram, cœpique legere,
Inſcriptum reperi fuſco charactere:
Dux ego prævius, & tu me ſequere.
Citò prælabitur, quem ſequi cœperam,
Et ducor citius in terram alteram.
Simul devoluimur, quà multa videram
Inter prodigia plebem innumeram.
Dum miror, dubius quæ ſint hæc agmina,
Per frontes ſingulas traducens lumina,
Vidi quorumlibet inſcripta nomina,
Tanquam in ſilice, vel plumbi lamina.

Hic

Hic Priſcianus eſt dans palmis verbera,
  Hinc Ariſtoteles conculcans aera,
  Verborum Tullius vi mulcet aſpera,
  Fert Ptolemæus ſe totum in ſidera.
Tractat Boetius numerabilia,
  Metitur Euclides locorum ſpacia,
  Frequens Pythagoras circa fabrilia
  Trahit à malleis vocum primordia.
Lucanum video ducem bellantium,
  Formantem aereas muſcas Vergilium,
  Paſcentem fabulis turbas Ovidium,
  Nudantem Satyros dicaces Perſium.
Incomparabilis eſt ſtatus ſtatio,
  Cujus detinuit res comparatio.
  Saltat Terentius plebeius hiſtrio,
  Agreſtes Hippocras potat abſynthio.
Dum vulgi ſentio geſtus innumeri,
  Acceſſit angelus præfulgens ſideri,
  Qui dixit: Suſpice, oculos aperi,
  Et vide citò, quæ oportet fieri.
Suſpexi celeri cœlos intuitu,
  Et fui poſtea ſtatim in ſpiritu
  Tractus per æthera miro circuitu,
  Cœlorum poſitus tandem in aditu.
Mox fulgur fulgurans, quod circumfulſerat,
  Primos intuitus mihi reverberat:
  Et dixit angelus, qui mecum aderat:
  Siſte, videbis quæ Joannes viderat.
Viſa conſcripſerat ille myſteria,
  Septem Eccleſijs, quæ ſunt in Aſia.
  Tu ſcribes etiam, forma ſed alia,
  Septem Eccleſijs quæ ſunt in Anglia.

Dum

Dum inter dubia figor immobilis,
Quædam intonuit, tanquam volubilis
Rotæ, tonitrui five terribilis,
Vox tubæ corneæ, vel tubæ ductilis.
Vidi poſt ſonitum pulſantem æthera,
Septem candelabra, ſeptemque ſidera,
Quæ vir eximius tenebat dextera.
Et dixit Angelus, frater conſidera.
Sunt hæc candelabra ſeptem Eccleſiæ,
Et ſtellæ præſules ſunt omnes hodie,
Debentes alijs formam juſticiæ
Ponunt ſub modio lucernam gratiæ.
Poſt hæc appoſuit cum ſeptem titulis,
Signatum codicem ſeptem ſignaculis,
Dicens: reſpicias intentis oculis,
Quæ nota facies terrarum circulis.
Eſt vitæ præſulum codex hic conſcius,
Qui per ſignaculum videtur clarius.
Nam intus clauditur deteſtabilius,
Et laudabilia ponit exterius.
Primi capituli quædam potentia
Signum aperuit: & animalia
Conſpexi quatuor, quæ reddit varia
Formæ diverſitas, geſtus æqualia.
Eſt primum animal leoni ſimile,
Secundum vitulo, tertium aquilæ,
Et quartum homini: quodque volatile
Repletum oculis, jocis volubile.
Cum primi ſolvitur nexus ſignaculi,
Detecta ſerie primi capituli,
Totius aciem luminis intuli,
Hunc tamen perlegens tenorem tituli:

Eſt leo pontifex ſummus, qui devorat,
Marcam reſpiciens, Marcum dedecorat:
Qui libras ſitiens, libros impignorat:
In ſummis navigans, in nummis anchorat.
Eſt iſte vitulus præſul, qui prævius
In loco paſcuæ præcurrit citius,
Roditque ruminans, quod novit melius,
Et ſaginatus eſt bonis alterius.
Eſt alter aquila, quæ alis nititur,
Archidiaconus, qui prædo dicitur:
Qui videt à longè prædam, quam ſequitur,
Et cum circumvolat, ex rapto vivitur.
Eſt quod induitur humana facie,
Decanus tacitæ plenus verſutiæ,
Qui fraudes operit forma iuſticiæ,
Piumque ſimplici mentitur ſpecie.
Iſta ſunt quatuor alas habentia:
Quia circumvolant rerum negotia.
Plena ſunt oculis, eo quòd prævia
Luſtra proſpiciunt, & ſubſequentia.
Incedit quilibet cum rota mobili,
Dum mens revolvitur axe volubili,
Et circumflectitur voto mutabili.
Intusque ſequitur rotam à ſimili.
Poſtquam perlegeram præmiſſum titulum,
Subſcriptum legere cœpi capitulum:
Quo mores didici, vitamque præſulum,
Qui duces populi, ſeducunt populum.
Væ genti imutili, cornutis ducibus,
Qui mulctant mutilos armatis frontibus,
Dum habet quilibet ferrum in cornibus,
Non paſtor ovium, ſed paſtus ovibus.

Non tantum cogitat ille de miſeris,
De claudis ovibus, ægris vel teneris,
Quantum de computo lactis aut velleris,
Sic ovem perditam refert in humeris.
Si vulgi noverit exceſſus paucolos,
Cauſatur fidei læſos articulos,
Trahit jus ovium in cauſæ tribulos,
Vellens exuvias, & mulgens loculos.
Errantem ſequitur grex errans prævium,
Quem paſtor devius ducit per devium,
Poſt lac & vellera dat carnes ovium
Luporum dentibus, & roſtris avium.
Malè ſponſalium nexus in annulo,
Gregisque regimen penſat in baculo,
Cui ſoli canones pendent in loculo.
Sic lecto ſubſtiti primo capitulo,
Concuſſu nubium cœlum accenditur,
Fit coruſcatio, aer concutitur,
Et vox tonitrui in rota voluitur,
Ad hoc ſignaculum ſecundum ſolvitur.
Ecce capitulum legi de moribus
Archidiaconi, qui ſuis viribus,
Quicquid à Præſulis evadit manibus,
Rapit, & lacerat roſtris & unguibus.
Hic plenus oculis ſedet ad ſynodum,
Lynx ad inſidias, Ianus ad commodum,
Argus ad animi ſcelus omnimodum,
Sed Polyphemus eſt ad iuris methodum.
Doctorum ſtatuit decreta millium,
Quorum eſt pondus ſupra jus jurium:
Vnum qui ſolverit, reus eſt omnium,
Niſi reſolverit prius marſupium.

Dum

Dum caufas ventilat perfonis diffonis,
Formans fallacias fub forma canonis,
Transformat canonem in formam Simonis,
Qui eft Mercurius Archidiaconis.
Ecclefiaftica iura venalia
Facit propatulo: fed venialia
Cum venum dederit, vocat à venia,
Quam non inveniens venit Ecclefia.
Seductam nuncij fraude præambuli
Capit focariam, ut per cubiculi
Fortunam habeat fortunam loculi,
Et per vehiculum omen vehiculi.
Decano præcipit, quod fi presbyteri
Per genitivos fint, dativos fieri,
Accufans faciat vocatum conteri,
Ablatis fratribus à porta inferi.
Corpus inter polat lunare Cynthium,
Involuit aera caligo nubium,
Concretis tenebris ad inftar noctium:
Ad hoc fignaculum fe folvit tertium.
Et dixit Angelus, Lege quæ reperis.
Qui legens reperi de viro fceleris,
Qui loca circuit venator Veneris,
Auceps infamiæ, pifcator muneris.
Hic vir Decanus eft, qui viri fpecie,
Non vir, fed virus eft virofa fanie,
In viros viribus virens malitiæ,
Humanum mentiens humana facie.
Decanus canis eft archidiaconi,
Cujus funt canones latratus diffoni.
Canens de canone difcors eft canoni,
Dandisque venditis concors eft Simoni.

Decanus canis eſt, qui ſequens prævia
  Nare cupidinis lucri veſtigia
  Inducit callidè cleri marſupia,
  Qua prius fixerat magiſtri retia.
Spondet auxilium danti munuſcula :
  Sed poſtquam fervida, rerumque bibula
  Corda ſedaverit monetæ crapula,
  Poſt datum nihil eſt, quod laudes pocula.
Spondet auxilium, ſi quid contuleris.
  Sed cum chiragricæ ferventem unxeris,
  Palmæ pruriginem unguento muneris,
  Ibit podagricè ad opem operis.
Juſſus dirimere lites, quas ſuſcitat
  A' veris profugus, falſis inhabitat.
  Certus in dubijs, in certis dubitat,
  Qui piè loquitur doloſe cogitat.
Injuſtum promovet, & juſtum conterit
  Spretor juſticiæ, ſi lucrum viderit
  Amator Titij : ſi jus adjunxerit,
  Præfectus ſceleris ſeſe removerit.
A' ſummis aurea manus emicuit,
  Quæ tribus digitis librum aperuit,
  Signum ſubitò ſolvens evanuit :
  Ad hoc capitulum quartum apparuit.
Hîc ſcriptas reperi conſuetudines,
  Officialium raptus, voragines,
  Fraudes, furias, & turpitudines,
  Quæ magni codicis excedunt margines.
Hi ſunt, quos retinens mundus inhorruit,
  A' quorum facie terra contremuit,
  Quos dum in cautibus Rhodope genuit,
  Ad omnes ſcelerum motus exacuit.

Quan-

Quantum ex ſibimet innato ſcelere,
  Vel ex officio poſſint officere,
  Quis ſcribet calamus ſcribentis properè?
  Quæ vox, quæ poterit lingua retexere?
Defamant alios commiſſa levia.
  Hi nempe furijs atque ferocia
  Cum inſanierint, fiunt ſilentia,
  Non murmur reſonat, nec querimonia.
Hi venatores & aucupes Præſidis
  Ponunt fallacias tutis & timidis,
  Ignaris retia, ſpicula providis,
  Incautis laqueos, & viſcum callidis.
Sic ſæpe Præſulum lucrantur cameræ
  Mille denarios emunĉto paupere:
  Sed decem millia cadunt à latere,
  Quæ nunquā Præſulū propinquant dexteræ.
Summo Eccleſias venantur ſtudio:
  Si quam extorſerint, nunquam fit quæſtio,
  In cujus nomine ſit dedicatio,
  Sed quantum loculis infundat penſio.
Hoc ſuis ſemper eſt adjunĉtis obvium,
  Quo ſemper aliquid ſit in contrarium:
  Hinc nomen ducitur Officialium,
  Qui ut officiant, habet officium.
Dum fiunt turbines & terræmotio,
  Vox clara intonans à cœli ſolio
  Exclamat Ephphata, quod eſt apertio,
  Fitque ſignaculi quinti ſolutio.
Viſo capitulo legi procœmium
  Morum & aĉtuum ſacerdotalium:
  Væ qui dedecorant rerum principium,
  Dum pro denario vendunt ternarium.

Divinis intereſt ſacerdos turpiter
Divina celebrans, de vino jugiter
Qui Deò crapulam aſpirat, aliter
Sacerdos, aliter dicendus presbyter.
Sacerdos rarius de jure poterit
Dici, quàm presbyter, qui bene dixerit.
Nam tunc ſacerdos eſt, cum ſacra dederit:
Tunc verò presbyter, cum ter præbiberit.
Peccat audacius, eo quòd peſſima
Peccandi genera, totque graviſſima
Diſcit à plurimis in Quadrageſima,
Sic ſua reputans commiſſa minima.
Abominabilis Deo vir ſanguinum,
Plus mortem cupiens, quàm vitam hominum
Vnam puerperam capacem ſeminum
Mallet, quàm ſedecim millia virginum.
Poſt Miſſam Presbyter relinquens infulam,
In meretriciam deſcendit inſulam:
Sic fecit Iupiter, qui juxta fabulam
Cœlum deſeruit, ſequendo vitulam.
Hanc mulieribus proponit maximam:
Quòd nulla ſaluabitur ad horam ultimam,
Cœlorum nec ingredi poterit januam,
Ni de corpore det ſuo decimam.
Sicque vulpecula foveas fodicat,
Non cauſa Veneris infantes procreat:
Sed ut de proprio animas habeat,
Quibus, quas perdidit, reddere valeat.
Poſthæc à thalamo prodit æthereo
Virago nobilis, vultúque roſeo:
Quæ librum digito diſſoluit niveo,
Sextum ſignaculum ſolutum video.

Iſtud

Iſtud capitulum figuris brevibus,
Minutis literis, & cohærentibus,
Arctisque texitur interlinearibus,
Clerique plenum eſt crebris exceſſibus.
Torpens ignavia, tumens elatio,
Libido ſordidans, fervens ambitio,
Voluptas indecens, & turpis actio
A' turpi prodeunt cleri contagio.
Ecce Vicario perſona primitùs
Committit animas, & jura ſpiritus,
Sibique retinet cauſas & reditus,
Quos audax devorat & imperterritus:
Errantem animum in plura dividens,
Decem eccleſias, vel plures poſſidens,
Eſt malè ſingulis ſubjectis reſidens,
Dum adeſt & abeſt ſemper ut accidens.
Eſt ſuæ celſius aulæ faſtigium,
Quàm ſit Eccleſia ſanctorum omnium,
Suæque pluris eſt puellæ pallium,
Quàm opertoria decem altarium.
Facit imagines & ædificia,
Veſtes & annulos, ac mutatoria,
De patrimonio regentis omnia,
Quem ſtare patitur nudum ad oſtia.
Commiſſas animas fovet Vicarius,
Vt ſuam propriam. nam ut liberius
Amittat alias, de ſua potius
Perdenda cogitet, ad mala prævius.
Omnis à clericis fluit enormitas,
Cùm Deo debeant mentes ſollicitas,
Tractant negotia, labesque vetitas,
Et rerum turpium vices indebitas.

Hic ſulcat maria præcepto Domini,
Hic colit nundinas credendo nemini,
Hic arat ſocius bovis & aſini,
Vt ſors cujuslibet repugnet ordini.
Hic generoſior tonſuram reſpuit,
Alter ad clerici nomen erubuit:
Hic librans liberos, libros deſeruit.
Sic inter clericos clerus defloruit.
Poſthæc Aethiopum turba cum turbine
A' quodam prodeunt fuſco bitumine,
Qui longo veniunt paſſim examine
Clamantes ſepties, Tu autem Domine:
Clamantes horrida voce teterrimi.
Tremore miſerum dux me videt comprimi,
Stetique corpore tanquam exanimi,
Cum ſit ſolutio ſigilli ſeptimi.
Abbatum video mores & opera,
Quorum eſt quiſque dux gregis ad infera,
In clauſtro mobilis, fixus in camera,
Et in capitulo tanquam ephimera.
Hi mundi gaudia ſprevere penitus,
Quod probat paſſio ſilentis ſpiritus,
Cordis contritio, aquarum exitus,
Tonſuræ vilitas, & vilis habitus.
Sed cum ſit habitus ipſorum turpior,
In ipſis habitat Venus ſecurior:
Si malè convenit tonſura celſior,
Frons eſt ad calicem prona liberior.
Si flentes habeant cor contritum ſolito,
Arrident calici ſemper appoſito,
Sed linguam ſpiritu refrenant tacito,
Multa convicia loquuntur digito.

Qui-

Quibus prandentibus voto præcipiti
  Fauces celerrimæ, dentes soliciti,
  Sepulchrum patens est guttur, par gutturi
  Spumoso stomachus, & rastris digiti.
Dum cœnas celebrat Abbas cum fratribus,
  Torquentur calices à propinantibus:
  Vinumque geminis extollit manibus,
  Et sic grandilonis exclamat vocibus.
O quam glorifica lucerna Domini,
  Calix inebrians in manu strenui.
  Ho Bacche, ho dux sis nostro conventui,
  Stirpis Davìdicæ prole nos prolui.
Hic sumens poculum tractum à Cerere
  Clamat, hunc calicem in suo genere,
  Quem bibiturus sum, potestis bibere?
  Respondent, Possumus, ha, sic fac properè.
Sed ne potandi sit illa conditio,
  Vt qui fert, teneat, donec de medio
  Fiat, hinc esset lis & contradictio:
  Sed totum bibitur sine litigio.
Tunc legem statuunt, pactumque mutuum,
  Ne sit in calice quicquam residuum:
  Sic sine requie ventris & manuum
  Vas plenum vacuant, & replent vacuum.
Quisque de monacho fit dæmoniacus,
  Et cuique monacho congarrit monachus,
  Vt picæ pica, vel psittaco psittacus,
  Cui dat ingenium magister stomachus.
His mola dentium tumorem faucium,
  Lagena gutturis ventris diluvium,
  Oris aculeus dat flammas litium,
  Et fratrum malleus calorem noctium.

Cum inter fabulas & Bacchi pocula
  Modum & regulam ſuſpendit crapula,
  Dicunt quod dicitur, favor à fabula,
  Modus à modio, à gula regula.
Et ſic fit ordinis frequens tranſgrêſſio,
  Fraudes, perjuria, livor, detractio,
  Mentis eſuries, rerum deſtructio,
  Ventris ingluvies, renum concuſſio.
Eſt nullum monacho majus dæmonium,
  Nihil avarius, nihil magis varium.
  Cui ſi quid datur, eſt poſſeſſor omnium:
  Si quicquam petitur, nihil habet proprium.
Si prandet, competit, ut loqui neſciat,
  Ne lingua dentium opus impediat:
  Si bibit, expedit, ut ſedens hauriat,
  Ne pes ſub pondere ventris deficiat.
Die devotius adorat dolia,
  Nocte cum bipede laborat beſtia:
  Tali diſcrimine, tali moleſtia
  Meretur vir Dei regna cœleſtia.
His mihi plenius viſis & cognitis,
  Dux meus manibus me capit inſitis,
  Et caput quatuor decerpens digitis,
  Solvit in quatuor compagem capitis.
Et ne myſteria vidiſſem perperam,
  Rigentem ſtipulam ſiccam & aſperam
  Figens occipitis in partem teneram,
  Scripſit in cerebro cuncta quæ videram.
His geſtis deferor in ſumma nubium,
  Cœlúmque raptus ſum uſque ad tertium,
  Ubi mirabile vidi myſterium,
  Et ineffabile cuique mortalium.

Ad

Ad ſummi judicis tractus concilia,
Inter tot millies centena millia
Profundè didici Dei conſilia,
Humanis mentibus inſcrutabilia.
Quæ poſtquam videram, ſtatim eſurii:
Mihique proceres magni conſilii
Panem papaveris proponunt, alii
Lethæi laticem propinant fluvii.
Cúmque palpaveram panem papaveris,
Labrisque laticem infudi miſeris,
Statim oblitus ſum divini muneris,
Nec quicquam potui noſſe de ſuperis.
De cœlo cecidit ut Cato tertius,
Nec ſummi venio ſecreti nuncius,
Sed meus mihi quod inſcripſit ſocius,
Hoc vobis dicere poſſum fidelius.
O quanta dicerem, ô quàm mirifica
De rebus ſuperis, & ſorte cœlica,
Niſi papaveris cœna ſophiſtica
Mentis veſtigia feciſſet lubrica.

Sermo Goliæ Pontificis ad Prælatos impios.

Dilatatur impii regnum Pharaonis,
Plebs Hebræa premitur, ſpoliatur bonis;
Saul non compeſcitur muſicorum tonis,
Infulatus Aaron delectatur donis.
Templum Dei violat ordo Prælatorum,
Dum furantur filii carnes cacaborum.
Hi ſunt ſemen Canaan, duces reproborum,
Per quos dona ſpiritus fiunt juge forum.

Patrum princeps, Isaac olim vocitatus,
Jacob munus recipit, eo satiatus
Benedixit Israël: inde primo natus
Longum flevit Esau, quasi reprobatus.
Excitati Præsules rectam linquunt viam.
Jacob Rachel fugiens, amplexatur Liam,
Inde læsus claudicat, vulneratus sciam,
Quòd futuri legitur fore prophetiam.
Terminabit Dominus præsulum sophisma,
Per quos venit scandalum, per quos venit schisma:
Sacros vendunt ordines, sacrum vendunt chrisma,
Vendunt, in se quantum est, spiritus carisma.
Præbendæ nunc temporis ducuntur ad forum,
Simonia pullulat, & dilatat chorum;
Sed disperdet Dominus iter impiorum,
Conquassabit capita in terra multorum.
Inaudita dicerem, si liceret fari;
Pauper omnis pellitur procul ab altari,
Postquam sentit Pontifex nihil posse dari,
Non est qui pro paupere spondeat scholari.
Jam mandicat miserè chorus poetarum,
Nulli prodest imbui fonte literarum:
Huic qui parum possidet, datur nihil aut parum,
Nihil absque munere præsul ducit carum.
Jam columnæ titubant templum sustinentes,
Nam pervertunt munera sacerdotũ mentes:
Credo quòd hos sorbeat Tartarus viventes,
Qui nihil gratis tribuunt Simonem sequentes.

Aurum

Aurum templi penitus redditur obſcurum,
Plures reædificant Babylonis murum,
Per quos domus Domini fit ſpelunca furum,
Quibus contra ſtimulum calcitrare durum.
Evangelizantium ſordidantur pedes,
Sed nil credunt ſordidum Simonis hæredes:
Alienas vacuant, ſuas implent ædes,
In tribunal vertitur paſtoralis ſedes.
Aret ſicca penitus ficus abſque flore,
Gedeonis area dulci caret rore:
Jam prælatos miſeri fata moveant Chore,
Unà ne conſimili pereant dolore.
Cum ſecare nequeam, fungar vice cotis:
Imitantur Præſules Chriſtum à remotis,
Horum nullus circuit orbem in melotis,
Imò mundum viribus amplexantur totis.
Non, ut verum fatear, loquor cauſa mei,
Sic me cogit ſcribere zelus domus Dei:
Quam non regunt Præſules, imò Phariſæi,
Qui ſubjectos faciunt reos, jam ſunt rei.
Multa ferunt aſpera, multos cruciatus,
Hic ſecretum thalami paucis comitatus
Intrat, ibi recubans, cibis crapulatus
Delet vino veteri populi reatus.
Iter magis patitur nomine pro trino,
Hyemali tempore proximus camino,
Vinum forte redolet ore reſupino,
Poſſes ſine poculo ſatiari vino.
Quiſquis eris pontifex, hic nunc ſemper ora:
Tempus, mare, flumina fluunt abſque mora:
Viros, ſenes, pueros mortis capit hora,
Cujus nemo poterit retinere lora.

Exo-

Exoramus igitur ſummum creatorem,
In quo ſolo vincimus pravum exactorem,
Ut nobis exhibeat ſpiritus amorem,
Extinguendo penitus criminum ardorem.
Exoremus itaque fontem pietatis,
In quo lumen latuit ſummæ deitatis,
Ut ſubjectis tribuat ſimul & Prælatis
Vivo ſemper perfrui pane charitatis.

Sermo Goliæ ad Prælatos.

A legis doctoribus lex evacuatur,
Clerum odit laicus, pax periclitatur:
Non in cruce Domini quiſquam gloriatur,
Pugna, lis, diſcordia per crucem ſedatur.
Vitam claudit hominum paucitas dierum,
Vix eſt inter homines qui diſcernit verum.
Jam plebs juſtè murmurat contra Dei clerũ:
Fraus eſt & confuſio, perit ordo rerum.
Puer ſenem arguit dignitate pari,
Rachel plorans filios non vult conſolari.
Jam ruinam Hierico videt reparari,
Res mala dum Sodomæ nequit extirpari.
Circa mundi veſperam mala convaleſcunt,
In ſeniii corpore ſordes juveneſcunt:
Suis in ſtercoribus pecora ſordeſcunt,
Et languente capite membra conlangue-
ſcunt.
Væ qui propter munera vitam condemnatis,
Glutientes bubalum, culicem colatis:
Per errorum devia malè deviatis,
Nec jam dona gratiæ gratus habet gratis.

Væ

Væ paſtores Iſraäl gregem non paſcentes,
Et à grege Domini lupos non arcentes,
Qui ſe dedit precium ad ſalvandas gentes :
Erratis in invio, Chriſtum non ſequentes.
Væ qui ſuper Moyſi cathedram ſedetis :
Lex à vobis dicitur, quam vos non impletis.
Ejus in Eccleſia ſpeciem tenetis,
Cujus procul dubiò vitam non habetis.
Væ vobis hypocritæ, filii mœroris,
Qualis quiſque fuerit, non apparet foris:
Qui dux eſſe debuit vitæ melioris,
Per errorem factus eſt laqueus horroris.
Væ qui donis hominum faves in perſonis,
Et ad voces panperum aures non apponis:
Hic eclipſin patitur lumen rationis,
Cum in jure prior eſt, potior in bonis.
Cum ad bona curritur manibus contentis,
Sæpe fit ut pereat jus nihil habentis :
Furit manus judicis in cauſa potentis,
Codri tamen claudicat æris nil ferentis.

Golias ad Chriſti ſacerdotes.

VIri beatiſſimi, ſacerdotes Dei,
Præcones Altiſſimi, lucernæ diei,
Charitatis radiis fulgentes & ſpei,
Auribus percipite verba oris mei.
Vos in ſanctuario Dei deſervitis,
Quos vocavit palmites Chriſtus vera vitis,
Cavete ne ſteriles aut amari ſitis,
Si cum vero ſtipite vivere velitis.

Vos

Vos eſtis Catholicæ legis portatores,
Sal terræ, lux hominum, ovium paſtores,
Muri domus Iſraël, morum correctores,
Judices Eccleſiæ, gentium doctores.
Si deſit protectio legis, lex labetur:
Si ſal evanuerit, in quo ſalietur?
Niſi lux appareat, via non ſcietur:
Niſi paſtor vigilet, ovile frangetur.
Vos cœpiſtis vineam Dei procurare,
Quam doctrinæ rivulis debetis rigare,
Et ſpinas & tribulos prorſus extirpare,
Ut radices fidei poſſint germinare.
Vos eſtis in area boves triturantes,
Prudenter à paleis grana ſegregantes:
Vos habent pro ſpeculo legem ignorantes,
Laici qui fragiles ſunt & inconſtantes.
Quidquid vident laici vobis diſplicere,
Credunt proculdubio ſibi non licere.
Sed quicquid vos opere vident adimplere,
Credunt eſſe licitum, & culpa carere.
Cum paſtores ovium ſitis conſtituti,
Non eſtote deſides, neque canes muti,
Sonum veſtrum metuant latratus arguti,
Lupus rapax invidet ovium ſaluti.
Grex fidelis triplici cibi ſuſtentetur,
Corpore Dominico, quo fides augetur,
Sermonis compendio, ut diſcretè detur,
Mundano cibario, ne periclitetur.
Omnibus tenemini viris prædicare,
Sed quibus, quid, qualiter, ubi, quando, quare
Debetis ſolicité præconſiderare,
Ne quis in officio dicat vos errare.

Spectat

Spectat ad officium vestræ dignitatis,
Gratiæ petentibus dare dona gratis:
Quæ si contra fidei regulas vendatis,
Vos lepram miseriæ ferre sentiatis.
Gratis Eucharistiam plebi ministrate,
Et gratis conficite, gratis consecrate:
Secundum Apostolum omnia probate,
Solum hoc quod fuerit bonum, approbate.
Vestra conversatio sit religiosa,
Munda conscientia, vita virtuosa,
Regularis habitus, fama speciosa,
Nulla vos coinquinet labes criminosa.
Estote pacifici, sobrij, prudentes,
Iusti, casti, simplices, pij, patientes,
Hospitales, humiles, subditos docentes,
Consolantes miseros, pravos corrigentes.
Estote benevoli, ne vos ducat ad reatum,
Verbum, quod proponitis, sit abbreviatum,
Per vos inter simplices, bene adaptatum,
Nam in multiloquio non deest peccatum
Nullos fastus exprimat signum vestræ vestis,
Gravitatis vestium habitus sit testis:
Nihil vos illaqueet curis inhonestis,
Quibus claves traditæ regni sunt cœlestis.
Vtinam sic gerere curam pastoralem
Possitis in seculo per vitam actualem,
Vt cum exueritis chlamydem carnalem,
Induat vos Dominus stolam æternalem.

Prædicatio Goliæ ad terrorem omnium.

TEmpus acceptabile, tempus est salutis,
Tempus est discutere jugum servitutis.

Accingamur igitur gladio virtutis,
Resistentes fortiter hostibus hirsutis.
Quasi leo rugiens hostis investigat,
Quærit quos decipiat, & deceptos ligat:
Varijs contagijs animas fatigat,
Vt æternis morsibus miseras affligat.
Graviter offendimus regem Majestatis,
Sed nos indulgentia summæ Trinitatis,
Suam nobis gratiam conferendo gratis,
Sanet à langoribus, mundet à peccatis.
Carnis pestilentiæ restringamus ora:
Si jam bona facta sunt, fiant meliora.
Eligamus citius & honestiora,
Nam nos ad periculum trahit ista mora.
Et ne fortè cogites, Vivam decem annis,
Tunc me vilioribus castigabo pannis,
Tunc induar vestibus Pauli, vel Joannis:
Sic expectat rusticus, dum defluat amnis.
Res infœlicissimas, cur non confiteris?
Dic tuas malitias, ut justificeris.
Steriles inducias, & inanes quæris:
Expectans decennium, fortè cras non eris.
Quisquis ergo pœnites, lachrymis abunda,
Ore, corde, corpore tua facta munda.
Istos David lapides posuit in funda,
Hæc est post naufragium tabula secunda.
Quid dicturi miseri sumus ante thronum,
Ante tantum judicem, ante summum bonum?
Tunc non erit aliquis locus hîc præconum,
Cum nostrarum præmia reddet actionum.

Cum

Cum perventum fuerit ad examen veri,
Ante thronum ſtabimus judicis ſeveri,
Non erit diſtinctio laici vel cleri,
Nulla nos exceptio poterit tueri.
Hîc non erit licitum quicquam allegare,
Neque jus reijcere, neque replicare,
Nec ad Apoſtolicam ſedem appellare:
Reus tunc damnabitur, nec dicetur quare.
Cogitate divites, qui vel quales eſtis,
Quid in hoc judicio facere poteſtis:
Tunc non erit aliquis locus hîc Digeſtis,
Idem erit Deus hic, judex, autor, teſtis.
Iudicabit judices judex generalis,
Nihil ibi proderit dignitas regalis:
Sed fœtorem ſentiet pœnæ gehennalis,
Sive ſit Epiſcopus, ſive Cardinalis.
Nihil ibi dabitur bullæ, vel ſcriptori,
Nihil camerario, nihil janitori:
Sed dabuntur præſules peſſimo tortori,
Quibus erit vivere ſine fine mori.
Apud noſtros judices jura ſubvertuntur,
Et qui legem faciunt, lege non utuntur.
Sed attendant miſeri, mala quæ ſequuntur:
Hi qui damnant alios, primò damnabuntur.
Vobis ergo præcipit conditor cœlorum,
Vt vos ſitis quilibet ſocij juſtorum,
Vt columbæ ſimplices ad exempla morum,
Si conſortes fieri vultis angelorum.
Vos, ut ait Dominus, lumbos accingatis,

Quod eſt proculducio ſignum caſtitatis:
Hanc lucernam manibus veſtris ſufferatis,
Vt exemplum populo bonum præbeatis.
Vos qui vultis populo Domini prodeſſe,
Et qui vultis Domini populo præeſſe,
Cujus vitam agere decet indefeſſè,
Pios, largos, humiles, dignos intereſſe:
Viri venerabiles, ſervientes aræ,
Vobis mandat Dominus plebem caſtigare,
In fervore, moribus, & ſpe radicare,
Vt & vos cum populo poſſit luminare.
Sacerdoti convenit legem ſacram ſcire,
Plebem vita, moribus, verbis erudire;
Vt cum tandem venerit illa dies iræ,
Piam vocem Domini poſſint hanc audire:
Benedicti filij regnum poſſidete,
Quod vobis paratum eſt ſine meta metæ,
Sacri vos presbyteri, ſicut & prophetæ,
Benedicti filij mecum congaudete.

De his quæ regnant in Romana curia.

VTor contra vitia carmine rebelli,
Mel proponunt alij, fel ſupponunt melli,
Pectus ſubeſt ferreum deaurati belli,
Et leonis ſpolium induunt aſelli.
Diſputat cum animo facies rebellis,
Mel ab ore profluit, mens eſt plena fellis:
Non eſt totum melleum quod eſt inſtar mellis,

Leo, Ioannes rex aſelli, Epiſcopi ſunt.

Facies

Facies est alia pectoris quàm pellis.
Vitium est in opere, virtus est in ore,
Tegunt partem animi niveo colore:
Membra dolent singula, capitis dolore,
Vt radici congruit ramus in sapore.

Quæ ejusdem autoris hic in Romam sequebantur, in tertiam hujus libri partem rejecta invenies, hoc initio, Roma caput mundi &c.

Excommunicatio Goliæ pro pileo.

RAptor mei pilei morte moriatur:
Mors sit subitanea, nec prævideatur:
Et pœna continua post mortem sequatur,
Nec campis Elysijs trans Lethen feratur.
Raptor mei pilei sæva morte cadat:
Illum febris, scabies, & tabes invadat:
Hunc de libro Dominus summæ vitæ radat,
Hunc tormentis Aeacus cruciandum tradat.
Nunquam diu bajulet illi colum Clotho,
Cesset filo Lachesis, nondum tracto toto,
Filum rumpat Atropos: nec fruatur voto,
Sed miser presbytero corruat remoto.
Ejus vita brevis sit, pessimusque finis,
Nec vivat fœliciter his diebus binis:
Laceret hunc Cerberus dentibus caninis,
Laceratum gravius torqueat Erynnis.
Ille rebus omnibus, quas habet, emunctus,
Inconfessus occidat, oleo non unctus,

Morte ſubitanea, pallida defunctus,
Judæ traditori ſit in inferno junctus.
Excommunicatus ſit agro vel in tecto,
Nullus eum videat lumine directo:
Solus ſemper ſedeat ſimilis dejecto,
Hinc pœnis Tartareis crucietur lecto.
Hoc ſi quis audierit excommunicamen,
Et non obſervaverit Præſulis examen,
Niſi reſipiſcat hic corrigens peccamen,
Anathema fuerit: fiat, fiat, Amen.

Planctus ſuper Epiſcopis.

Ironia utitur. COmplange tui Anglia
Melos ſuſpendens organi:
Cantia pro Cantuaria ponit. Et maximè tu Cantia
De mora tui Stephani.
Thomam habes ſed alterum,
Stephanus archiepiſcopus. Secundum habes iterum
Stephanum, qui trans hominem
Induens fortitudinem
Signa facit in populo.
Dolos dolens Metropolis,
Quos ſubdoli parturiunt,
Orbata tuis incolis,
Doloſè quos eijciunt,
Largos emittis gemitus,
Pater Hubertus Vualter. Patre privata penitus.
Sed cum habebis Stephanum,
Aſſumes tibi tympanum,
Stephanus Langton. Chelym tangens ſub modulo.
Vbi es quæſo Moyſes,

Por

Per quem cedat confractio?
Vbi legem zelans Phinees,
Per quem cesset quassatio?
Quis natum David arguens?
Quis Thau signum statuens
In limine & postibus,
Vt sic confusis hostibus,
Liberetur Israel?
Abraham pater gentium
Multarum surge Domine,
Agar expelle filium
*Saræ, ancillæ, dominæ.
Nam post subducet aliam,
Iam adversus Ecclesiam
Prævalent portæ Tartari:
Iam ludo ludunt impari
Isaac & Ismael.
Balthasar bibit iterum
De vasis templi Domini:
Vasa rapit vas scelerum
Dei dicata nomini.
Scribentem cerno digitum,
Et literis implicitum
Scriptis, Mane, tecchel, Phares.
Quid sibi velit ea res,
Rei probabit exitus.
Iam patet in prætorio
Et infimis & arduis,
Quòd regni jam divisio
Et finis est in januis.
Crescit malorum cumulus,

Joannem Graye episcopum Nordovicensem intelligit.

Lis fuit pro archiepiscopatu.

Papam intelligit.

Regem clerus prodidit.

Est sacerdos ut populus,
Currunt ad illicitum
Vterque juxta libitum,
Audax & imperterritus.
Plebs in Aegypti cophino
Seruit, & sudat anxia
Sub Pharaone domino:
Edicta currunt varia:
Exactor opus exigit,
Pandul- Israel lutum colligit.
phus lega- Non est qui eum eruat,
tus. Vel Pharaonis subruat
Equos cum ascensoribus.
Pontifex Spargit Assur ac deijcit
Ro. Chri- Lapides sanctuarij.
stianos Quare quia non obijcit
opprimit. Se lapis adjutorij.
Imò qui se obijcere
Deberent, & effundere
Sanguinem pro justicia,
Tractant de avaritia,
Episcopus Quos his noto apicibus.
Bathoni- Si præsuli Bathoniæ
ensis. Fiat quandoque quæstio,
Quot marcæ bursæ regiæ
Accedant in scaccario:
Respondet voce libera,
Mille, centum, & cætera,
Ad bursam regis colligo
Doctus in hoc Decalogo
Cæcus in forma Canonis.

Tu Noruvicensis bestia
Audi quid dicat veritas:
Qui non intrat per ostia,
Fur est. An de hoc dubitas?
Heu cecidisti gravius,
Quàm Cato quondam tertius:
Cum præsumpta electio
Justo ruat judicio,
  Empta per dolum Simonis.

Joannes Graye archiepiscopatum ambiebat.

Vuintoniensis armiger
Præsidet ad scaccarium,
Ad computandum impiger,
Piger ad Evangelium,
Regis revolvens rotulum.
Sic lucrum Lucam superat,
Marco marcam præponderat,
  Et libræ librum subijcit.

Petrus Vuintoniensis episcopus.

Hi Belphegor prænunciant,
Et sedem Baal subijciunt,
Vt melius proficiant,
Baal sibi præficiunt,
Complectuntur pro niveis
Nigra, stercus pro croceis.
Hi tres insatiabiles,
Sanguisugis persimiles,
  Affer, dicunt, non sufficit,

Mali Episcopi.

Tres tribus his appositi
Sunt, sed longè dissimiles.
Virtutum flore præditi,
Morum vigore nobiles,
Noe, David, & Daniel,

Tres pii.

 Quos

Quos depingit Ezechiel.
Justiciam hi sitiunt,
Ob hæc sese obijciunt
Murum pro domo Domini.
Decanus Eboracensis. Joannes nostri temporis
Surgit Decanus Angliæ,
Canus mente, vi roboris
Stratam vadit justiciæ,
Canit laudum præconia,
Qui jure de Ecclesia
Mariæ nomen accipit,
Dum conflictum hunc suscipit
Sacræ devotus Virgini.
Eustachius Heliensis episcopus. Heliensis progreditur,
Huic datur discrimini,
Heli ut ensis dicitur
Parcens paucis, vel nemini.
Heliaensem exere,
Et impios tres contere,
Ac Babylonis principem
Hujus doli participem
Ictu prosterne simplici.
Mangerius Vuigorniensis episcopus. Tu Vuolstain subambule
Es in conflictu tertius,
Robustus justa sedule
Triumphi veri conscius.
Hæres Vuolstain diceris,
Si verè sis, tu videris.
Prius resigna baculum,
Et ephod & annulum,
Quàm Baal velis subijci.

De

De Roffenfi epifcopo
Nil fcio mali dicere.
Mentior & rem fyncopo
Hic eft, & hîc à latere
Et pauper Sarisburiæ,
Qui dormit ufque hodie,
Ignem & aquam bajulat,
Nec caufatur, nec ejulat
Pro defolata vinea.
I Romam liber parvule,
Nec remeare differas.
Saluta quofque fedulè,
Et Papæ falve defferas.
Dic quid de tribus fentiam,
Ipfe promat fententiam:
Vtrum fuo judicio,
Sint liberi à vitio.
Et mihi detur venia.

Roffenfis ac Sarisburienfis.

Golias ad librum vel Gualterus Mapes.

DE RERVM SACRARVM ABVSV, DEque prætextu Turcici belli, carmen per formam Dialogi, ex vetuftiffimo quodam codice defcriptum.

INTERLOCVTORES:
Sanctio, libertatis amor, Vniverfitas, Sanctio pragmatica.

QVis majora meo patitur contagia morbo?
Quæ gravior febris quem deteriora dabuntur

Vul-

Vulnera? quis morſus colubri, quæ tabida peſtis?
Aſperior morſu perijt Cleopatra cruentæ
Aſpidis, Empedocles calida perit uſtus in Aetna,
Et propriæ vires paſſa eſt Lucretia dextræ,
Et tu vermiculis perijſti Sylla, feroxque
Herodes. medias cecidit Palinurus in undas:
Eurydicen coluber viroſo dente momordit.
Eſtque Meleager jugulatus Adonis ab apro.
Tantalidis Niobes confoſſa fuere ſagittis
Pignora, & aerea perijt detruſus ab arce
Parvulus Aſtyanax. deceſſit fulmine Tullus.
Et variæ mortis ſpecies rapuere fidelem
Attilium, multo perijſti vulnere Cæſar.
Sed nullum genus eſt mortis, violentia nulla
Non levior noſtris, ac non minus improba morbis.
O cervix, ô triſte caput, quàm profero lugens
Tormenti rabiem. ſi qua eſt clementia cœlo,
O ſuperi, veſtras in me torquete ſagittas,
Offero me veſtris jaculis, quæ fecerit ille
Armipotens Capaneus, quem veſtro fulmine tactum
Scripta ferunt. ego vos ſuperi fulmenque faceſque
Poſtulo, fulminiger ſubito me comprimat igne
Rector, ad infernas patiens proficiſcar abyſſos.

Li-

Libertatis amor.

HEu quot ad ærumnas, morbos, ſpeciesvè malorum
Egreditur mortalis homo ? cui mille dolores
Parturit una dies, diuturnáque gaudia nunquam
Creſcere permittit, cui ſi fortuna miniſtret
Læticiæ breve momentum, mox mille ſequuntur
Triſticiæ fletusque dies. hic ulcera ſentit,
Hic patitur tuſſim, morbo cadit ille caduco.
Hunc agitat phreneſis, premit hunc elanguida febris.
Suſtinet ille famem, ſitit hic: gemit alter,& alter
Invidet. hic piger eſt, hic luxurioſus, in iras
Alter proclivis, quot habet diſcrimina mundus?
Si fortaſſe diem Phœbus ſine nube ſerenum
Attulerit, citò nimbivagum crebreſcere cœlum
Incipiet, multasque feret caligo tenebras.
Heu quot ad ærumnas, morbos, ſpeciesvè malorum
Egreditur mortalis homo ? dormire volebam,

Dum

Dum me nescio quæ morbis confecta, virago
Terruit, & multo gemitu properare coegit.
Auxiliatrices miseræ volo tendere dextras:
Libertatis amor sincero nomine dicor.
Quid dicit matrona? San. gemo. Li. Sed quod tibi nomen?
S. Sanctio. Li. Dij quid ais? tu ne illa pijssima nutrix,
Quæ tòti solita es suffragia tradere clero?
San. Illa ego sum. Lib. quæ sæpe inopes nummisque carentes
Euehis ad calices, Christi patrimonia, & aras?
San. Succubui morbo. Lib. cui morbo mater? San. acerbo.
Li. Vnde tui primum venêre exordia morbi?
San. Credo ego, pestiferi succos me hausisse veneni.
Li. Quos succos mater? San. pudet heu nunc prodere. Lib. dicas.
San. Fortè ego vernanti jejuna vagabar in agro,
Visura an fructus me delectaret agrestis,
Quando ignara viæ. Li. dic mater, perfice, San. pratum
Intravi. Li. quid tum? San. pastum in consueta salubrem
Hîc ego conabar decerpere. Lib. perfice mater:

San.

San. Dum vellem hîc aliquo eſuriem depellere ſucco,
Quas mihi ſperabam ſapidas, ſuavesque futuras,
Experior plenas ſpinis pungentibus herbas.
Lib. His herbis aliæ fortaſſe reſiſtere poſſent,
Atque venenatas aliarum extinguere vires.
San. O fili neſcis, quanta eſt pratenſibus iſtis
Aſperitas herbis. Lib. Huic ne eſt vis tabida prato
Quàm reliquis major? Sa. Major, Deus optime major:
Et tanto aſperior reliquis, quanto unda fluentis
Eridani, reliquis pariter quanto eſt mare majus
Fluctibus, & quanto eſt alijs Alemania pejor
Climatibus. Lib. Cur deterior? Sa. Quia nemo reſiſtit.
Li. Expedit hoc pratum rigido reſcindere aratro,
Frumentis aptum fieret fortaſſe ferendis.
San. Neſcio frumentis aptum ſi fortè ferendis
Eſſet, ſed craſſum eſt ſatis, & pinguedine plenum.
Li. Sed cum peſtiferas cunctis ſic proferat herbas,
Cur non vel rigidi ſulco penetratur aratri?
Aut

Aut non gramineo privatur cespite tellus ?
San. O utinam fili durum pateretur aratrum.
L. Fiat. S. Quis poterit ? L. Quis ? durus & asper arator,
S. Ah fili, duo monstra juvant hoc futile monstrum.
L. Quæ duo ? Sa. Flammivomis horrens salamandra sagittis,
Et leo protendens furiosos duriter ungues :
Quæ nisi pestiferis succis, pratoque faverent,
Non tantæ vires essent pratensibus herbis.
Li. Hæc ne duo talem voluere intendere mortem ?
Sa. Jejuno salamandra satis saturata leoni
Me dabat. ô utinam vixisset regius ille
Porcus herinaceus, non nunc florescceret herba
Pratensis: nec ego has paterer sine vindice pœnas.
Quære aliquem fili, qui me servare jacentem
Et velit, & possit. Li. Mater medico utere. Sa. Fili
Hanc prius in tenues animam vanescere ventos
Perpeterer, morererque prius. Li. Cur languida mater ?
San. Nescio quis medicus mihi propinare venenum ?
Iam voluit. Li. Voluit tibi propinare venenum?
Quod mater ? Sa. Factum salamandræ corde, leonis
Felle, etiam, quantum memini, pratensibus herbis.

Nun-

Nunquam utar medicô fili. Li. Ergo quid utile factu
Conijcis? Sa. Est nitido vultu mihi filia. Li. Nomen?
San. Vniversitas.
Accerse hanc, jubeas matri succurrat acerba
Peste laboranti, ut febris lethale venenum
Eruat, aut saltem funus lachrymabile curet.
Lib. Universitas.
Quid facis? an putri potes indormire veterno?
Et pigro somno recubans prævertere glires?
V. Quid facerem? L. O. multis caput insanabile succis
Quid faceres? matrem ne vides stultissima morti
Vicinam, jam nave nigras Acherontis ad undas,
Pergentem, & penè extinctam lethalibus herbis?
V. Quæ mater? L. Quæ? porca jacens, & bellua deses,
Quæ tibi dat calices, Christi patrimonia, victum.
Divitias, studijsque tuis aspirat honores,
Quæ tibi dat lauros, paupertatemque repellit
Sanctio.
Vn. Sed quid habet morbi? Li. Quid habet? stultissima, ceruix
Est jam carnificis gladio, cultroque propinqua;

Et nisi succurras, nullo revocabilis ævo
Præterit, & nigras fugit incomitata sub umbras.
Vni. Quis petit hanc cultris extinguere? Li. quis? bone cœli
Iuppiter, hostilis sumpsit lethalia prati
Pocula. nec satis est, avido salamandra leoni
Hanc parat. Vni. Accurrat cum majestate senatus.
Li. Accurrat? caput ingratum , cervix ve cerebro
Immunis phrenesin patitur. scis ne indiga sensus,
Quòd jam seducti verbis pars magna senatus
Hanc propè devovit? Vn. clamet pars cætera. Li. nescis
Stulta, quòd exponunt venales lilia fasces?
Nec nisi nunc multis judex consul ve creatur
Millibus? Vn. Ergo? Li. Ergo si consul fortè reclamet,
Non ne magistratum præco mox auferet alter?
Vn. Ergo senatorem fas est pollere severa
Iusticia, & diros regum contemnere cultros.
Lib. Si proprio consul deturbaretur honore,
Tortilibus dominam quis tunc onerare cathenis
Posset, & aurato præbere monilia collo?
Vt paucis dicam, tua mater Sanctio morti
Vicina est, nisi subvenias. audis ne? Vn. Quid illi
Efficiam? Lib. prohibe ne sit jugulanda. Vn. quis illam

Po-

Poſtulat ad mortem? Lib. Salamandra , leo, medicusque.
Vn. Quid faciam? Lib. clames, & contra nitere, tanti
Criminis artifices veracibus argue verbis.
Vn. Sed timeo capiti. Lib. Vana formidine demens
Concuteris. Vn. Caput hoc gladio fortaſſe peribit.
Lib. Si gladio, quid tum? tibi gloria parta perennis,
Poſtera te mira laudabunt ſecula pompa.
Cerne quibus titulis autorum ſcripta priorum
Devotos celebrent Fabios, Deciosque potentes.
Aſpice quid Cocles defenſor pontis, & ille
Qui dedit in vaſtas armatum corpus abyſſos,
Laudis habent : quòd pro patria diſcrimina mortis
Sprevere, aut crudos non extimuere tyrannos.
Vn. Morte mea nolo venalem quærere famam.
Li. Aſpice quo veteres diſcrimine Codrus Athenas
Eripuit. Vn. Vita nihil eſt mihi charius iſta.
Lib. Mitis fortè tibi fuerit ſalamandra, leoque.
Vn. Securum non eſt calidis ſe credere monſtris:
Hoc alitur flamma, calidus furor incitat illud.
Et brutum eſt utrunque : caput committere brutis,

 Deli-

Delirum eſt. Lib. Non vis igitur ſuccurrere matri ?
Vn. Pro patre non vellem caput objectare periclis.
Lib. Siccine permittes matrem ſuccumbere cultris ?
Vn. Conſulo cervici propriæ. Li. te poſtulat. V. auris
Vtraque ſurda mihi eſt. Lib. Orat. Vn. Non audio. Lib. Clamat.
Vn. Non curo. Li. Ingratam natam, quæ matre periclis
Expoſita, nec vult minimum conferre juvamen.
Sanctio dormitas? S. Quid ait mea filia. L. Surda eſt.
San. Dixiſti huic rigidæ mortis mihi adeſſe periclum ?
Li. Non curat. San. Cleri libertas ergo recedet?
Gallica ſum, ſed ero Romano præda leoni.

SECVNDA PARS.

Præco veniarum, Miles peccator, Mater militis, Populus, Turca, ejus famulus, & Ecleſia, Abuſus.

Præco veniarum.

ESte procul, vel Pontificis ſententia ſummi
Vos in Tartareas anathemate vertet abyſſos
Eſte procul, ceſſate loqui, mihi credite, turba
Muteſcat, venio huc humanæ præco ſalutis.

Mil.

Mil. Quis novus hic præco noſtras ita perſonat aures?
Præ. Sedis Apoſtolicæ venias anno jubileo
Non inferiores, cuicunque in Turcas
Relligionem noſtram ferociter impetentes,
Protegendæ fidei, & nos defendendi
Gratia progredi volenti, præconiſatum accedo.
Mi. Credo meæ forſan poterunt prodeſſe ſaluti,
Quæ canit. horrendi ſum criminis autor, in omnes
Blapſus ſcelerum ſpecies deſpero, ſaluti
Tempeſtiva meæ niſi jam medicina paretur.
Sum patriæ latro, populi ſpoliator, adulter,
Sacrilegus, non erubui ſtuprare ſororem,
Vxorique meæ potandum offerre venenum.
Hæc ne mihi forſan poterunt peccata remitti?
Dic age, dic præco, veniarum quanta poteſtas?
Præ. Quanta? bone Jupiter. Sanctiſſimus pater
Leo decimus ſuo in regem amore contulit,
Donavit, ſtabilivit, ut quicunque ſub crucis
Vexillo ad Turcas debellandos
Militiæ ſe accinxerint, perpetuis donarentur
Venijs: & ſi fortiter pugnando
Occubuerint, aut in ipſo ſuæ peregrinationis
Itinere, inopia, morte
Interierint, ſumma, ſuperis ipſis collaterales,
Fœlicitate fruantur.
Mil. His poſtquam venijs aboleri crimina poſſunt,
Ibimus in Turcas, qui nuper marte ſecundo

Bisantinam urbem, & sedes rapuere potentes
Græcorum imperij, & ditem domuere Corinthum.
P. Perge ergo, & crucem sequere, bello te accingas,
Sicque veniarum particeps efficieris.
Mi. Nunc pergam, jam tela paro, jam prosequor arma.
Induo loricam, cristata casside crines
Contego. Mater mil. Quò tendis fili? Mil. Peto prælia. Ma. fili
Prælia dira petis? Mil. Turcarum invadere gentem
Accelero, atque armis Mahumeti vertere regnum.
Ma. Vis tu fortunæ belli committere vitam?
Mi. Ardeo. Ma. Vis tolerare famem? Mi. Volo. Ma frigus acerbum,
Aerumnas, æstumque pati, Martem ve ferocem
Tranquillæ paci præponere vis? Mi. Volo. Ma. Ventos
Cum pluvia perferre graves, atque ætheris iras?
Mi Non renuo. M. Vis sub dio requiescere. Mi. Posco.
Ma. Consilium mutes fili. Mi. Desistere nolo
Incœptis, lateri bifidum circumligo ferrum.
Ma. Perpendas, quid agas fili. meditare labores
Bellorum, speciesque necis. si bella sequaris
Fortè vel entheum vibrata sarissa lacerto
Transfiget corpus, vel vitæ prodigus ensis
Brachia truncabit, vel Parthi missa fugacis
Spicula te fodient. Mil. Ibo, non terreor istis.
Ma.

Ma. Sed quæ causa movet te fili? Mil. Causa salutis.
Ma. Salvus eris, si bella petas ? Mi. Cœlestia scandam
Sidera, donatus venijs quas Papa volenti
In Turcas bellare dedit. Ma. Nihil esse fatentur
Doctores, animæ quòd prosit. Mil. Vidi ego bullas.
Ma. Bullas, hoc uti cogit penuria verbo.
Mil. Pontificis summi missus quas præco ferebat,
Vidi ego, nec fallor. M. Fili vis linquere matrem?
Mi. Desine me mater vanis obtundere verbis.
Crimina tot feci, quæ non nisi Papa remittet
His venijs. Ma. Quis me fili solabitur, absens
Si fueris? quis me dulci sermone dolentem
Placabit? fili maneas, & desere bellum.
Mil. Non me verba movent, malo prodesse saluti.
Liligero parebo duci, vexilla secutus
Francica, jamque vale. vos ô quicunque sub oris
Occiduis Christo castas servitis ad aras,
O Itali, Francumque genus, Britannica pubes,
Pannones, Hispani, Germani, accedite mecum.
Velivolas fabricent naves Venetus, Liguresque
Famulus Turcæ. Turca exurge, gravi corpus torpere veterno,
Non patere, & vegetas somno flaccescere vires.
Turca exurge: silet. Turca expergiscere: dormit.
Turca exurge. Tur. quis est, qui me dormire volentem

Excitat? Fam. Adverſos famulus tibi nuncio
Gallos :
Hoſtis adeſt. Tur. Sine me paulum requieſcere
væcors.
Fam. Europæ veniunt equites, & Gallicus heros
Accinctus gladio, & galeæ ſplendore ſuperbus
Accelerat. Tur. Sileas ; nondum ſua tela para-
vit ,
Nondum enſes acuit. Fam. Conflata pecunia
totis
Finibus Europæ eſt. Tur. Non iſta exactio num-
mi
Officiet nobis. Vult hanc ſalamandra , leoque
Arripere , atque opibus cupidum ſatiare pala-
tum.
Fam Vidimus Italicas noſtris obrepere claſſes
Littoribus. totum velatur puppibus æquor ,
Et nautæ per tranſtra volant in vertice mali.
Boſphorus, æquantur Rhodopeja vallibus imis
Culmina , terrificos mittit bombarda molares.
Jam reſonant litui , peditum tuba verberat au-
res.
In te unum ſimul ire parant , qui ſacra ſe-
quuntur
Signa crucis. venit hora , tuis nunc conſule
rebus :
Aut victus patrias cogêre relinquere ſedes.
Surge igitur. Tur. Sileas , nondum calcaria
Gallus moratur.
Induit, aut pedib ſoleas infixit equorum.
Fam. Gallus adeſt, propera. Tur. Gallos gallina
F. Hos nec ſegnities, nec cauſa morabitur ulla,
Dum

Dum ſubitò invadant acie tua regna potenti.
Tempus adeſt, quo ſe jam totis viribus armis
Accingant, Chriſto nunc factis vota rependant.
Tur. Quid vovit Gallus? dic voti conditionem.
Fam. Talibus augurijs, nec non tali omine bella hæc
Aggredienda parat, ſi prolem cunjuge caſta
Maſculei ſexus mittat Lucina ſub auras:
Quod ſibi conceſſum Dijs aſpirantibus. ergo
Nil ſupereſt, in te niſi quod promiſſa reponant.
Siccine lentus eris? ſurgas, vel Roma triumphos
De te percelebres, domitrix vel Francia ducet.
Tur. De ſine jam crebris obtuſas ictibus aures
Rumpere. Fam. cur? Tur: Quoniam ſalamandra ardebit in igne,
Quo ſine vita perit, nummique cupido leonem
Tardabit, populusque miſer rodetur utroque
Pop. Heu nunquam ne queri, nunquam requieſcere, nunquam
Ceſſabo lachrymis triſtes aſpergere vultus?
Heu nunquam adverſis fallax Rhamnuſia rebus
Optatam præſtabit opem? nunquam ne levabor
Triſtitia curáque gravi? ſemper ne tributa
Me regum numeroſa prement? ſemper ne licebit
Iratis miſeros Divis conſumere vitam?
Eccl. Quid quereris popule aſſiduo ſquallentia luctu

Pectora contundens?quid clamas ? Po. Magna gemendi
Causa mihi est. queror, & querimonia transit inanis,
Non habitura modum cum tempore, crescit egestas,
Et nova liligeri regis edicta popello
Afflicto imponunt,& vectigalibus urbes
Agricolasque premunt. Ec. menon minor urget egestas.
Nescio quis nostris opibus crudele minatur
Exitium, nec me decimis torquere veretur.
P. Languesco. E. rapior. P. pereo. E. tremo. P. nuto. E. Vacillo
P. Membra fame confecta jacent.E. mea prædia perdo.
Pop. Militib. vexor. Ecc. Crucior Pastorib. Po. Enses
Instant ceruici, si fortè tributa recuso.
Ecc. Si volo fortè scelus pastorum carpere, cunctis
Illudor. Pop. Dij tot culpas impunè potestis
Cernere? Ecc. Non vultis vestræ succurrere gnatæ?
Pop. Vidi ego,dum prisca veteres ætate tyranni
Regnabant, nullum populos exolvere nummum.
Ecc. Vidi ego permultis onerari altaria quondam
Muneribus : sed nunc rapitur, quodcunque dederunt

Anti-

Antiqui. si quis nobis quicquam abstulit, olim
Debita pro tali toleravit crimine dona.
Nónne Syracusia fuit exul ab urbe tyrannus
Junior, ob sævi prædas & furta parentis?
Nónne Tolossanum qui diripuere metallum,
In rabiem versos fatum exitiale peremit?
Num Senones, Senonúmque ducem, qui Delia templa
Evertit, magno mons obruit impete lapsus?
Nónne & cornigeri cupiens Hammonis in ædem
Irruere, atque suis privare altaria donis,
Cambyses sibimet vulnus lethale paravit?
Si saperent ergo, qui me populantur, ab istis
Non premerer decimis, sed libera jura tenerem.
Pop. Vidi ego crudeles nimia feritate tyrannos
Damnari: sed nunc nostris truculentia major
Regibus Italiæ, suprema propago Dionis
Matricida Nero, populosæ incendia Romæ
Injecit: Diomedis equos humanus alebat
Sanguis, & exanimes vivis Mezentius artus
Jungebat. dedit & fratri comedenda Thyesti
Pignora frater. Ityn patri sævissima Progne
Apposuit. fratrem & natos Acætia Colchis
Decerpsit. Titium frater, Sichæa peremit
Pymalion: & idem crimen Catilina patravit,
Conatus patriam totiens absumere flammis.
Sed nihil est, si conspicias nunc, quanta tyrañis
Exagi-

Exagitet reges, numorum quantus habendi
Ardor,& ambitio. Eccl. Tantos emittere fletus
Nil prodeſt nobis. Sperandum eſt: namque dabuntur
Tempora præteritis forſan meliora diebus.
Quando tamen pueris ovium moderamina cerno
Committi, nequeo lachrymas cohibere fluentes.
Pop. Quid nobis igitur faciendum Eccleſia cenſes?
Eccl. Nos aliud carpamus iter. Pop. quid denique? Ecc. Forſan
Occurret, qui nos miti ſolabitur ore.
Ecce aliquem videas. caput atque inſigne coronæ
Eminet,in manibus ſceptrum, tegit aurea veſtis
Corpus, & illuſtrant precioſæ colla cathenæ.
Pop.Solari poterit nos forſitan ille gementes.
Ecc. Alloquar hunc, ſequere, & mecum divertito greſſus.
Quis tu regali incedens gravitate, coronam
Qui geris, & ſceptrum, quod nomen? Abuſus: Abuſus. Pop. Abuſus?.
Nomen me terret. Ecc. Vocitaris Abuſus? Ab. Abuſus,
Per regum ſolitus palatia celſa vagari,
Pontificumque domos. Eccl. capiti cur fixa corona eſt?
Cur geſtas ſceptrum? Ab. Reges & regna guberno.

Ecc.

Ecc. Tu ne illi imperio, cujus me mille tributa
Exagitant? Ab. ego ſum. Eccl. per te ne Eccleſia leges
Ipſa novas patior? Ab. Pateris. Pop. per te ne fuerunt
Omnibus Europæ detracta numiſmata regnis?
Ab. Quis dubitat? per me te dura exactio vexat.
Ecc. Te duce nónne rubro patres triginta galero
Inſignes? Ab. Certum eſt. Pop. An jam nunc te duce laruas
Fœminei portant domini? Ecc. Noſtris quoque præſunt
Nunc ovibus pueri imberbes? Ab. Sic eſſe putato.
Pop. Nónne magiſtratus duce te venduntur honoris
Faſces? Ab. Venduntur. Eccl. Num per te ſanctio nutat?
Ab. Nutat. Po. Num per te ſimulantur prælia Turcis?
Ab. Per me. Ecc. Num per te vendunt mea prædia avari
Pontifices? Ab. Vendunt. Ecc. Ergo regis omnia? Ab. quis nam
Ambiget? & per me juncta eſt ſalamandra leoni,
Per me triſtis habes ſervile Eccleſia frenum:
Per me viroſos pratenſia gramina ſuccos
Emittunt: per me verbis illudere blandis
Suetus adulator regales mitigat aures.

Per

Per me cuncta vigent, & per me cuncta reguntur:
Relligio contempta jacet, probitatis honores
Nunc abeunt, pietas dormit, pudor exulat urbe:
Et dolus & veneres habitant te curia larvæ,
Furta, ſimultates: virtus ingloria luget.
Pop. Quando igitur terris fallax regnabit abuſus,
Nunquam liber ero? Ecc. Quando ſua regna tenebit,
Semper vexabor, proprijs nec legibus utar.
Pop. Sic igitur noſtro poſſum concludere luſu:
Omnia fallaci nunc decipiuntur abuſu.

EX ANTIQVA SCRIPTVRA
antiqui rhythmi.

RECeſſit hoc tempore
Lex à ſacerdotibus,
Juſtitia à principus,
Conſilium à ſenioribus,
Fides à populo,
Amor à parentibus,
Reverentia à ſubditis,
Charitas à prælatis,
Diſciplina à literatis
Studium à ſcholaribus,
Religio à monachis,
Devotio à monialibus,
Honeſtas à juvenibus,
Timor à ſenioribus,
Fide-

Fidelitas à militibus,
Concordia à civibus,
Comitas à rusticis,
Veritas à mercatoribus,
Largitas à divitibus,
Castitas à virginibus,
Mœror à viduis,
Pudicitia à conjugatis,

Incipit status mundi subtilissimus.

HOnesta mundi domina,
Frangendo legis jura,
Virtutum perdit omnia,
Tributa solvens dura.
Fit orbis velut fœmina,
Et meretrix impura:
Ex hoc vilescit gemina
Ecclesiæ censura.
Notabilis malitia
Coloribus fucatur,
Subtiliter nequitia
Figmentis roboratur.
Hinc exulat justicia,
Repudij libello
Accepto, cum tristitia
Inermis stat in bello.
Radices, quas plantaverat
Scholastica doctrina,
Et pulchrè dilataverat
Clementia divina,
Labruscas vanas excolunt
Rejecta disciplina,

Præ-

Præterita non recolunt,
Futura nec ſupina.
Biformis quondam charitas
Laſſatur jam in ſtultis.
Donorum liberalitas
Refriguit in multis.
Stultorum prodigalitas
Abutitur conceſſis.
Cultorum friget charitas,
Sit quamvis multa meſſis.
Libamen, ſacrificium,
Thiara, ſceptri fama,
Pontificis officium,
Ephot & thimiama,
A millibus lætantium
Cadebant velut ſquamma:
Vox unde ululantium
Audita eſt in Rhama
Vigilias ſollicitè
Cuſtodes ſuper gregem
Non ſervant, ſed illicitè
Transgrediuntur legem.
Paſtores pigri dicite,
Si lupus oves rapit,
Nunquid damni explicitè
Occaſio vos capit?
Romana ſummum Præſulem
Meſſis & urbs amœna
Fovit, dum cæpit exulem
Cum fidei ſagena.
Nunc miror apoſtolicum,
Quem non ſtringit cathena,

Cantare Syon canticum
In terra aliena.
Dotato oratorio
Cherub non adhibetur.
In propiciatorio,
Quo ſalus obumbretur.
Munditiæ cinctorio
Jam lumbos quis præcingit?
Vel crucis in frixorio
Reatum quis extinguit?
Miniſtrat orbis undique
Denſatum iter ſpinam,
Quum gladium non utique
Mittatis in vaginam.
Nec patris legem ſapitis,
Nec matris diſciplinam.
Corona noſtri capitis
Hinc faciet ruinam.
Nota tu, ſis presbyter,
Sis præſul, aut Levita,
Quòd non es æquus arbiter,
Nec ſis Iſraelita.
Hinc vulneratus acriter,
Vt dubius de vita,
Dolendo gemit graviter,
Quòd non ſis Samarita.
Hoc Naaman conqueritur,
Sagax regis athleta,
Quòd nemo ſit in Iſrael
Vates vel Propheta,
Ac nemo te reſuſciat
Putrem quadriduanum.

Hinc Sunamitis oſtentat
Puerulus in vanum.
Prælati mentis ſtudio
Lucernas non accendunt,
Sed collocant ſub modio,
Et frivola prætendunt:
Virginibus nec fatuis
Olivæ fructum vendunt,
Cum vaſis ergo vacuis
Ad ima ſummè tendunt.
Poteſtas hyems temporis,
Tempeſtas Aquilonis,
Candore carens eboris,
Ruboribus fullonis.
Cithara David, fidibus
Confractis, caret ſonis.
Hinc errat plebs in Idibus,
Calendis, & in Nonis.
Si Simon ſit in finibus,
Et latret Manichæus,
Vel Domini agminibus
Exprobret Philiſtæus,
Aut ſi limitis poſtibus
Inſultet Jebuſæus,
His quis reſiſtet hoſtibus,
Cum non ſit Machabæus?
Totale lucrum quæritur,
Onus repudiatur,
Ambitio congeritur,
Faſtusque dilatatur.
Luxuria progreditur
Cum millibus ad bella:

Sed

Sed anxia regreditur,
Tortorum per flagella.
Ecce mali ſcrutinium,
Rapina cum uſuris,
Fraus,dolus,latrocinium,
Emolumenta furis,
Mendaces, lenocinium,
Depopulator juris
Meretur patrocinium
Venalitate juris.
Cleri juxta veſtibulum
Civiliter remiſſi
Non orant, ſed latibulum
Aperiunt abyſſi.
Ferox Aman patibulum
Non erigit impunè,
Cum Aaron thuribulum
Non tollat opportunè.
Si quem in domo Domini
Oliva ferret fructum,
Non verteretur homini
Tunc cithara in luctum.
Securus quis nam tranſeat
Amari maris fluctum,
Cum Moſes non præeat,
Vt præparet conductum?
Aegyptum ſi quis exeat,
Neſcitur jam pro certo:
Sed ſuper manna nauſeat
Gens fremens in deſerto:
In heremo ac ſubdola
Diſſimulationis,

Heu fabricat plebs idola
Jam deſperationis.
Sanĉti, qui regna vicerant,
In fide erant magni,
Et ſtolas ſuas lacerant
In amore agni:
Dum coram rege ſteterant,
Chriſtum ſequentes ducem,
Exemplum cunĉtis dederant,
Vt ejus tollant crucem.
Tyranni ſævi, tepidi
Chriſti nunc tenent locum,
Ad facinus intrepidi,
Dum calent juxta focum.
Cum coſtis Adæ denique
Carnis contreĉtant jocum.
In alijs ſic utique
Ludunt, nec mutant trochum.
Sedens ob lucri munera,
Donat verax Maria.
Stat Martha per pecuniam
In vicis & in via.
Recedet tunc ad alia
Vita contemplativa,
Dum piſces in Gethulia
Vita capit aĉtiva.
Vetuſtum quis jam ſeparat
Fermentum pravitatis?
Ioſias dum non præparat
Phaſe ſinceritatis:
Quo minus tuti baculo
Sinceræ veritatis

Cadent

Cadent in retinaculo
Sævæ crudelitatis.
Rimari cuncta judicem
Venturum expectamus,
Qui non admittet codicem,
Quem pulchrè allegamus.
Consulta tunc divalia
Decreta cum digestis,
Authentica regalia,
Quibus abusi estis.
Nicænam sanctam Synodum,
Testem dum Trinitatis,
Et continentem Exodum
Præcepta veritatis,
Matthæum in operibus
Humanæ pietatis,
Judex coram proceribus
Producet æquitatis.
Colores mox Rhetorici,
Cœtus advocatorum,
Syllogisantes Logici,
Cum pompis oratorum,
Et arrogantes tumidi
Doctores Decretorum,
Efficientur timidi
Tremore vitiorum.
Loquetur frustra tunc Vincentius,
Tenebit quid Alanus
Tancredus vel Laurentius,
Aut quid Compostolanus,
Ganfredus Innocentius,
Garsias Ostiensis,

In Andria Terentius,
Guido Bononienſis.
Nihil tunc reputabitur
Rabi, nec Bernhardus,
Sed dives judicabitur,
Vt clericus Odardus.
Tunc allegabis tutius
Tu parvule Zachæe,
Quàm divus vel Accurſius,
Aut filius Andreæ.
Engaddi in vineis
Labruſcæ præcidentur,
Et demolita tineis
Foras eijcientur.
Judicium dum ſeculum
Subibit generale,
Guilhelmi quid ſpeculum
Profit judiciale?
Si reis & dilatio
Tormenti denegatur,
Si reis ſupplicatio
Prorſus repudiatur,
Si reis & prælatio
Nihil patrocinatur,
Si reis appellatio
Sententia firmatur.
Hinc viperæ genimina
Fonte contritionis,
Mundemus cordis limina
Fonte confeſſionis:
Et hoc in valle hominum
Perverſæ nationis,

Præ-

Præoccupemus Dominum,
Et diem ultionis:
Vt docet Evangelica
Vox veritate plena.
Vrbs Jerusalem cœlica
Deseritur amœna,
Quam muniunt angelica
Præsidia serena,
Et Jericho famelica
Vrbs quæritur obscœna.
Sed homo dum egreditur
Hanc urbem speciosam,
Et paululum progreditur
Per viam spaciosam,
Exorbitans ingreditur
Convallem ruinosam,
Et sternitur, & cæditur
Per manum lachrymosam.
Pro semivivo vestibus
Relinquitur orbatus,
Frigoribus & æstibus
Exponitur nudatus,
Vulneribus & pestibus
Exponitur nudatus,
Totius opis testibus
Desperat desolatus.
Quem videns, iter faciens
Sacerdos Aaronita
Transit, nihil opis faciens
Ambiguo de vita:
Sic transit & impatiens
Propheticus Levita.

Sed fidus & compatiens
Dum videt Samarita,
Hunc desolatum erigit,
Et blandè consolatur:
Exorbitantem dirigit,
Ne rursum capiatur:
Prostratum semel corrigit,
Ne iterùm sternatur:
Et lapso manum porrigit,
Ne denuò labatur.
Sic ergo dans solamina
Cautela cum ingenti,
Apponit medicamina
Tam vini,quàm unguenti,
Et applicat ligamina
Vulneribus aventi,
Ne sentiat gravamina,
Tergoribus jumenti.
Imponit hinc, & vario
Dum refovet fomento,
Commendat stabulario
Curandum nutrimento,
Hunc bino pro denario,
Non solum hinc obtento:
Sed etiam salario,
Pro sortis incremento.

Expositio.

VRbs sacra quæ deseritur,
Est vita spiritualis:
Et Jericho quæ quæritur,

Affe-

Affectus temporalis.
Sed homo qui atteritur,
Eſt vita mundialis,
Et latro per quem teritur,
Eſt reatus lethalis:
Samaritanus denique,
Qui curat vulneratum,
Eſt verbum patris utique
Pro nobis incarnatum,
Salutem præſtans cuique,
Et diluens reatum
Per ſacramenta undique
Reformans ſauciatum.
Quem legis ſacerdotium
Non efficit perfectum,
Nec Levitarum otium
Reſuſcitat projectum,
Ni habeat in ſocium
Hunc Samaritum rectum,
Scribarum qui vel otium
Reſtauret in perfectum.
Eſt enim unguentarius,
Conficiens unguenti
Emplaſtra, quibus varius
Profectus fit languenti:
Qui non ut mercenarius
Circumplicat dolenti,
Sed velut autor & Dominus
Fidelis teſtamenti.
Nihil tollens per Falcidiam,
Vel Trebellianum:

Sed eijcit invidiam,
Et quicquid eſt profanum:
Aegroto non dimidiam,
Sed totam pandens manum,
Eliminat perfidiam,
Et totum facit ſanum.
Hinc eum ſcit infringere
Invidiæ livorem:
Scit etiam conſtringere
Superbiæ tumorem:
Scit lubricum extinguere
Luxuriæ fervorem:
Scit profluum reſtringere
Infamiæ fœtorem.
Hic mortuos tres ſuſcitat
In domo cogitantes:
In porta oris excitat
Loquendo criminantes.
De tumulo reſuſcitat
In palàm operantes:
Hic loculum dum viſitat,
Stant feretrum portantes.
Videlicet alliciens
Carnale blandimentum,
Cor conſcium illiciens
Malorum ad fomentum:
Peccantem ſpe inficiens,
Quòd annis vivat centum,
Spe veniæ adijciens
Reatibus augmentum.
Peccator ergo ſaucius,

Si vis habere vitam,
Pœniteas, & anxius
Hunc quære Samaritam,
Vt tecum agat mitius,
Et mentem det contractam,
Et faciat te citius
Verum Israelitam.
In fide si ambiguus,
Et negans salvatorem,
Vel non exiguus
Attende piscatorem,
Et lachrymis irriguus
Hunc diluas errorem,
Amicus ut contiguus:
Sic flectis creatorem.
Tyrannus si es spacia
Mansuetæ nationis,
Impugnans cum audacia
Vi persecutionis,
Exempli tibi gratia
Sit vas electionis,
Crudeli dans solatia
Humiliationis.
Si res per latrocinium,
Vel furtum, vel rapinam
Capis, sed non dominium,
Infigens pedi spinam,
Latronis patrocinium
Resumas in doctrinam,
Et cordis per scrutinium
Præoccupa ruinam.

Divi-

Divitiæ ſi affluunt,
Vel malè diſpenſantur,
Vel res per fraudes influunt
Quo proximi gravantur,
Zacchæi fata inſtruunt,
Egenis dividantur:
Vel res quas fraudes extruunt,
In quadruplum reddantur.
Si carnis immunditia,
Ad fornicandum prævia,
Fœtenti cum ſpurcitia
Te ſtringit in cathena,
Hæc tibi dat indicia
Peccatrix Magdelena:
Orando carnis vitia
Jejunio refrena.
Si curis ſecularibus
Sollicitè diſtentus,
Vel rebus temporalibus
Es avidè præventus,
Matthæum in æqualibus
Conſideres inventus,
Ceſſando mundialibus,
Et eris opulentus.
Si dæmonum te legio
Criminibus infeſtat,
Porçorum cum collegio
Te in profundum geſtat,
Cum nihil de privilegio
Salutis tibi reſtat,
Tunc opem cœtu regio
Samaritanus præſtat.

Hinc

Hinc te precamur hoſtia,
Spes ſalutaris vitæ
Vt nobis pandas oſtia
Tam pij Samaritæ,
Dum ſonat cum modeſtia
Vox judicis, Venite:
Ne mortis angat beſtia
Nos poſt extremum Ite.

Pœnitentionarius lupi, vulpis & aſini.

INſtabat feſtiva dies, animalia bruta
Conveniunt, culpas depoſitura ſuas.
Et lupus & vulpes capitolia proxima jungunt:
Additur his aſinus, nulla ſiniſtra ratus.
Sede ſedet potiore lupus: Nos Juppiter, inquit,
Mandat de noſtris pœnituiſſe malis.
Labimur aſſiduè, ſurgamus, & ad ſua quiſque
Se vertat facta prodere promptus ea.
Nec contemnamus hoc acceptabile tempus.
Vnde ſuperbimus? pulvis & umbra ſumus.
Primoque dico meam patratam pro lue culpam,
Et proſtratus humi flens parat iſta loqui.

Confeſſio lupi.

MVlta miſer timeo, quia feci multa protervè:
Sum fur, ſum prædo, ſum ſine fronte latro.
Semper in inſidijs ſum, ſemper vivo rapinis,
Be-

Beſtia nulla meam ſcit ſaturare famem.
Porcellos teneros deglutio,devoro, porto,
Prædor equos,vaccas mordeo,ſterno boves.
Perſequor innocuos, lachrymans loquor iſtud aſelle :
Eſt mihi continuus hæc caro rara cibus.
Iſtius matrem ſolus mactando voravi:
Lux erat hæc Veneris, luce ſequente patrem.
Vix ſeptem periere dies, fraterculus hujus
Adfuit,& fauces tranſijt ipſe meas.
Obſecro mi frater,ſuper hoc mi parce maligno:
An modo non paſcet nos aſinina caro?
Quis poterit numerare capras? vitulos quis,& hircos?
Sive quis innumeras opilionis oves?
Ingredior caulas ovium,nec vivere ſolam
Inter eas patior, hæc quoque flendo loquor.
Devoro quas poſſum, quas poſſum defero : ſi quas
Deſero, ſi valeo,mox redeundo fero.
Invideo canibus, aucas neco: fœmina cujus
Prægnans eſt venter,fit mihi ſæpe cibus.
Inveni pinguem currens per paſcua porcam,
Sugebant matrem pignora grata decem:
Illam decerpſi, glutivi, cum citò nati
Matrem cœperunt plangere voce gravi
Quos ego,ne longo fortaſſe dolore perirent,
In mea projeci viſcera morte brevi.
Sunt ea,ſunt alia mea crimina præcipitantis:
Hinc mihi da vulpis digna flagella malis.
Vt verum fatear, me maxima ſæpe coegit,
Non

Non tamen excuſor, iſta patrare fames.
Vulpis conticuit, ſic deinde ſilentia rupit:

Abſolutio vulpis.

Pone modum lachrymis,deſine flere pater.
Peccavi, dicis : nemo ſine crimine vivit.
Quis noſtrum poterit dicere, Vivo bene?
Trita frequenter in his eſt noſtra propago, nec ulla
Criminis expertes poſſumus eſſe die.
Quamvis eſt igitur meritis indebita noſtris,
Magna tamen ſpes eſt in bonitate Dei.
Sis quia prædo,refers : pateris quòd mortis amaræ
In tenui præda mille pericla,taces.
Si fortaſſis ovem reliquis ululantibus aufers,
Delenire famem ſit quia præda,putem ?
Devaſtat porca ſegetes, rodit capra vites :
Hanc rapis,aut illam,ſit quia præda putem.
Quis dicet,niſi mentis inops , quòd regnet in iſtis
Crimen raptoris ? eſt pia cura magis.
Illa , quibus non eſt cuſtodia,ſunt tua,ne quos
Incuſtoditos villa relinquat agros.
Servanda pro pace tuus datus eſt timor orbi,
Pax eſt excluſo nulla timore tuo.
Eſto quòd in villis de te non ſit timor ullus,
Et ſine cuſtode prodeat omne pecus :
Vaſtabunt cunctas animalia libera fruges:
Lite cadent homines, ſurget ubique fames.

Ruſ

Rus quandoque ſubis , intentio nulla nocendi
eſt :
Inſultant omnes, ſis quaſi prædo tibi.
Te ſimul inclamant, concurrunt, arma requirunt,
Hortantur rapidos in tua fata canes.
Confuſus miſer inde fugis : quis te putet unquam
Ad rus tam reprobum pacis habere ſtatum ?
Se prior accuſat juſtus : tu more piorum,
Si non es, dicis te tamen eſſe reum.
Oſtendunt lachrymæ,quia ſis bonus , & ſine
fraude:
Nam geſtus veræ ſimplicitatis habes.
Verum ne fruſtra culpam dixiſſe proberis,
Non ſic tranſibo,corripiendus eris.

Correptio.

DE longo mortis cruciamine te recitaſti
Quondam porcellos eripuiſſe decem.
Hoc magnum pietatis opus,quòd ſic morituris
Feciſti, trames fiet ad aſtra tibi.
Mitius ille perit, ſubita qui mergitur unda,
Quàm ſua qui longis brachia laſſat aquis.
Salvaſti ſubitò, quos mors prolixa manebat:
Hoc debet culpas evacuaſſe tuas.
Hæc tibi ſufficiens modò ſit purgatio, purget
Cætera ſicca dapis ſæpius ora gula.
Immò tibi ſcelerum ſit plena remiſſio,mixtus
Anxietate timor, continuusque labor.

Cum

Cum nihil intendes aliud, quàm ferre catellis
Quod rapis, & propriæ damna fugare famis.
Hoc accepto lubens, lupus inquit: & illico vulpes,
Surge magister, ait: surgit, & illa cadit.

Confessio vulpis.

CUlpam dico meam, mox infert, sum quia nequam:
Novit nequitiam patria tota meam.
Duplicitas auriga doli mihi pectore regnat,
Ac ibi perfidiæ spicula mille locat.
Fraudis ad incudem mendacia multa moneto:
Omni quo possum fabrico falsa modo.
Omne quod intendo, fictè prætendo fere num:
Fronte pius frater, mente sinister ero.
Nequiter ausculto vultu, quàm simplice stando,
Sunt mihi plena tameo interiora dolo.
Devoro sæpe nimis, tribus ursis quod satis esset:
Tristor, cum stomachum præda pusilla replet.
Cum premor esurie, nullo mihi compatiente,
Flebilis heu mœstos cogor inire modos.
In campo jaceo quasi verè mortuus: artus
Corporis extendens, sum velut esca recens.
Advolitat cornix, & motis garrula pennis,
Assilit, & rostro mortua membra trahit.
Saltat & insultat, ascendit, guttura calcat:
Se benè pransuram voce sonora putat.
Ad linguam transit, hæc dependendo silescit:
Ora fodit, fodere lumina clausa parat.

Me levo, cornicem rapio, raptámque deorfo:
Non mihi ſimplicitas accidit iſta ſemel.
Immò multotiens per rura, per arua frequentes
Fallendi ſtudio currere cogo pedes.
Mordeo gallinas, neco pullos, ſtrangulo gallos,
Amne natans ungues ſentit aneta meos.
Gallinam vidi pullos ter quinque ſequentes:
Accipe jam facinus, conſiliúmque meum.
Arripio matrem, deglutio: turba miſella
Clamitat urgenda frigore, morte, fame.
Jam miluus rapturus eos, cupit ungue feroci
Innidum grati fercula ferre cibi.
Compacior miſeris implentibus aëra planctu:
Cogito, quo valeant hæc ſuperare ſtatu.
Invenio: jubeo, ne longa pericula portent,
Unum poſt unum, guttur inire meum.
Cætera ſic claudo: quo non exerceo fraudes,
Perditus ille dies creditur eſſe mihi.
His culpis gravor, ac aliis, nec dicere poſſim
Singula quæ feci: ſed miſerere mei.
Pœnitet, ô ſi quid miſerorum creditur ulli,
Pœnitet, & facto conqueror ipſa meo.
Debueram certè, ſi mens non læva fuiſſet,
His de criminibus pœnituiſſe diu.
Quottidie curſus nos ſorbet temporis hujus.
Et certam præſens non dabit hora fidem.
Suſtineant igitur ferulam mea crimina veſtram:
Ferre minora volo, ne graviora feram.

Abſolutio lupi.

Longa retrò ſeries, lupus intulit, omnib9 iſtis:
Reddere reſponſum non dabit hora locum.

Mille

Mille modos recitasse doli, sermonéque totum
Miror te longo detinuisse diem.
Nos operas trahit ad alias occasio multa:
Nec videt hic asinus, quo recreetur, holus.
Cum tempus retegat, cape quæ stent pondere veri,
Hic fuco falsi non decet ulla tegi.
Regula justitiæ vult planè promere verum,
Præcipuè cum sit causa piare malum.
Tu nimis es justus, jam scis, quòd hypocrita dicam,

Correptio lupi.

Te falsis verbis justificare palàm.
Culpa quidem gravis est, sine culpa dicere culpam:
Non species tantum sustinet ulla scelus.
Dixisti, tota scit patria, sum quia nequam:
Te super his verbis erubuisse velim.
Perfidiæ quis colliget omnia pessima, quæ tu
Contorques in te, multiplicando mala?
Gallinos, gallos, pullos aufers & anetas:
Quod credis magnum cur recitare nefas?
Sanè concedo: licet ignorare reatum.
Vir bonus & prudens se timet esse reum.
Hoc te fecisse video, quod & æstimo: pro te
Est, quia proposito dixeris ista pio.
Cum vivas rectè, vis ut purgatio totum
Abluat, & mentem nulla querela premat.
Te nec condemno, nec justifico: scio verè,
Sæpe quòd à turba læderis absque nota.

In ſovea ſine lite jaces, nullius es hoſtis,
Aut curris per agros præmeditando cibos.
Turba pedeſtris adeſt, vel equeſtris, cornua clangunt,
Ferrea cornipedis ungula pulſat humum.
Incipiunt latrare canes, hinnitibus aër
Frangitur, & clamor lata per arua datur.
Hi tua veſtigant veſtigia non habituri,
Donec ibi, vel ibi te latitare ſciant,
Quid facis? auſcultas, metuis, neſcis ubi curras:
Corde foret pavido fortis ab inde leo.
Te poſtquam inveniunt, nec nimirum, cuncta coronant
Arva ſatellitibus, undique calcat eqnus.
Inventum canibus præſentant voce ſonora:
Hi mox, te viſa, poſt tua terga crepant.
Et fugis, & celeres tibi tunc timor excitat alas,
Si forſan mortem ſic ſuperare queas.
Nunc raperis, nunc eriperis ſanè meditari
Horreo, vel fari quæ patiaris ibi.
Qui quærit, qua tu ſoleas tunc ſorte gravari,
Oſtendi ſimilem poſtulet ille ſibi.
Si Deus auxilium ſubtraxerit, illicò rapta
Exveris tunica: quæ graviora mala?
Quid manifeſta probem? video quòd tegmine rnffo,
Quod geris, ardenter uritur omnis homo.
Mortibus innumeris luit hæc tua natio: nec tu
Scis, ubi ſis pellem depoſitura tuam.
Sic injuſtitiæ cultores, perdere juſtos
Non metuunt, ſuper hos ut gravis unda ruat.
Ac tu ſi villas aliquando famelicus intras,
Hor-

Horrea larga ſubis, pulliculúmque rapis:
Non debent ergo te proclamare latronem,
Vel dictare gravem quomodocunque necem.
Sed neque detrahere pellem, vel plectere reſte:
Immò fovere magis per pietatis opem.
Sed neque tu pateris livoris ſpicula ſolus:
Nam ſimili telo ſæpe fatigor ego.
Nos duo præcipuè ſi rura, vel arua petamus,
Suſpectum ſemper creditur illud iter.
Quanta premit mortale genus caligo? probanda
Interdum reprobant, & reprobanda probant.
Abſcindit multum noſtræ ſors invida laudis,
Unde datur noſtris laus macra valde bonis.
Sæpius indignis pulſantur cymbala laudis,
Digni non digna ſuſtinuere probra.
Quis valet effugere viroſæ ſpicula linguæ,
Tranſmittit famæ quæ benefacta malæ?
Si quæ noſtra foret homines intentio ſcirent,
Nunquam tot nobis, támque probroſa darent.
Sed prius incipient turres vitare columbæ,
Antra feræ, pecudes ſtramina, mergus aquas:
Quàm credat populus puro de fonte ſcatere,
Puræ quod facimus ſimplicitatis opus.
Vel prius humana cantabit bubo loquela,
Quàm nobis diſcat parcere lingua mala.
Verùm de cauſis, quas te culpando reponis,
Reſpondebo tibi conditione brevi.
Judex de pullis & anetis lentus habebor:
Hæc eſt in noſtro pectore cura minor.
Sus, ovis, hircus, equus, aries, bos, vacca, juvencus,
Pro minima reputant téque tuósque faba.

Me metuunt, quia lata mihi collata poteſtas
Eſt in eos: ſed & hoc ruſticus odit iners.
Damni quid poteris in pulliculis fabricari,
Quo ſpolium pellis promereare pati?
Fruſtra miratur aliquis, quòd pro nocumentis
Perpetuis, perpes hoſtibus hoſtis erit.
Fine tamen parili caret hujus romphea belli,
Deteriórque tibi finis adeſſe ſolet.
Tu villæ gallum, tibi pellem ruſticus aufert:
Tu perdis totum, perdidit ille parum.
Nolo plura loqui, ſatis eſt dictum ſapienti:
Utiliora volo claudere clave levi.
Gaudeo pulliculos per miluum jam perituros,
De miſeræ mortis te rapuiſſe locis.
Gaudeo quòd ſit adhuc tantum pietatis in orbe:
Deliro, ſi te dico carere fide.
Quis non laudabit, quòd natis matre relictis,
Tam compaſſivo corde miſertus eras?
Si pietas talis non ſubveniſſet eiſdem,
Debuerant longam ſuſtinuiſſe necem.
Hæc tibi, quam gratis feciſti, gratia pullis,
Immò pupillis deleat omne ſcelus.
Et ne divini ſis expers amodò facti,
Nec poſſis aliqua ſuſpicione premi,
Amodò lecturam teneas plerúnque legendam,
Utile communes continuaſſe preces.
Ambo meremur in hoc, me verba leata legente,
Aut orante Deum, téque tenente librum.
Propoſitum teneas, livoris ſpicula ſpernas:
Quo bene cœpiſti, ſic pede ſemper eas.
Filolis quoque mitte tuis exempla ſalutis,
Forma juſtificent ut ſua facta pari.

Surge,

Surge, ſede, ſocius ut tertius ora reſolvat,
Et recitet, ſi quæ pectore clauſa tenet.
Non reor hunc ſimilem nobis agreſtibus eſſe:
Perluſtramus enim nos nemus, ille domos.
Curia nobilium lar illi, luſtra ferarum
Nobis: hunc proceres erudiere ſatis.
In domibus cum ſit factis inſtructus honeſtis,
Non poterit, veluti nos ſumus, eſſe rudis.
Frater Brunelle, breviter quæ feceris ede:
Invigilet ſtudiis poſtmodò quiſque ſuis.
Exurgit vulpes, cum jam mentita favorem
Simplicitas præbet, ut domicella ſedet.
Frontem declinat, aures demittit, ocellos
Deprimit, ad pectus brachia ſancta trahit.

Confeſſio aſini.

PRocidit in faciem proſtratus ſtultus aſellus,
Effari quicquid corde gerebat, ovat.
Cogitat, hîc larga datur indulgentia, magna
Abſque dolo venia, facta rigabo mea.
Sors bona me fecit tales reperire ſodales,
Quorum conſilio juſtificabor ego.
Peccat,eis quicunque nocet: quicunque caninis
Dentibus hos rodunt, ora nefanda gerunt.
Eloquor ergo meas vobis, pater optime, noxas.
Et flens in terra rudere cœpit ita:
Sum piger & tardus, ad ſepem frango ſacellum,
Ut cadat in luteum pulchra farina ſolum.
Pratáque depopulor, non propria gramina calco,
Patris perminxi ſæpius oſſa mei.

Pondera laturus, fugiendo fatigo miniſtrum:
Sæpe ſecuturis calce ſigillo caput.
Clitellam dorſo depono, recalcitro, nunquam
Suſcepta mole ſponte propinquo molæ
Præteriturus eram, quod præteriiſſe dolerem:
Fortè tuli fœno deficiente famem.
Cogor adire molam ſaccis in dorſa levatis:
Caſtigant clunes verbera, ſaxa pedes.
Ecce peregrinus ad ſanctum limen iturus,
Carpebat ſocias, me comitante, vias.
Calceus ejus erat veſtitus ſtramine, pendet
Straminis immundo pars aliquanta pede.
Detraho de ſolea peregrini ſtramina morſu:
Exiguum fateor ſic nocuiſſe viro.
Plura locuturi lupus opprimit ora: Videte,
Inquit, ſacrilegnm: non timet iſte Deum.
Raptor hic eſt olerum, populator magnus agrorum,
Sepes confringit, maxima damna facit.
Semina demingit, ſic arida paſcua reddit:
Hinc periere boves, & moriuntur oves.
Deviat, & ruptis hac improbitate ſacellis,
Calcat in obſcœnum grana decora ſolum.
Dejicit hic etiam ſimili ruditate farinam,
Et reor inde gravem ſæpe venire famem.
Audi mi frater, quia diligo te, bene noſti,
Scis quoque quòd vulpes fervet amore tui.
Pro minimo reputo, quòd gramina non tua tondes,
Carpis olus, fœdas paſcua, perdis oves.
Immenſum ſcelus eſt injuria, qnam peregrino
Feciſti, ſtramen ſurripiendo ſibi.

Non

Non advertiſti, quòd plura pericula paſſus,
Plurima paſſurus quòd peregrinus erat?
Non advertiſti, quòd ei per maxima terræ
Et pelagi ſpacia ſit peragranda via?
Non advertiſti ſanctos, nec limina ſancta?
Sanctorum ſanctam ſed neque Jeruſalem?
Ille retranſiliit eadem loca, tam violentum
Ex inopinato ſenſit adeſſe malum.
De Papa taceo, cujus protectio talem
Conduxit, cujus tu levipendis opem
Totius Eccleſiæ fuerit cum nuncius iſte,
Pertulit abſtracto ſtramine damna viæ.
Es fur, ignoto cum feceris hoc peregrino:
Scis bene, fur quali debet honore mori.
Non honor eſt illud, ſed onus, quo non decus, immò
Dedecus infertur, pro lue quando datur.
Sed tibi parcemus, quia te bone frater amamus,
Nolentes collum nectere reſte tuum.
Sed potius titulò volumus moriaris honeſto,
Ne maculent ſtirpem probra nefanda tuam.
Si tamen ex animo, quia mortis ſis reus, edis,
Dictabit pœnam gratia noſtra levem.
Audit, & hîc aſinus cupit exclamare, capútque
Elevat, & vera reddere verba parat.
Miratúrque lupum jam verba piiſſima fatum,
Tam vertiſſe citò de pietate gradum.
Auſcultat vulpes, verſutas applicat aures,
Scit quia Brunello conditur atra dies.
Extollit colla, quæ ſederat ut domicella,
Voci prona gravi, ſævitiæque lupi.
At flexis genibus, Pater audi, dicit aſellus:

Enucleare volo pectore clauſa meo.
Credo quòd innocuis lauros impendere laudis,
Et tantum nocuis digna flagella velis.
Sum rudis & ſtolidus, nec tam rudis & ſtolidus ſum,
Quin mortem minimè me meruiſſe ſciam.
Damna peregrinus non pertulit ulla, nec illo
Stramine tunc poteram dilapidare famem.
Cur ergo moriar? lupus hîc mox abſque pudore
Illius validè clamat in ora, tace.
Cum ſis confeſſus, cum ſis convictus, habesne
Quo tales noxas occuluiſſe queas?
Nec reſilire potes, teſtabitur omnia vulpes,
Expertem cuncti me videt eſſe doli. (nam:
Hinc meritam patienter habe pro crimine pœ-
Si patiens fueris, martyre major eris.
Omnia quæ cauſa pateris bone frater in iſta,
Spe meliorandi crede venire tibi.
Nos quoque ſincero facienda patramus amore:
Hîc nihil eſt odii de pice, crede mihi.
Grande geris facinus, & diſſimulare nequimus,
Cor tibi contritum conferat ipſe Deus.
In multis omnes offendimus, utile nobis
Eſt tandem ſtudiis invigilare bonis.
Fœlix, eloquio qui mandatoris obedit:
Ille revertenti judice tutus erit.
Vix bene deſierat, in aſelli guttura ſaltat:
Vulpes in coxa vulnera dira locat.
Hunc lacerant, lacerando vorant: ſi vera fuiſſe,
Omnia tam ſanctè quæ retulere, probant.
Impietas manſueta lupi, fraus cœlica vulpis
Sic ſoluit reprobum, compediendo probum.

Quis terget verbis, quod mens accusat? inanis
Sit procul à rectis vox sine mente viris.

Explic't pœnitentiarius lupi, vulpis, & asini, completus anno Domini 1343.

Ex vetusto quodam cotice.

PRæceptum laqueus, fraus disciplina, furor lex,
Vino fit fratrum fratris ad interitum.
Si pax, tristitia: nisi rixæ, gaudia nulla.
Ad mala testis abest, & bona non memorat.
Laus, vel honor socii, mors est, infamia vita:
Proditio reficit, nil agit absque dolo.
Simplex exterius, intus duplex & amarus:
Monstrat amicitiam, fertque inimicitias.
Fit vitium virtus, lux nox, dum regnat iniquus
Fucatis verbis per simulata bona.

Planctus Ecclesiæ.

ROgo corde pertractetur
Hoc breve compendium.
Quare mihi committetur
Maximum dispendium?
Qui solebant olim meum
Gregem dignè regere,
Modò non verentur Deum,
Intimum me detegere,
Denudare, spoliare
Pannis istis vilibus,
Quæ solebam quondam stare
Induta subtilibus,

Sic

Sic ſum modò denigrata
Iſtis in ſqualoribus,
Quæ quondam eram ſubornata
Aureis coloribus.
Olim qui me defendebant,
Et morti ſe tradiderant,
Qui nec ſua tunc quærebant,
Sed propria perdiderant:
Nec quæ ſua ſunt quærentes,
Sed quæ JEſu Chriſti,
Sed ad ima deſcendentes,
Omnes hi & iſti,
Præſul cum Canonicis,
Sed & clerus totus,
Prælatus cum Monachis
Super me eſt motus.
Abbatiſſa non deeſt
Cum ſuis velatis.
Multitudo ſupereſt
Sexus & ætatis.
Quorum actus omnium
Non poſſum notare.
Hi videntes ſomnium,
Non volunt notare.
Imperator, Duces, Reges
Viam Dei reſpuunt,
Quondam qui ſolebant leges
Condere, nunc deſtruunt.
Miles, civis & mercator
Omnis per ambagines,
Vini cultor & arator
Nunc it in voragines,

Omnis

Omnis cum fallaciis
Et ſupplantatione,
Artibus & mendaciis
Et detractione.
Quilibet ſubtiliter
Suum lucrum quærit,
Nequiter, hoſtiliter,
Sic totus mundus perit.
Hoc à vobis clericis,
Qui eſtis Dei templum,
Fit ruina laicis
Veſtrum per exemplum.
Vos legem offenditis
Et Evangeliſtas:
Sanctos vos offenditis,
Sic impletis ciſtas.
Monachorum quilibet
Non quærit niſi ſuum,
Servit, regnat ubilibet
Meum atque tuum
Duo hæc pronomina
Scindunt unitatem,
Per talia tria nomina,
Tolle vanitatem.
Hanc Deus piiſſime
Per tuam majeſtatem,
Parcéque piiſſimè,
Et redde veritatem.
Nam ſtatus clauſtralium
Nimium declinat.
Quorum quiſque ſpectat alium,
Nemo gregem minat.

Quo

Quorum nunc in biviis,
Ut oves errantes,
Deviis & triviis,
Neminem curantes.
Fora, villas visitant,
Nec non civitates.
Parum Deo militant,
Semper vanitates,
Mores scholarium,
Quibus implicantur,
Rerum temporalium,
Quos illi imitantur.
Quem credebam monachum,
Deum ventrem habet:
Et plus curat stomachum,
Quàm spiritum quem habet.
O si cum licentia
Possem revelare,
Salva reverentia
Vellem enarrare.
Quædam currunt fœminæ,
Personæ claustrales,
Venenato semine,
Seminántque tales.
Quondam erant sponsæ Christi,
Nunc Dæmonis uxores.
In abditis debet sisti,
Sed vanos gerunt mores,
Revalata facie
Vela deponentes,
In turbarum acie
Ementes & vendentes.

Ser-

Serpunt veneficio,
Habitum mutantes :
Et ſæpe ſuo vitio
Frenum relaxantes.
Non ſunt iſtæ Monachæ,
Neque Moniales,
Sed nes ſunt Canonicæ,
Sed ſunt animales.
Virgines ironicè
Sic dicuntur tales.
Sed ſunt Dæmoniacæ,
Aut Dæmoniales.
Comprimunt pectuſcula
Strictis tunicellis,
Ut placeant pectuſcula
Laſcivis & tenellis.
Quoſque trahant ſubtiliter
Suum in amorem,
Quibúsque captis nequiter
Infligant dolorem.
Suis amatoribus
Venenum dant pro melle,
Rhetoricis coloribus
Acetum dant cum felle.
Diſcurrunt præ foribus,
Sic implent ſuum velle.
Et falſis cum odoribus
Teguntur agni pelle.
Hæ ſtudent Ovidium,
Planè platearum
Felle ſtillicidium
Grex eſt fœminarum.

Parant

Parant homicidium
Multarum animarum.
Utinam dimidium
Reservarent harum.
Omnis jam relligio
Jacet in Eclipsi,
A cujus vestigio
Nunc recedunt ipsi.
Qui per secularia,
Summis cedunt bonis,
Calcant spiritalia
Pro caducis bonis.
Quæ sit differeutia
Militis & cleri,
Dei sapientia
Potest intueri.
Multi modò laici
Honestos gerunt mores:
Sic econtrà clerici
Sunt deteriores.
Nunc utuntur cingulis,
Gladiolis & peris,
Puto quòd in singulis
Non sit multum æris.
Ubi est religio,
Ubi est tonsura,
Manet in fastidio
Animarum cura.
Quis potest has eripere
A morsibus luporum?
Jam incipit desipere
Solertia pastorum.

Nam

Nam ſtndent has decipere
Quilibet raptorum.
Serpentes ſunt & viperæ,
Deſidia rectorum.
Plus a mercenariis
Læduntur, quàm à lupis,
Et falſis vicariis.
Si audire cupis:
Quondam erat gravitas,
Et honeſtas morum:
Vanitatum vanitas,
Modò locum tenet horum.
Conſuetudo flebilis
His in detrimentum,
Quæ nimis eſt fallibilis,
Et ducit in tormentum.
Pro corona gloriæ
Nunc nutritur coma.
O flebilis memoriæ
Cur pateris hæc Roma?
Pompam hujus ſeculi
Student ampliare:
Nec ſtudent periculi
Pœnam vitare.
Non pugnant cum militibus,
Rempublicam tuentes:
Sed manent cum divitibus,
Theſaurum componentes.
Ebrioſis litibus
Immergunt ſe bibendo,
Nec cum ſacerdotibus
Precantur in pſallendo.

Aſſer, teſſera, alea
Præſentantur ibi.
O JEſu Chriſte, qualia
Vota reddunt tibi.
Precationum breviarius
Illuc apportatur.
Penſatur ibi rarius,
Aut nunquam, quid agatur,
Ubi vinum carius
Sit, interrogatur.
Ibi tabernarius
Plus, quàm Chriſtus lucratur.
Adeſt cellarius,
Et unium miniſtratur.
Cocus & Notarius
Quivis ſollicitatur.
Nunc venit Camerarius,
Et menſa bene paratur:
Pòſt item ſtabularius,
Et equus oneratur.
Aperit portarius,
Ad campum equitatur.
Curſitat aviarius,
Ut avis capiatur.
Mos ille neceſſarius,
Sic tempus breviatur.
Occurrit pauper varius,
Illi nihil datur.
Vigilant in luſibus
Ad horam matutinam.
Pro divinis uſibus
Ordinant coquinam.

Verba

Verba volant Veneris,
Pudoris inimica,
Hujus mundi ſceleris
Mente impudica.
Vivunt in deliciis,
Et ſequuntur caſtra
In mundi deſideriis :
Nec itur ſic ad aſtra.
Sunt qui uſuram, ſacrilegium
Modò venerantur,
Quorum privilegium
Multi imitantur.
Simonis officium
Multi proſequuntur,
Cujus maleficium
Amplecti nituntur.
Quod quondam erat dedecus,
Nunc honor reputatur.
Juſtitiæ famelicus
A multis deteſtatur.
Nefas qui nunc prohibet,
Ab omnibus oditur :
Sed qui ſe vanum exhibet,
Libentius auditur.
Omnis devotio
Dormit, fides nutat.
Chriſtum clericus ocio
Torpens ſequi nutat,
In concupiſcentiam,
Et in pravos prunus mores,
Non curant continentiam,
Sed gulam & honores.

Quæritur nunc ocium
Omnium bonorum.
Quæritur nunc corporis
Amor, honor, favor.
Hujus noſtri temporis,
Regnat livor, pavor.
Crevit turba Simonis,
Præficiuntur Gyezitæ.
Voce clamant Dæmonis,
Ite & venite.
Aurum ſi oſtenditur,
Metalli numiſma,
Donum Dei venditur,
Nec timetur ſchiſma.
Legem, Evangelium
Multi perverterunt:
Numiſmatis auxilium
Pro divino quærunt.
Creſcunt temporalia,
Spiritus decreſcit:
Ad hæc, & ad talia
Quivis inardeſcit.
O paſtores animarum
Oviculas defendite:
Auſcultate ergo parum,
Et verum attendite.
Quarum curam recepiſtis,
Honorem cum onere:
Pro quibus certè debuiſtis
Vitam veſtram ponere,
Uti à lupis redimantur,
Et à pſeudoprophetis,

Per

Per quos multum infeſtantur,
Et tamen ſiletis.
Vos reddetis rationem
In die judicii,
Recepturi talionem
Regni vel ſupplicii.
O quot lupi nunc à grege
Vorant lac & lanam,
Et qui vivunt ſine lege
Sectantes viam vanam,
Curſitant equitantes
Per omnes mundi plagas,
Vanitatem imitantes,
Sed linquentes oves vagas.
Quarum Deus curam gerat,
Et protegens ipſas
Cum ſalute ſua ferat
Ad ſedes tranquillas.
Væ vobis hypocritæ,
Sic dicetur clero:
Rationem reddite
Coràm Deo vero.
Quòd peccata hominum
Jugiter ſumpſiſtis,
Pro quibus cœli Dominum
Orare debuiſtis:
Pro veſtris ſceleribus
Non pœnituiſtis,
Sed nova veteribus
Semper addidiſtis.
Tumet, jubet & inflatur
Doctor decretorum:
Scriba legis exaltatur

 Per

Per librum ſacrorum.
Si ſic Deus honoratur
Turba fœlix horum,
Sed heu plus dehoneſtatur
Perverſores morum.
Pauper hic deſpicitur
Nummo cum albino:
Sed dives reſpicitur,
Præfertur cum rufino.
Non ingreditur ad eos
Cauſa vidualis,
Sine nummo facit reos
Quorum Decretalis.
Pro tam vili precio
Jura vendunt tales,
O qualis diſcretio?
Quantum habes, tantum vales.
Poſt hos aſſeſſores, advocati,
Et tabelliones,
Et cum multis ſunt vocati
Reddunt rationes.
Si cum paucis ſunt electi,
Quàm fœlices illi,
Ubi multi & perfecti
Semper ſunt tranquilli.
Inter iſtos ſunt viri devoti
Non errantes,
Summo Deo bene noti
Juſtificam ſectantes.
Perſequor compendioſe
Voce lachrymoſa
Conquerendo doloroſe,

Turba ruinosa.
Sal terræ dicimini,
Subditis prælati,
Et lux mundi scribimini
Omnes literati.
Si sal infatuabitur,
In quo salietur?
Per quod verum probabitur,
Ut pedibus calcetur.
Nova semper cuditis,
Vetera mutatis:
Pauperem detruditis,
Falsa fabricatis.
In vobis & in subditis
Graviter peccatis:
Latetis in abditis,
Minimè latratis.
Deo quid absconditis?
Qui parum boni datis:
Malis nihil facitis,
Hoc est mirandum satis.
Quid favorem venditis
In his terræ pratis?
Mortem non attenditis,
Væ vobis Prælatis.
Cervicem extenditis,
Frena relaxatis:
Justos vilipenditis,
Injustos exaltatis.
Nullos reprehenditis,
Vos semper excusatis:
Errores defenditis,

 Sic

Sic barathrum intratis.
Quondam me persequebantur
Judæi & Pagani,
Quorum actus nunc imitantur
Falsi Christiani:
Meis quos uberibus
Dulci lacte pavi,
Affligunt me sceleribus,
Pro quibus preces stravi
Sponso meo jugiter,
Qui sudavit cruorem,
Passus mirabiliter
Victus per amorem:
Sacratis vulneribus
A morte quos exemit,
Ditissimis muneribus
Ab inferis redemit.
O cæcorum cæci duces,
Qui vos excusabunt?
Cum accusatores feroces
Constanter accusabunt.
Vos estis peremptoriè
Breviter citandi:
Nil proderit vis memoriæ,
Deficietis manifestandi.
Ninivitæ, Sodomitæ
Tunc melius habebunt:
Cum vobis dicetur Ite,
Tunc corda pavebunt.
Stabitis attoniti
Sine ratione,
Prius tamen moniti
Cum dilectione.

Nil dicitur januario,
Vel prolocutori,
Nil protonotario,
Nec defensatori,
Neque collegiario,
Nil adulatori,
Neque camerario,
Nec procuratori.
Sed sedebit pro tribunali
Leo de tribu Juda:
Quicquid boni sive mali;
Tunc patebunt nuda.
Omnia in veritate
Justè judicabit:
Justis vitam indilatè,
Injustis mortem dabit.
Quondam eram paupercula,
Ex corde patris nata,
Simplex muliercula,
Humilis & grata.
Nunc sum in regalibus
Nimis exaltata,
Et in tribunalibus
Gloriosè ornata.
Castris & palatiis,
Pulchris ornamentis,
Plurimis solatiis,
Stipor fulcimentis.
In gazophylaciis,
Auri blandimentis,
Sophisticis fallaciis
Et in argumentis,

 Variis

Variis coloribus
Pulchris & ornatis,
Ornor à victoribus
Plus quàm à Prælatis.
Ducor nunc in curribus
Elatis & phaleratis,
Et in altis turribus
Muratis & quadratis.
Sponſa ſponſo conjungor
Summi regis nato,
Et ſic modò deſolor
In hoc terræ prato.
Quondam enim habui
Amatores plures:
Omnes tabent, tabui.
Quid quaſi fures,
Carnis quærunt gloriam
Vanam, & honores.
Sic aurum fit in ſcoriam,
Et pervertunt mores.
O vos venerabiles
Sacerdotes Dei,
In fide ſitis ſtabiles,
Et ſerviatis ei:
Vos qui ejus filium
Manibus tractatis,
Angeli conſilium
Cum hoc habeatis.
Conſcratis, miniſtratis
Chriſti ſacramentum:
Commendatis, approbatis
Novum teſtamentum,

Charitatem, fidem, ſpem
Invicem ſectantes,
Cœleſtem in Jeruſalem
Intrabitis lætantes.
Si tamen ſpreveritis
Mundi vanitatem,
Et ſobriè vixeritis
Amantes caſtitatem,
Non frangant vos contraria
Mala ſufferendò,
Et oportet talia
Pati in vincendo,
Contra Diabolicas
Artes reſiſtendo,
Tandem Apoſtolicas
Virtutes obtinendo.
Et finito certamine
Eritis uniti,
Et finali in examine
Optimè muniti.
Tunc pro vobis Dominus
Chriſtus ſponſus meus,
Stabit nihilominus
Verus homo Deus,
Nos amplectens dulciter
Ardenti charitate,
O quàm mirabiliter
Cum ſumma largitate
Ducet nos intrinſecus
Miræ ſuavitatis,
Quondam qui forinſecus
Erat cum beatis.

Nobiſcum æternaliter
Gaudebit ſine fine,
Sic toti totaliter
Gloriæ divinæ
Illi unanimiter
Erimus hærentes,
Sed & æquanimiter
Semper congaudentes.
Nunc oremus Dominum,
Qui nobis eſt fidelis,
Qui pro ſalute hominum
Ad nos miſit de cœlis
Dilectum ſuum filium
Pro nobis exulare,
Ut nobis det auxilium
Pugnando triumphare:
Ut poſt hoc exilium
Mereamur conregnare,
Iniquum ne concilium
Nos poſſit accuſare.

De Symonia vetuſtum carnem.

CRevit in Eccleſia monſtrum genitore Loſinga,
Simonidum ſecta, canonum virtute reſecta.
Petre nimis ceſſas, Simon volat, ardua tentat:
Præcipe ſpiritibus, lenteſcat ut iſte volatus.
Qua volat, arte cadat, petra tale volatile fiat.
Ut ruat hæc turris, faciat tibi tradita clavis.
Ecce domum pacis aries quatit impietatis.
Pro dolor, Eccleſiæ nummis panduntur & ære:

Clave

Clave Simoniaca reſerantur ovilia ſancta.
Si præſens eſſes, furem Petre nónne ferires?
Malleus argenti confringit ovilia Chriſti.
Quid lex ſacra facis, quid ſancta Nicæa ſileſcis?
Dormis, an vigilas? nam cur ſententia ceſſat?
Res nimis ô fœdas, fit nummis Præſul & Abbas,
Filius atque pater: ſed ſpiritus almus abhorret,
Gratia furtivæ quia damnat dona monetæ.
Filius eſt præſul, pater Abbas, Simon uterque,
Eſt Petrus excluſus, modò Simon in arce locatur,
Sub ſpecie ſancta veſtitus veſte cuculla.
Cerne lupum monachum, bene gyrat ab ante retrorſum.
Eſt bene ſubtonſus * botis tunicísque politus,
Jurat, crede mihi, cui Chriſtus credere neſcit,
Stat lupus ad caulas, premit agnum dira leæna.
Hic premit, illa tremit, canis abſtat, opilio dormit,
Ut reor, eſt notus, ſimilique cadavere paſtus,
Et ſemel emiſſus fugit irrevocabilis arca.
Ut Mopſo Niſa, corvo datur ecce columba.
Qualis pullus erit, quem fert commixtio talis?
Ne monſtrum pariant, faciat Deus ova putreſcant.
Alba datur nigro. detur modò Tygris onagro.
Agna lupo, lepori canis, apro capta leæna,
Cerva bovi, bos urſæ tibi, vulpecula lynci,
Paſſeribus perdix, miluus ſocietur olori,
Accipitres merulis, bubonibus auca ſiniſtris.
Omnia mutentur: poſſint, quia poſſe videntur.
Regnat enim Simon, cum Simone peſſima Mammon.

Quid

Quid non ſperemus, ſi nummos poſſideamus?
Omnia nummus habet, quæ vult facit, addit
& aufert.
Securus regnat, obſtant contraria nulla,
Diſtribuit leges, quid non ſperetis ementes?
Si quid fortè nocet, aſſit modò nummulus, aufert.
Nummulus eſt parma, ſit nummulus arcus & arına.
Roma caput mundi tu quondam talibus ultrix,
Aut citius venias ultrices reddere pœnas:
Aut caput ut fueras, modò caudæ victima fias.
Si ſis venalis, quod quondam Numida riſit,
Emptor non deerit, cui vendes, atque peribis.
Talibus ipſe Deus quondam cum reſte minatus,
Menſas & ſedes de ſacris ædibus arcens.
Dic ſint maranatha Deus hi, dic ſint anathema.

SEQUUNTUR RHYTHMI, quos poſt Synodum Lateranenſem anno Domini 1216. nobilis quidam Anglus in ſacerdotalis conjugii favorem compoſuit.

PRiſciani regula penitus caſſatur,
Sacerdos per hic & hæc olim declinabatur:
Sed per hic ſolummodo nunc articulatur,
Cum per noſtrum præſulem hæc amoveatur.
Ita quidem presbyter cœpit allegare:
Peccat criminaliter qui vult ſeparare,
Quod Deus conjunxerat, fœminam amare.
Tales dignum duximus fures appellare.

O quam

O quam dolor anxius, quàm tormentum grave
Nobis est dimittere: quoniam suave.
O Romane Pontifex statuisti pravè:
Ne in tanto crimine moriaris, cave.
Non est Innocentius, immò nocens verè,
Qui quod facto docuit, verbo vult delere,
Et quod olim juvenis voluit habere,
Modò vetus Pontifex studet prohibere.
Gignere nos præcipit vetus Testamentum,
Novum quod non retinet, nusquam est inventum.
Præsul qui contrarium donat documentum,
Nullum necessarium his dat argumentum.
Dedit enim Dominus maledictionem
Viro, qui non fecerit generationem:
Ergo tibi consulo per hanc rationem
Gignere, ut habeas benedictionem.
Nónne de militibus milites procedunt?
Et reges à regibus, qui sibi succedunt?
Per locum à simili omnes jura lædunt
Clericos, qui gignere crimen esse credunt.
Nobis adhuc præcipit vetus Testamentum,
Quod nostræ jam legis est verax fundamentum,
Ut mares & fœminæ sciant instrumentum
Tale, per quod habeant prolis incrementum.
Zacharias habuit prolem & uxorem,
Per virum, quem genuit, adeptus honorem:
Baptisavit etiam nostrum salvatorem,
Pereat, qui teneat novum hunc errorem.
Paulus cœlos rapitur ad superiores,
Ubi multas didicit res secretiores,

Ad

Ad nos tandem rediens, inftruénfque mores
Suas, inquit, habeant quilibes uxores.
Propter hoc & alia dogmata doctorum,
Reor effe melius, & magis decorum,
Quifque fuam habeat, & non proximorum,
Ne incurrat odium vel iram eorum.
Proximorum fœminas, filias & neptes
Violare nefas eft, quafi nil deceptes:
Verè tuam habeas, & in hac delectes,
Diem ut fic ultimum tutius expectes.
Ecce jam pro clericis multum allegavi,
Nec non pro presbyteris multa comprobavi,
Pater nofter nunc pro me, quoniam peccavi,
Dicat quifque presbyter cum fua fuavi.

DE MUNDI MISERIA *rhythmi Gualteri Mapes.*

ECce mundus moritur, vitio fepultus.
Ordo rerum vertitur, fapiens fit ftultus.
Exultat jufticia, ceffat Chrifti cultus.
Sunt in mundo jugiter labor & tumultus.
Mundus in interitum vergit his diebus,
Dii facti funt iterum Juppiter & Phœbus.
Nam qui nummos poffidet, & abundat rebus,
Hic ut Deus colitur fceptris, aciebus.
Et quæ Theologicæ virtutes vocantur,
Fides, fpes & charitas pede fuffocantur.
Fraus & avaritia, & quæ derivantur
Ex his, jam feculo toto dominantur.
Si fis ortu nobilis, fi vultu ferenus,
Si benignus, humilis, moribúfque plenus,

Hæc

Hæc tibi nil profuerint, si tu sis egenus,
Nam sola pecunia formam dat & genus.
Dum modò sis splendidis vestibus ornatus,
Et multa familia sis circumvallatus,
Nummosus & abundans ac officiatus,
Ego tuus nepos sum, tu meus cognatus:
Ista cum defecerint, statim evanescit
Consanguinitas, & amor vilescit,
Cessátque notitia, ita quòd me nescit.
Qui dum dives fueram, surgens intercessit.
O miranda vanitas divitiarum,
Amor lamentabilis, ô virus amarum,
Cur tot viros inficis faciendo charum
Hoc, quod transit citius quàm flamma stupparum?
Si nummi divitibus hæc tria possent dare,
Juventutem floridam, mortémque vitare,
Pulchram & durabilem prolem procreare,
Bene possent divites nummos congregare.
Homo miser cogita, mors cuncta compescit,
Quis est ab initio, qui morte non discessit?
Hic qui vivit hodie, cras forsan putrescit,
Cúmque prorsus homini parcere mors nescit,
De morte dum cogito, contristor, & ploro:
Unum est quod morior, & tempus ignoro.
Aliud, quod nescio, quorum jungar choro:
Sed ut suis merear jungi, Deum oro.
Hoc nobis omnibus donet, & concedat,
Qui sine termino triumphat, & regnat.

Aliud.

Cum Jesu Judas, cum Simone fur Ananias:
In templo Christi semper sunt quatuor isti.

DOMINO ET PATRI SUO
Petro dignissimo Abbati Cluniacensium fratrum, Bernhardus ejus filius, eorum frater, inaurem auream unam.

QUod ad aures publicas, sive ad multorum ora profertur, sapientis est, correctione & accurato absolvere judicio. Opus quippe suum etiam atque etiam retractare, autori gloriam comparat: temerè & præcipitanter exponere, ignominiam. Quo fit, ut in alterutram partem omnis scriptor se conferat: & siquidem aliorum prudentium examine stylum suum corrigit, prudentis sibi titulum & nomen, vel si non quærit, acquirit. Si non verò superbùm spirans, ferulæ manum submittere dedignatur, non minus fatuitatis, quàm superbiæ arguitur: ac propterea ne à rudibus quidem vel ipse vel ipsius sermo accipitur. Mentior, si non etiam Flaccus Horatius, ad Pisones suos instruendos, ad nos reprimendos, qui juxta illud Poetæ, Scribimus indocti, doctique pœmata passim: mentior, inquam, si non & Flaccus in arte Poetica idem quod ego consentit. Quippe ibi præcipit, ut scriptum est: Quod non multa dies, & multa litura coercuit, atque Perfectum decies non castigavit ad unguem, id nonum scilicet prematur in annum. Cæterùm imprudentes. imò impudentes quique sua inventa, sua passim scripta & efferunt & inferunt: qui semper discentes, & nunquam ad scientiam pervenientes, dum alie-

alienum judicium reprobant, contenti ſuo, ſeſe aliquid ſcire putant: & quoniam ipſi ſibi magiſtri, ſibi auditores ſunt, & ingeniolis ſuis gloriantes confidunt, aliena quidem dicta vel nullius vel parvi, ſua verò magni faciunt. At contrà ſapientis & docti eſt, cùm doctorum eloquiis ſua conferre, in illis & ab illis ſcribendi formam modúmque addiſcere, & conſenſum: tum verborum ipſorum poſitionem ſtructurámque æmulari ac ſequi. Moris nimirum eſt omni erudito, ſua majorum judicio ſtudia, ſi diligentiore lima egent, elimare: ſi ornatu, expolire: ſi emendatione, corrigere: ſi nullo horum, tum demum legenda abſolvere. Hæc ego conſiderans, opus ſubjectum, quod de mundi contemptu dactylico metro paravi & peroravi, veſtræ autoritati, pater doctiſſime, præoſtendere non neglexi. Non neglexi, inquam, præoſtendere. Neque enim libera fiducia, aut fida libertate promulgandum judicavi, niſi prius lingua Petri, & veri Petri, eſſet approbatum, favore munitum, correctum judicio, roboratum teſtimonio. Quod nudò nomine tantum perſonam nominaverim, rogo nemo mihi ſuccenſeat: quòd tantam laudem geminans inculcaverim, nemo adulationi impingat. Scio namque quia ſicut apud malè liberas mentes gloria ſive laus excidium eſt virtutis, ſic econtrà apud egregias incitamentum. Nec falſò à Poeta dictum eſt, Gloria calcar habet. ſtudet enim liberalis mens ſemper, vel animus, quoties aliquid de ſe laudis

 dici-

tur, ut ſi non eſt ita ſicut dicitur, ſit ita quia dicitur. Nihil ergo quiſquam abſurdum fecerit, ſi virum timoratum laudet, quando ei laus ipſa virtutis materia eſt. Sed de his ſatis: nunc ad omiſſum revertar. Veſtræ igitur correctioni, doctiſſime pater & domine, committendum opuſculum de Contemptu mundi excogitavi, ſcripſi, diſtinxi, nondum omnino abſolutè edidi. Cur autem metri potius tenore, quàm producta oratione ſcribere placuerit, ſi vel alius quis, vel vos ipſe quæritis, ſic accipite. Nimirum, ut poeticis verbis utar, utrumque perplacet, & jucunda, & idonea dicere vitæ. Quippe quòd metrico carmine digeſtum ediſcitur, libentius auditur, & avidius legitur, eóque facilius aliæ memoriæ comendatur. Quod fit, dum ſpecie verſuum, dum ſonoritate verborum lector allicitur ad exercitationem eorum quæ legerit vel audierit ut magis accendatur & accingatur, & dum verborum elegantiam conſiderat, efficaciam exerceat. Quare ſicut in metro plurimum decoris eſt, ſic in decôre plurima utilitas. Alterutrúmque horum duorum pendet ex altero, quod videre perfacile eſt. Si enim lector in illo delectatur, conſequenter & in iſto. Etenim qui ſolerter contemplatur verborum ſpeciem, ſæpe ſolicitior amplectitur ipſam rerum frugem. Hinc eſt, quod poetæ omnia, aut penè omnia quæ ſcripſerunt, metricè ſcripſerunt: metrica, ut ita dicam, cantione ſcripta emiſerunt: ſcilicet id vel maximè attendentes, ut quæ

quæ minus poterant plano ſtylo digeſta, metrico depicta ſermone, grata redderent. Huc quoque accedit, quòd & ipſum, ut patres perhibent, Pſalterium lyrici compoſuere pedes. Præterea, quòd plurimæ veteris Teſtamenti paginæ, quibus enumerandis ſuperſedeo, ob ſuperius datam rationem,in metro emiſſæ ſunt, non in metra tranſmiſſæ. Nam in tempore revelatæ gratiæ, jam fide, jam Evangelio, de crucifixo noſtro JEſu Chriſto ubique gentium regnante, eò proceſſit verſificatoriæ artis gratia, ut quidam catholici non timuerint majeſtatem quoque Evangelicæ paginæ in ſpondæum dactylumque tranſmittere. Sic igitur ego horum, quos æmulor Dei æmulatione, ſtylum imitans, etſi non valui, quantum illi, vel in hoc vel in aliis exercitiis ſcientiarum aſſequi, ſequi tamen & volui & valui, & ſecutus ſum. Namque inter contemporaneos meos fama verſificandi, cum mihi licet, immeritò circumvolabat, & vitia perditorum vix aliquis aut nullus viva voce, nedum literali reprehendebat, concaluit cor meum intra me: cúmque in meditatione mea non paucos dies & noctes exardeſceret ignis zeli, tandem accinxi me, & locutus ſum in lingua mea, quod animo diu conceptum, celaveram apud me. Quippe ego ſæpe & diu ab ſponſo audieram, ſed non exaudieram: Bona vox tua in auribus meis. Et mihi iterum à dilecto clamabatur: Aperi mihi ſoror mea. Quid igitur? Surrexi ut aperirem dilecto mihi. Et dixi: Domine, ut cor

meum cogitet, ut stylus scribat, ut os annunciet laudem tuam, infunde & cordi & stylo & ori meo gratiam tuam. Et dixit mihi Dominus: Aperi os tuum, quod implevit Dominus spiritu sapientiæ & intellectus: ut per illa vera, per istum perspicua dicerem. Non ego arroganter, sed omnino humiliter, & ob id audenter affirmarim: quia nisi spiritus sapientiæ & intellectus mihi affuisset, & affluxisset tam difficili metro, tam longum opus contexere non potuissem. Id enim genus metricum, dactylum continuum, exceptis finalibus trochæo vel spondæo, tum etiam sonoritatem Leoninicam servans, ob sui difficultatem jam penè: non dicam penitus, obsolevit. Denique Hildebertus de Laverdino, qui ob scientiæ prærogativam prius in episcopum, pòst in metropolitanum promotus est, Vuichardus Lugdunensis canonicus, versificatores præstantissimi, quòd pauca in hoc metrum contulerint, palàm est. Quorum Hildebertus, dum illam peccatricem Mariam (loquor) Ægyptiam hexametris commendaret, hoc metro tantum coloravit versus. Vuichardus verò plus minus triginta, in sua illa contra quosdam Satyra. Quorsum hæc? illud scilicet intelligatur, quòd non nisi Deo cooperante, & sermonem confirmante, tres libellos eo scripsi metro, quo vix illi paucissimos versus. Et hæc pace illorum dicta sint. Jam verò vestri examinis censuræ, pater doctissime, meditata nostra exhibeo: & obedientiam vobis, velut inaurem auream

auream unam vobis offero. Ante enim hos dies, cum essetis Nogenti, & aliqua opusculorum nostrorum acceptione vestra dignatus fuissetis: hæc etiam, quia & de hoc apud vos mentionem induxeram, vobis oblatum iri præcepistis. Quod quia tunc non potui (non enim ad manum habebam) nunc tribus libellis discretum vobis exhibeo: & hic correctionem vestram, si opus fuerit, peto. Nec ab re est, succinctè prælibare, quam cuilibet libro materiam indixerim. In primo namque de contemptu mundi disputatum est: in duobus subjectis, tam materiei, quàm intentionis una facies respondet: quia & materia mihi est, vitiorum reprehensio, & à vitio revocare intentio. Quæ scribere, quid utilitatis pariat, quid honesti, neminem latet. Quid multa? Opus nostrum qualecunque vobis, pater, assignavi, assignatum scripsi: scriptum, Deo fautore vel mittam absens, vel offeram præsens. Accipiat ergo gratanter gratiosus pater scriptum filii, magister discipuli, dominus servi. Teste enim conscientia mea fidenter audeo dicere, & dico, quia sum vobis filius non adulterinus, sum vobis discipulus non alienus, sum vobis servus non servilis. Quid vos mihi? Imò quid & ego vobis? planè vos eritis mihi in patrem, & ego ero vobis in filium. De cætero Deus pacis & discretionis vos & vestros in pace in idipsum conservet, pater venerande: Amen.

Incipit argumentum in subjectum opus.

Materia authoris est, Christi adventus ad judicium, gaudia sanctorum, pœnæ reproborum, &c. Intentio est, persuadere contemptum mundi. Utilitas, quæ mundi sunt contemnere: quæ Dei, appetere. Ethice supponitur, quia de moribus agit instruendis. Exordium suum munit authoritate apostoli Johannis, sic dicentis: Filioli novissima hora est. ubi captat benevolentiam, verba Apostoli præferens suis. In ipso principio ad terrorem agit de adventu judicis, unde reddit intentos. In descriptione gaudii cœlestis, & in cæteris quæ docet, reddit dociles.

BERNHARDUS CLUN.
De contemptu mundi, ad Petrum Abbatem suum.

HOra novissima, tempora pessima sunt, vigilemus.
Ecce minaciter imminet arbiter ille supremus.
Imminet imminet, ut mala terminet, æqua coronet.
Recta remuneret, anxia liberet æthera donet.
Auferat aspera, duráque pondera mentis onustæ:
Sobria muniat, improba puniat, utraque justè.
Ille piissimus, ille gravissimus ecce venit rex.
Surgat homo reus, instat homo Deus, à patre judex.
Surgite, currite simplice tramite quiq; potestis.
Rex

Rex venit ocius, ipseq; conscius, ipseq; testis.
Dum licet, impia: dum vacat, omnia fluxa
laventur.
Detur egentibus, alta parantibus ima parentur.
Imminet arbiter ille fideliter expositurus,
Quæ dabit, aut dedit. ad bona lux redit, ad
mala durus.
Qui modò spernitur, ille videbitur imperiosus,
Intolerabilis, irrevocabilis, ac animosus.
Agmina sobria, dextra: nefaria, læva tenebit.
Hinc reprobabilis ordo, probabilis inde ma-
nebit.
Hinc chorus impius, indéque sobrius audiet: Ite
Ite manus rea: grex meus in mea regna ve-
nite.
Ibit in æthera concio dextera præduce Christo,
Perdita crimine planget in ordine turba sinistro,
Crimine perdita, crimine debitā turba gehennæ
Stat modò, tunc ruet: hic stat, ibi luet acta
perennè.
Tunc sacra concio, sacra creatio percipietis
Perpetualia, credite, gaudia, qui modò fletis.
Grex renovabitur, & removebitur à grege
latro:
A veteri novus, à reprobo probus, albus ab atro:
Hostis ab ausibus, agnus ab hostibus, hœdus
ab agnis:
Pauperioribus astra petentibus, ima tyrannis.
Cedet ad æthera qui flet, ad infera qui malè
gaudet.
Carnea gaudia mens luet ebria, sobria plaudet.
Deniq; montibus altior omnibus ultimus ignis,

 Sur-

Surget inertibus ima tenentibus, astra benignis.
Flammáq; libera surget in aera, surget ad astra.
Diruet atria, regna, suburbia, delubra, castra.
Excoquet omnia sorde fluentia nunc elementa:
Reddet & omnia luce nitentia, jam lue dempta.
Mundus habebitur, atque novabitur ipse: sed alter,
Alter imagine, non & origine. non ibi pauper,
Non ibi debilis, aut homo flebilis, aut furor, aut lis,
Aut cibus, aut coquus, aut Venus, aut jocus, aut timor, aut vis.
Terra novabitur, & reparabitur orbis imago,
Quem modò polluit, obtinet, obruit ima vorago.
Terra patrum gerit ossa, dehinc erit ut paradisus,
Amplius, ut solet incola, non colet hanc bove nisus.
Non erit amplius aeris istius ista figura:
Sed nive, nubibus, igne, tonitribus, imbréque pura.
Solis & orbita, lunáque concita, tunc sita stabunt.
Astra, polus, mare, circuitum dare non properabunt.
Omnia sidera cœlica dextera clarificabit.
Sideribus dupla lux, tibi septupla sol radiabit.
Gens pia flens modò, tunc ita quomodo sol renitebunt:
Doctáque pectora, pulchráque corpora prorsus habebunt,

Pulchra,

Pulchra, citissima, fortia, libera, deliciosa,
Sana, vigentia, jámque carentia morte perosa.
Absolon indecor esset ibi decor, & esset ibi coma, nec non
Pes piger Asahel, & manus Israel arida Samson.
Nulláque Cæsaris inscia comparis illa facultas,
Et Solomonia nulla potentia, nulla voluptas.
Non Moyses ibi sana daret sibi lumina dentes,
Matusalem breve viveret: hæc bene quærite mentes.
Quærite, quærite, quærite, surgite, gaudia pura,
Gaudia stantia, non pereuntia, nec peritura.
Nónne potentia fert latro gaudia, de cruce flenda,
Raptus ad afflua regna, vel ardua sceptra regenda?
Sunt sua tristia, nulláve gaudia juncta supernis:
Confer eis ea, nil fore terrea gaudia cernis.
Illa videbimus, illa tenebimus, illa sciemus
Gaudia cœlica, qui modò lubrica gaudia flemus.
Omnibns omnia clausa, patientia perspicientur,
Membráque singula, quomodo lumina, constituentur.
Lumina sobria, clausa per omnia, sicut aperta,
Aspicent ibi: quippe Deus sibi visio certa.
Ora videbimus, & penetrabimus abdita nostra,
Nilq; verebere proba patescere flendo reposta.
Ille sciet tua crimina, tu sua, nílque pudebit.
Gratia, gratior, hinc manus altior illa patebit.
Quo magis effera sunt tua vulnera sive querela,
Tanto probatior & manifestior illa medela.
Clausa vel omnia tunc tibi pervia nil erit obstans.

Scis

Scis bona fingere, plura lucrabere, vox mea
constans.
Orbéque fortior, ibis & ocyor alite visu:
Fortis habebere, secula fertere, vel sine nisu.
Par superis eris, actibus hos geris, arce sequeris.
Et patris illius, ô sonus hic pius, ore frueris.
Stans super æthera, sub nigra tartara tutò
videbis.
Mæsta, molestáque, flenda, timendáque nulla
timebis.
Turba nefaria perdita gaudia nunc procul ante
Judicium videt, hinc flet, & invidet impia
sanctæ.
Flet, quia plurima stat sibi lachryma, gaudia
sanctis.
Flet, quia decidit, ipsáq; perdidit ora Tonantis.
Ut reprobam proba, sic modò reproba tur-
ba beatam
Mutuò conspicit, illáque despicit hanc sibi
stratam.
Pulchrior est olor ex merula, color albus ab
atro:
Ex gemitu tonus, ex pice nix, bonus ex re-
probato,
Nec bona filia matre fit anxia, nec patre natus.
Illa stat, hæc ruit: hic bona fert, luit ille reatus.
Ut placet æquore nunc tibi cernere, lude-
re pisces:
Sic apud infera nec tua viscera visa gemisces.
Curre vir optime, lubrica reprime, præfer
honesta.
Fletibus angere, flendo merebere cœlica festa.
Luce

Luce replebere jam ſine veſpere, jam ſine luna,
Lux nova, lux ea, lux erit aurea, lux erit una;
Cum ſapientia, ſive potentia patria tradet
Regna patri ſua, tunc ad eum tua ſemita vadet:
Tunc nova gloria pectora ſobria clarificabit:
Solvet ænigmata, veráq; ſabbata continuabit,
Liber & hoſtibus, & dominantibus, ibit Hebræus:
Liber habebitur, & celebrabitur hinc jubilæus.
Patria luminis, inſcia turbinis, inſcia litis,
Cive replebitur, amplificabitur Iſraelitis.
Patria ſplendida, terráque florida, libera ſpinis,
Danda fidelibus eſt ibi civibus, hic peregrinis.
Tunc erit omnibus inſpicientibus ora Tonantis,
Summa potentia, plena ſcientia, pax pia ſanctis.
Pax erit omnibus, illa fidelibus, illa beata,
Irreſolubilis, invariabilis, intemerata.
Pax ſine crimine, pax ſine turbine, pax ſine rixa:
Meta laboribus, atque tumultibus anchora fixa.
Pax erit omnibus unica. Sed quibus? immaculatis,
Pectore mitibus, ordine ſtantibus, ore ſacratis.
Pax ea, pax rata, pax ſuperis data, danda modeſtis:
Plenáque vocibus atque canoribus atria feſtis:
Hortus odoribus affluet omnibus, hic paradiſus,
Plenáq; gratia, plenáq; gaudia, cantica, riſus:
Plena redemptio, plena refectio, gloria plena:
Vi, lue, luctibus aufugientibus, exule pœna.
Nil ibi debile, nil ibi flebile, nil ibi ſciſſum.
Res ibi publica, pax erit unica, pax in idipſum.
Hic furor, hic mala, ſchiſmata, ſcandala, pax ſine pace:

Pax

Pax ſine litibus, & ſine luctibus in Syon arce.
O ſacra potio, ſacra refectio, viſio pacis,
Mentis & unctio, nulláq; mentio ventris edacis.
Hac homo nititur, ambulat, utitur, ergo fruetur.
Pax rata, pax ea, ſpe modò, poſteà re capietur.
Jeſus erit pius, & decor illius eſca beatis,
Paſcua mentibus, hanc ſitientibus, hac ſatiatis.
Et ſitiens eris, & ſatiaberis hac dape vitæ.
In neutro labor, una quies, amor unus utrinq;.
Civibus ætheris aſſociaberis, advena, civis.
Hic tuba, pax ibi, vita manens tibi, qui bene vivis.
Hic erit omnibus una fidelibus ultima cœna.
Tunc cumulabitur atque replebitur illa ſagena.
Denique piſcibus integra pluribus, integra magnis
Glorificabitur, hic removebitur anguis ab agnis.
Sciſſa ruentibus, integra ſtantibus integritate.
Inde cremabitur, hinc ſolidabitur, ô Deus, à te
Gens nova, grex novus, & numerus bonus ille bonorum,
Jeruſalem petet, hic dat, ibi metet ordo piorum.
Grex erit inclytus, hoc patre præditus, hoc duce nixus,
Qui tulit omnia ſanguine noxia, Rex crucifixus.
Grex ſacer ordine, ſplendidus agmine, lumine plenus,
Vivet eo duce, qui tulit in cruce Rex Nazarenus.
Paſtus odoribus interioribus, atque ſuperno
Nectare, dulcia protrahet ocia, perpete verno:
Per ſacra lilia, pérque virentia germina florum
Expa-

Expaciabitur, ac modulabitur ordo piorum.
Pectora plausibus atque canoribus ora parabit,
Cum sua crimina, lapsáque pristina stans memorabit.
Quo fuit amplior error, iniquior actio mentis,
Laus erit amplior, hymnus & altior, hanc abolentis.
Unica cantio, tunc miseratio plena Tonantis:
Laus erit unica, pro stipe cœlica præmia dantis.
Pro stipe præmia, pro cruce gaudia, pro nece vita
Illa tenebitur, inde replebitur Israelita.
Hic breve vivitur, hic breve plangitur, hic breve fletur:
Non breve vivere, non breve plangere retribuetur.
O retributio, stat brevis actio, vita perennis,
O retributio: cœlica mansio stat lue plenis.
Quid datur, & quibus æther, egentibus & cruce dignis:
Sidera vermibus, optima sontibus, astra malignis.
Cœlica gratia criminis omnia non modò donat,
Sed super æthera suscipe viscera tanta coronat.
Omnibus unica cœlica gratia retribuetur,
Omnibus omnibus ulcera flentibus accipietur.
Tunc rosa sanguine, lilia virgine mente micabunt:
Gaudia maxima te, pia lachryma te recreabunt.
Nunc tibi tristia, tunc tibi gaudia, gaudia quanta

Vox

Vox nequit edere, lumina cernere, tangere
planta.
Poſt nigra, poſt mala, poſt fera ſcandala,
quæ caro præſtat,
Abſque nigredine lux, ſine turbine pax tibi
reſtat.
Sunt modò prælia, poſtmodo præmia. qualia ? plena.
Plena refectio, nullâque paſſio, nulláque pœna.
Spe modò vivitur, & Syon angitur a Babylone.
Nunc tribulatio: tunc recreatio, ſceptra coronæ.
Ergo Rachel Lia. tunc patriæ via, Martha
Mariæ,
Ira Saul David, Aſſyrii Judith, Achab Heliæ
Cedet, & omnia mitibus obvia, ſpes ſpeciei,
Semina fructibus, & ſonus actibus, umbra diei.
Qui modò creditur, ipſe videbitur, atq; ſcietur:
Ipſe videntibus, atque ſcientibus attribuetur.
Plena refectio, tunc pia viſio, viſio JESU.
Hoc ſpeculabitur, hoc ſatiabitur Iſrael eſu:
Hoc ſatiabitur, huic ſociabitur in Syon arce.
O bone rex, ibi nullus eget tibi dicere, Parce.
Cor miſerabile, corpus inutile non erit ultrà,
Nulla cadavera, nulláq; funera, nulla ſepulchra:
Quódq; beatius eſt, mala longius omnia fient,
Ob tua crimina, jam tua lumina non madefient.
Flendáque gaudia, blandáque prælia carnis
abibunt.
Fraus, probra, jurgia, quid moror ? omnia
prava peribunt,
Nulla gravamina, jam cruciamina nulla timebis.
Nulla

Nulla nefaria, nulla nocentia, nil grave flebis.
Quæ cruce ſe terit, hæc caro flos erit, hæcque favilla
Non erit amplius, unde ſit anxius ille, vel illa:
Nec ſtipe paſcere, nec prece flectere, quem quis egebit.
Nec lue perditus, aut nece territus, aut cruce flebit.
Flendo merebere gaudia ſumere, ſumere vitam
Nec ſtipe, nec prece, nec lue, nec nece, nec cruce tritam.
Cœlica copia, cœlica gloria, cum patre fiet.
Lux nova mentibus, & Deus omnibus omnia fiet.
Gens bene vivida, vitáque florida, fons David undans.
Lux erit aurea, terráque lactea, melle redundans.
Lux ea veſpere, gens lue, funere vita carebit.
Jeſus habebitur, ipſe tenebitur, ipſe tenebit.
Lux erit illius, illius unius eſca benignis,
Abſque cibo cibus, his propriè, quibus eſt cor ut ignis.
Hunc ſpeculabimur, & ſaturabimur hunc ſpeculando.
Cum chorus infimus aſtra replebimus agmine ſancto.
Spe modò nitimur: ubere paſcimur hic, ibi pane.
Nox mala plurima dat, dabit intima gaudia manè:
Gaudia paſſio, regna redemptio, crux ſacra portum,

Lachryma plaudere, pœna quiescere, terminus ortum.
Jesus amantibus afferet omnibus alta trophæa.
Jesus amabitur. atque videbitur in Galilæa.
Manè videbitur, umbra fugabitur, ordo patebit.
Manè nitens erit, & bona qui gerit, ille nitebit.
Tunc pia sentiet auris, & audiet, Ecce tuus rex:
Ecce Deus tuus, ecce decor suus hic stat, abit lex.
Pars mea rex meus, in proprio Deus ipse decore
Visus amabitur, atque videbitur author in ore.
Tunc Jacob Israel, & Lia tunc Rachel efficietur.
Tunc Syon atria, pulchráque patria perficietur.
O bona patria, lumina sobria te speculantur.
Ad tua nomina lumina sobria collachrymantur.
Est tua mentio, pectoris unctio, cura doloris,
Concipientibus æthera mentibus ignis amoris.
Tu locus unicus, illéque cœlicus es paradisus.
Non ibi lachryma, sed placidissima gaudia, risus.
Est ibi consita laurus, & insita cedrus hysopo:
Sunt radiantia jaspide mœnia, clara pyropo.
Hinc tibi sardius, inde topazius, hinc ametistus.
Est tua fabrica concio cœlica, gemmáque Christus.
Lux tua, mors crucis, atque caro ducis est crucifixi.
Laus, benedictio, conjubilatio personat ipsi.
Dos tibi florida, gemmáque lucida rex Nazarænus,
Jesus, homo Deus, annulus aureus, hortus amœnus, Janua,

Janua, janitor, ipséque portitor, ipséq; portus,
Ipse salutifer est tibi lucifer, arra, vir, ortus.
Tu sine littore, tu sine tempore, fons, modò rivus.
Dulcè bonis sapis, éstque tibi lapis, undiq; vivus.
Ipse tuus Deus est lapis aureus, est tibi murus
Inviolabilis, insuperabilis, haud ruiturus.
Est tibi laurea, dos datur aurea, sponsa decora.
Primáq; principis oscula suscipis, inspicis ora.
Candida lilia, viva monilia, sunt tibi sponsa.
Agnus adest tibi, sponsus adest tibi lux speciosa.
Pax tua, præmia, conditor, atria, crux sacra portæ,
Ars tua plaudere, munera vivere jam sine morte.
Tota negocia, cantica dulcia, dulce tonare.
Tam mala debita, quàm mala præbita conjubilare.
Sors tua gaudia sine carentia, nil dare triste.
Lex tua psallere, gloria dicere, Laus tibi Christe.
Urbs Syon, urbs bona, patria consona, patria dulcis.
Ad tua gaudia corda soles pia ducere, ducis.
Jerusalem pia patria, non via, pulchra platea:
Ad tua munera fit via dextera, Pytagoræa.
Urbs Syon aurea, patria lactea, cive decora,
Omne cor obruis, omnibus obstruis & cor & ora.
Nescio, nescio, quæ jubilatio, lux tibi qualis,
Quàm socialia gaudia, gloria quàm specialis.
Laude studens ea tollere, mens mea victa fathiscit.

 O bo-

O bona gloria vincor, in omnia laus tua vicit.
Sunt Syon atria conjubilantia, martyre plena,
Cive micantia, principe ſtantia, luce ſerena,
Eſt ibi paſcua mitibus afflua, præſtita ſanctis.
Regis ibi thronus, agminis & ſonus eſt epulantis,
Gens duce ſplendida, concio candida, veſtibus albis,
Sunt ſine fletibus, in Syon ædibus, ædibus almis.
Sunt ſine crimine, ſunt ſine turbine, ſunt ſine lite
In Syon ædibus editioribus Iſraelitæ.
Pax ibi florida, paſcua vivida, viva medulla,
Nulla moleſtia, nulla tragœdia, lachryma nulla.
O ſacra potio, ſacra refectio, pax animarum.
O bonus, ô pius, ô placidus ſonus, hymnus earum.
Sufficiens cibus eſt Deus omnibus ipſe redemptis.
Plena refectio, propria viſio cunctipotencis.
Ejus habent ſatis, his tamen eſt ſitis ejus anhela.
Abſq; doloribus, abſq; laboribus, abſq; querela:
Huic magis, huic minus, ille patens ſinus eſt deitatis.
Plurima manſio, ſtat retributio plurima patris.
Luna minoribus ante fit ignibus, huic quoq; Phœbus
Præeſt ea noctib9, hicq; fretantibus, ille diebus.
Cernis in æthere plus reniteſcere ſidere ſidus:
Sic mediocria, ſummaq; præmia credito fidus.
Urbs Syon inclyta, gloria debita glorificandis,
Tu bona viſibus interioribus intima pandis.
Intima lumina, mentis acumina te ſpeculantur.
Pectora flammea ſpe modò, poſtea ſorte lucrantur.

Urbs

Urbs Syon unica mansio, mystica, condita cœlo.
Nunc tibi gaudeo, nunc mihi lugeo, tristor, anhelo:
Te quia corpore non queo, pectore sæpe penetro.
Sed caro terrea, terráque carnea, mox cado retrò.
Nemo retexere, nemóq; promere sustinet ore,
Quo tua mœnia, quo capitalia plena nitore.
Id queo dicere, quomodo tangere póllice cœlũ,
Ut mare currere, sicut in aëre figere telum.
Opprimit omne cor ille tuus decor, ô Syon, ô pax.
Urbs sine tempore, nulla potest fore laus tibi mendax.
O nova mansio, te pia concio, gens pia munit.
Provehit, excitat, auget, identitat, efficit, unit,
Te Deus expolit, angelus incolit, incolit ordo,
Cui cubus additur, & sonus editur à decachoro.
Florida vatibus, aurea patribus es duodenis.
Clara fidelibus, esurientibus hic, ibi plenis.
Sunt tibi lilia, pura cubilia virginitatis.
Est rosa sanguine, purpura lumine sobrietatis,
Téque patrum chorus ornat, habet thorus immaculatus.
Sanctáque victima, sanctáque lachryma, pœna reatus.
Rex tibi præsidet, & tua possidet atria, magnuss,
Qui patris unicus est, leo mysticus, & tamen agnus.
Rex tibi filius unicus, illius, ille, Mariæ.

Stirps ſacra virginis, author originis eſque
ſophiæ.
Hic ſapientia, linguáque patria, patria dextra,
Continet arbiter omnia ſub, ſuper, intus &
extra
Aſtra: regit Deus aſtra: cinis mens audet in illo,
Qui quaſi propria continet omnia facta pugillo,
Cum patre filius, atq; paraclitus æquus utriq;:
Omnia continet, omnibus eminet, omnis ubiq;.
Hunc bene quærimus, ergo videbimus, immò
videmus.
Hunc ſpeculabimur, haud ſatiabimur, hunc
ſitiemus
Cernere jugiter atq; perenniter, ora Tonantis:
Dat lucra jugia, perpetualia dat lucra ſanctis,
O ſine luxibus, ô ſine luctibus, ô ſine lite
Splendida curia, florida patria, patria viræ:
Urbs Syon inclyta, turris & edita littore tuto,
Te peto, te colo, te flagro, te volo, canto, ſaluto,
Nec meritis peto: nam meritis meto morte perire.
Nec reticens tego, quòd meritis ego filius iræ:
Vita quidem mea, vita nimis rea, mortua vita:
Quippe reatibus exitialibus obruta, trita.
Spe tamen ambulo, præmia poſtulo ſpéque
fidéque:
Illa perennia poſtulo præmia nocte diéque
Me pater optimus, atque piiſſimus ille creavit,
In lue pertulit, ex lue ſuſtulit, à lue lavit,
Spes mihi plurima, ſpes validiſſima ſtat, ſtet
in ipſo,

Qui

Qui ſua lumina, poſt mea crimina, præbet
abyſſo.
Dum ſua ſuppleo robora, gaudeo: cum mea
ploro,
Tum ſibi gaudeo, tum mihi defleo, flere laboro:
Dum ſua cogito viſcera, ſuſcito gaudia cordis:
Dum mea ſordida mens jacet algida, con-
ſcia ſordis.
Magna potentia, maxima gratia laxet iniquo
Magna piacula, maxima vincula detrahe vict ›.
Gratia cœlica ſuſtinet unica totius orbis
Parcere ſordibus, interioribus unctio morbis.
Diluit omnia cœlica gratia, fons David undans
Omuia diluit, omnibus affluit, omnia mundans.
O pia gratia, celſa palatia cernere præſta:
Ut videam bona, feſtáque conſona, cœlica feſta.
Non animo coquar, aut ſequar, aut loquar
omne prophanum.
Jungar habentibus æthera civibus, & ſequar
agnum.
Sim lue pectoris intrò carens: foris hoſte, labore,
Frigore, grandine, carne, libidine, morte,
timore.
O ſine crimine, vel ſine turbine patria cœli,
Te reus ardeo, plus loquar, audeo mente fideli.
O mea, ſpes mea tu Syon aurea, clarior auro,
Agmine ſplendida, ſtans duce florida perpete
lauro.
O bona patria, num tua gaudia teque videbo?
O bona patria, num tua præmia plena tenebo?
Dic mihi, flagito: verbáque reddito, dic-
que videbis:

Spem solidam gero, rem ne tenens ero? dic retinebis.
Plaude civis meus, est tua pars Deus, ejus es, & sis.
Repetitio. Plaude civis meus, est tua pars Deus, ejus es, & sis.
Mens mea, mens rea, non tibi pars ea jam rapietur.
Est tibi lachryma, pars erit optima, posce: feretur
Optima portio, plena refectio, pars rata mentis,
Visio numinis, oráque luminis, omnipotentis.
Hinc sitis intima, sanctáque lachryma spirat, anhelat,
Flendo fit hostia, flet sua noxia, flendóq; velat.
Membra gravans gravat, acta, cor, os lavat æquè,
Despicit extima, pulsat ad intima nocte, diéque.
Se flet, & improbat, angit, agit, probat, est sibi fornax.
Flendo cor excitat, atque reclamitat, ô Syon ô pax.
Est lachrymantibus, esurientibus, exanimatis,
Pneuma, refectio, vivificatio, visio patris.
O sacer, ô pius, ô ter & amplius ille beatus,
Cui sui pars Deus: ô miser, ô reus, hac viduatus.
Omnis & unica cœlica gloria conditor unus,
Muneris est dator, ille poli sator, ipséq; munus.
Cor fovet illius, illius unius ora videre,
Agmina cernere, præmia sumere, lumen habere.

Gens

Gens pia vocibus, impia gressibus, invida morum,
Cur malè vivitis, & bona perditis illa bonorum?
Gens adamantina, saxea, gramina, gramina dura:
Quid bona spernitis, atque requiritis interitura?
Gens malè provida, turbáque turbida turbine mortis,
Gens foris actibus, intróque cordibus orba retortis.
Quid retrò ceditis? illáq; spernitis intima dona?
Manna relinquitis, atq; recurritis ad Pharaona?
Cur ea quæritis, unde peribitis, unde ruetis?
Cur percuntia fine ruentia morte tenetis?
Turba theatrica, turba frenetica, quò properatis?
Quò rea pectora, quò rea corpora præcipitatis?
Quid retrò spernitis antè, requiritis ire retrorsum?
Perdita gens, satis ad scelus os datis, ad bona dorsum.
Fluxa manentibus obruta stantibus ultima primis
Cur homo præficis? altáq; despicis omnis in imis.
Surge, revertere, tende resurgere, tende reverti:
Pande reum reus, ultor adest Deus, ultor operti.
Detega vulnera, detege funera quatriduana:
Vulnera detege, flendùq; contege, percute sana.

Gens Babylonia ſurgite noxia gaudia flere,
Flendo repellere, pulsáq; tergere,terſa cavere.
Hora noviſſima lux venit ultima crimina
torrens,
Grata, ſed effera: blanda, ſed aſpera: clara,
ſed horrens.
Imminet ultio, mors, tribulatio, qualis? amara,
Luxq; jacentibus evigilantibus, horrida, clara,
Qui modò ſuſtinet, arbiter imminet ille, ſed ille
Verſibus editur, ore retexitur ipſe Sybillæ.
O tremor omnibus igne ruentibus, his quo-
que cœlis.
Rex venit ocyus, hunc tremet impius atque
fidelis.
Hoc duce præmia, judice gloria, percipietur.
Hoc quoque vindice fraus ruet, indice cul-
pa ſcietur.
Mitis, atrocior, agnus, acerbior alterat idem,
Ipſe videbitur, & famulabitur æther eidem.
Ætheris agmina,ſumáq; culmina concutientur:
Æther, humus, mare, tunc ſonitum dare
conſpicientur.
Celſa cacumina ſunt ſimul agmina celſa mo-
venda,
Summa vel infera,ſol, mare,ſidera concutienda.
Qui modò conticet,ut bene judicet,ille tonabit:
In mala rugiet, in mala ſæviet, in mala ſtabit:
Blandus amantibus,efferus hoſtibus,aſpicietur;
Hinc revocabilis, intolerabilis inde feretur.
Unius, ipſius, hinc gravis, hinc pius, ô ſtu-
por ingens,
Vultus habebitur, his miſerebitur, illa refrin-
gens. Lon-

Longanimis bonus ille, ferens onus hic reproborum,
Tunc mala puniet, ipſéque muniet acta bonorum.
Hunc meritum teret, hunc pietas feret unica patris:
Nec ſibi debita, ſed ſibi præbita gratia gratis.
Cum via ſordeat, actio langueat una duobus.
Alter amabitur, alter habebitur hoſtis & orbus.
Plurima pluribus, immò vel omnibus hoc ſit abyſſus:
Quòd bene ſumitur hic, benè pellitur ille remiſſus:
Impenetrabilis, irreſerabilis hic labor intus.
Nos bona corporis aſpicimus foris, author & intus
Corda Deus pia ſcit, negat impia, juſtus utriſq;.
Quiſq; tremat, ſibi gaudeat & tibi, gratia, quiſq;.
Quiſque ſcelus fleat, atque tremens eat ac tremebundus.
Cras ruit ordine, qui ſtat in agmine nunc quaſi mundus,
Omnia qui regit, hos premit, hos legit, omnipotens rex.
Eſt hominis via nunc mala, cras pia: nunc roſa, cras fex.
Mox roſa fit rubus, ipséque cras lupus hæret ovili.
Os homo, cor Deus inſpicit: eſt reus huic, bonus illi.
Facta tremat ſua quiſque Deus, tua viſcera fidat,

Fidat

Fidat & impia, fœdáque gaudia flendo relidat.
Ludite, ludite, corpore ſoſpite, gens Babylonis.
Ludite cordibus ad bona ſegnibus, ad mala pronis.
Lux venit ultima, quæ procul optima veſtra fugabit,
Veſtra palatia, gazophylacia veſtra cremabit.
Rex veniet pius, & furor ipſius abſque furore,
O tremor impius: his rigidiſſimus, his pius ore.
Virga ruentibus ordine mentibus adveniet rex,
Stantibus ordine mitior, & ſine judice judex.
Judicium tulit, eſſéque pertulit ante Pilatum.
Juſtus id exeret, id tulit, inferet id toleratum,
Virgine rex ſatus, ipſe dator datus, ipſe patebit.
Cur morulas paro? carne ſatum caro cuncta videbit.
Turba nefaria cernet, & impia quem crucifixit.
Cui bene vocibus improperantibus heu maledixit,
Fructus in horrea tendet, & area diſcutietur.
Sumet in omnia ſecula gaudia, cui modò fletur:
Gens ruet impia, plebs Babylonia nata perire.
Cedet ad æthera, pacis, ad infera filius iræ.
Tunc cumulabitur atq; replebitur illa gehenna
Agmine criminis, atque libidinis agmine plena.
Huic ibi mitius, huic erit acrius, hinc fuga nulla,
Deinde remiſſio ſive redemptio non erit ulla.
Hîc mala plangite, cætera quærite vos genus Evæ.
Hîc dolor utilis, ordo parabilis hîc, ibi væ væ.
Fraus ibi vapulat, & timor ejulat, at ſine fructu.

Flet

Flet petulantia, luget inertia perpete luctu.
Cor variabile mœret inutile, plorat amarum.
Fit ſine ſe, ſine ſpe, ſine nomine gens tenebrarũ.
Quos Veneris modò peſſima, poſtmodo flamma gehennæ
Torret, agit, terit, his furit, hos ferit, ultio pœnæ.
Pectora crimine, membra libidine torrida torret,
Falſiloquos premit, in tumidos fremit, omnibus horret,
Innovat & necat, integrat & ſecat, ut moriantur
Non morientia corpora, ſtantia non ſtatuantur,
Frigus ut ardeat, ignis ut algeat, ídque petatur
Hunc fugientibus, hunc repetentibus id fugiatur.
Mors ibi plurima, flamma nigerrima, lux tenebroſa.
Singula tangere non pede paupere, non queo proſa,
Ut nequit edere vox, homo promere, læta bonorum:
Sic nequid edere vox, homo promere mœſta malorum.
Cui dolus eſt modò, torſio poſtmodo dura doloris.
Torſio turpia mentis, & impia punietoris:
Ut flagra ſcilicet ultio duplicet in mala geſta,
Pectora devoret, oſſáq; perforet intus & extrà.
Audiat hoc pius, ut ſtet: & impius, ut citò ſurgat.

Stare

Stare timor creat, húncque ſtatus beat, hunc lue purgat.
Pœna jacentibus inferet auribus ultima ſenſum,
Utraque lachryma plectet ad ultima cor reprehenſum,
Quos ſcelꝰ alligat hic, ibi colligat ultio plectens.
Mollia mollibus, improbioribus improba nectens.
Nunc levis actio, tunc ligat ultio ſordidiores
Sordidioribus, improbioribus improbiores.
Criminis agmina, quomodo ſarcina ſtricta, ligantur.
Et quia ſunt ſine fructificamine lingua cremantur.
Sunt ſine fructibus interioribus arida ficus,
Ramus inutilis, immò cremabilis, utpote ſiccus.
Sunt caro terrea, terráque carnea grex reproborum,
Prava creatio, mixta ligatio faſciculorum,
Poſtmodo fletibus, hic modò riſibus excipiuntur.
Mortis in ignibus, ínque doloribus haud moriuntur.
Quantáque crimina, ſunt cruciamina tanta malignis,
Cùm mala plurima, tum duo peſſima, frigus & ignis.
Sed neque lenius eſt, neque mitius illud ab iſto.
Corpora cordáque crux premit utraque vindice Chriſto.
Temporis hic focus, eſt ad eum jocus umbráque dictus,

Eſt

Eſt levis, ignibus iſte perennibus, & quaſi pictus.
Hic ita plurimus, hic ita maximus ignis habetur,
Quod neque fluctibus æquoris omnibus opprimeretur.
Frigora ſunt ea tanta, quaſi ignea ſarcina montis
Inde gelaſceret, hæc mala perferet actio ſontis.
Lumina, tempora, frons, labra, pectora, viſcera, mammæ,
Os, gula, mentula, cruráque, pabula ſunt ibi flammæ.
Flent ibi lumina, flent ſua crimina tranſita pridem.
Fœtor & horridus, & gravè fœtidus horror ibidem.
Viſio dæmonis, illáque Gorgonis ora rigeſcunt,
Omnibus omnia fœda vel impia facta pateſcunt.
Gens mala vermibus haud morientibus inſtimulatur,
Atq; draconibus igne flagrantibus excruciatur.
Vermis in ignibus ille realibus eſt ita vivens,
Sicut in æquore piſcis, & hæc fore ſic, lego ſcribens.
Crux, flagra, malleus, ignis, & igneus eſt ibi torrens,
O caro, nox ibi denſa manet tibi, lumen abhorrens.
Nox ſimul omnibus eſt habitantibus in regione

Mortis

Mortis: homo geme, plange, dole, treme,
terrea pone.
Ignea vincula denique singula membra catenant.
Corpora lubrica, membráque scenica vincula
frenant.
Stat cruce triplice, gens rea vertice mersa
deorsum
Ora tenent sua, dorsa simul sua versa retrorsum.
Sunt super horrida, nam lue sordida crura,
pedésque
Inferius caput. hæc mala sunt apud infera certè.
Gens rea plangite: non ego, credite, talia fingo.
Hic nota paucula, non scio singula, plura relinquo.
Sermo ratus meus. in clibanum Deus ignis
iniquos
Ponet, id adstruit os David, innuit orbis
amicos.
Collige mens mea, quam gravis est ea flamma furoris.
Hic clibani calor, haud clibanus solet esse
caloris.
Volvito pectore cur clibanus fore dicitur ignis.
Mens vaga, mens pigra, disce timens flagra
parta malignis.
Si mala suggeris hic, ibi redderis ipsa tibi fax.
Ipsa cremans eris, ipsa cremaberis ignea fornax.
Heu lachrymabile, væ miserabile, mens rea
clama.
Non ibi lucida, crede, sed horrida, sed nigra flamma,

Quæ

Quæ tamen emicat, at mala duplicat igne
micante.
Nam patet huic tua pœna, tibi ſua, luce
nigrante.
Ultio pectora frigore, corpora concremat igne.
Utráq; pars ruit in ſcelus, hoc luit utraq; dignè.
Quòd gravioribus iſte reatibus eſt cruciatus.
Dicit homo Deus: illéq; Job meus, ille probatus,
Qui mala præminet, utroq; ſuſtinet interiores.
Ut Deus aſtruit, in tenebras ruit exteriores.
Hic niſi fles, ibi fletus erit tibi, dentéque ſtridor:
Fumus ab ignibus hunc creat editus, hunc
gravis algor.
Sana probatio, quod cruciatio frigoris ignis,
Sit pereuntibus atque luentibus acta malignis.
Job quoque pagina, ſi ſacra carmina Job be-
ne ſignes
Hos, ait, incitus à nive tranſitus urget ad
ignes.
Teſtis & hic ratus: ergo ſtyli latus eſt mihi
tectum,
Rege, ſatellite, principe, milite, quod be-
ne ſeptum.
Quomodò præmia, ſic flagra jugia: regna
piorum,
Regna perennia, perpetualia flagra malorum.
His decor amplior, his dolor auctior eſt ſine fine.
Pars habet æthera, perditur altera ſtrata ruinæ.
Corpora lubrica, corda tyrannica percruciantur:
Frigore grandinis hæc, face fulminis illa cre-
mantur.
Arctat, arat, terit, angit, agit, ferit ille gehenna,

Vi, cruce, pondere, frigore, grandine, perpete pœna.
Eſt ibi, credite, crux ſine ſtipite, mors ſine morte,
Vox ſine carmine, lux ſine lumine, nox ſine nocte.
Non ibi publicus arbiter Æacus, aut Rhadamantus,
Non ibi Cerberus, aut furor inferus, ultio, planctus,
Non ibi navita cymbáq; prodita voce Maronis.
Sed quid? aduſtio, nox, tribulatio, mors Babylonis.
Non tenet Orphea, lex data, Tiphea, fortia lora,
Non lapis hîc gravis, aut lacerans avis interiora.
Pœna nigerrima, pœna graviſſima, pœna malorum,
Mens malè conſcia, cordáque noxia, vermis eorum:
Cæditur invida mens, caro ſordida, membráque lena
Perpete vulture, perpete ſulphure, perpepete pœna.
Aſſur ibi tremit, & ſua gens gemit, eſca draconis.
Poſt ſua lilia perdita filia flet Babylonis.
Quàm malè florida, quàm ſibi fulgida, quàm ſtetit aucta,
Tàm modo marcida, tàm jacet horrida, tàm labefacta,
Et meretrix ea facta ſibi, dea plena venenis,
Sub-

Subdita sordibus extitit, omnibus est quoque pœnis.
Dulce mel illius, immò fel, impius ordo biberunt,
Qui modò lubrica sive volatica gaudia quærunt,
Qui pereuntia lucra, ruentia regna perenni
Anteferunt malè, qui fatuo sale sunt sibi pleni,
Vina cupidinis, atque libidinis illius hausit
Turba nefaria, cui Babylonia sidera clausit.
Vertitur alea, quam fuit antea deliciata,
Tam cruciatibus asperioribus est modo strata.
Quid mihi noscitur, aut fore cernitur illa? favilla,
Illa peraruit, illáque corruit, & ruit illa,
Illáque Jezrahel, illa tonans Babel ore rebelli,
Ivit in infera, plaudite sidera, plaudite cœli,
Quæ malè creverat, auctáque dixerat, est meus orbis,
Se quoque perdidit, occidit occidit in loca mortis,
Terra profundior, ac tenebrosior est ea terra.
Gens ibi flet rea, sed nimis est ea lachryma sera,
Terra nigredine, terráq; turbine mortis operta.
Mors ibi plurima, certáq; lachryma, passio certa.
Illa tragœdia durat in omnia secula, durat.
Cum dolor ubera, tortio viscera, flamma cor urat.
Clamor ibi tacet, horror ibi jacet, umbráque mortis,
Fert ibi crimina, fert cruciamina fortia fortis.
Corda potentia sunt patientia flagra potenter.

 Ardet

Ardet edax gula, linguáque garrula, crapula venter.
Tortio plurima, conſtat & intima pœna malignis.
Plurima tortio, plurima paſſio, plurimus ignis.
Undat ibi niger ignis, & impiger excruciare
Corda nefaria, luxuriantia membra cremare.
Nox mala duplicat, & Stygis emicat olla vaporans.
Flamma nigerrima torret & intima, nil ibi rorans.
Planctibus inſonat, ignibus intonat unda camini.
Non ea triſtia, non querimonia ſubdita fini.
Jgnea flumina, nigra volumina flama retorquet,
Brumáque torrida, flammáque frigida pectora torret.
Vermis edax ſcatet, & puteus patet altus abyſſi,
Sunt ibi pectore, ſunt ibi corpore quiq; remiſſi.
Ludite, vivite, fœnore divite gens aliena,
Vos caro deſpicit hic, ibi ſuſcipit illa gehenna.
Non ibi viſio, non ibi manſio luce repleta,
Non locus ordinis, auláque luminis, auráq; læta.
O Maro falleris hic, ubi conſeris arva piorum,
Elyſios tibi non reperis ibi ſcriptor eorum.
Muſa poetica, lingua ſcholaſtica, vox theatralis,
Hæc quia differis, & malè falleris, & malè fallis.
Fulgurat ignibus haud radiantibus illa gehenna,
Plena nigredine, plenáq; turbine, plenáq; pœna.
Plena libidinis, ac viciaminis eſt famulabus

Exi-

Exilientibus, hinc recidentibus huc animabus.
Quos vomit, hos vorat, undique perforat, undique pestes,
Vitáq; mortibus est venientibus una superstes.
Uritur inguinis atque libidinis ignis, in igne.
Uritur, uritur, ista rependitur ultio dignè,
Qui male tollitur hic, ibi plectitur actus ad imũ.
Tunc loca pessima, tunc tenet infima, qui modò primum.
Qui laniat, capit, excrutiat, capit, hic capietur,
Dilaniabitur, excruciabitur, arripietur.
Quos modò fictio, tunc premit ultio: quos probra, mœror.
Quos Venus, ustio: quos gula, tortio: quos lucra, terror.
Dum licet, auribus hæc vigilantibus accipiatis.
Qui lucra conditis, in lucra curritis, ad lucra statis,
Gens scita pascere, viscera viscere, carnéque carnem:
Qui tumidis satis, exiguis datis heu neq; panem.
Est modo Lazarus hic, ibi tartarus, & gula pridem
Ebria pastibus, ebria potibus, ardet ibidem.
Dives obit sine spe, sine nomine, dives egenus.
Nomine Lazarus, unde flet inferus, est modò plenus.
Dives aquam petit, esuriens metit ubera plena.
Gloria fletibus, ebrietatibus est modò pœna.
Post sua funera dives ad infera, pauper ad astra.
Quæ flet in ulcere, gaudet in æthere, flet gula pasta.

 Stil-

Stillula quæritur, & gula plangitur, oráq; ſicca.
Non data ſtillula, cur? quia parvula non
data mica.
Ad phialas ſtetit, & fluvium petit haud
tribuendum.
Qui minus haud dedit, ad minimum redit
ille petendum.
Gratificans ape vina, dapes dape, veſtéq; veſtes.
Fert cruciamina, fert ſua crimina, fert modò peſtes.
Flos ruit & decus in Stygium ſpecus, in
ſpecus atrum.
Flos quaſi flos fuit, enituit, ruit ad cruciatum.
Cui fuerat minus, huic Abrahæ ſinus, huic
paradiſus.
Cui magis uſtio, lachryma, tortio, pœnáque, riſus.
Nunc ubi pallia? nunc ubi prandia? nunc
ubi cœna?
Pallia, prandia ſunt fugientia, ſtat ſibi pœna.
Purpura tranſiit, eſcáque finiit, ultio reſtat.
Reſtat & acriter, immò perenniter illa moleſtat.
Flamma, fames, ſitis, ultio divitis extat egentis,
Pro ſue, pro grue, pro dape, pro lue, pro
face ventris.
Grus, lepus, oſtrea, vel caro taurea juncta ſuillæ,
Fáxque cupidinis, alea criminis, & jocus ille,
Manéque prandia, ſerò cibaria præterierunt.
Luce tyrannica, noctéq; lubrica facta ruerunt.
Ille vir affluus, ille vir arduus, illéque multus,
Eſt

Eſt apud infera, fert ita litera ſacra, ſepultus.
Aure capeſſite, mente recondite talia dites.
Tollita ſaucia, ferte jacentia, paſcite mites.
Hos ſtipe paſcite, qui prece divite vos bene paſcant.
Ne vel egentia, vel ſitientia membra labaſcant.
Condite mentibus, edite moribus, edite factis.
Quæq; fides pia clamat, amat via ſobrietatis.
Mente reponite, vocibus edite, reddite rectum.
Sitis egentibus, eſca viantibus, atria tectum.
Vos date, veſtráque: vult Deus utraque, gaudet utriſque.
Se domino, ſua pauperibus lucra det bene quiſque
Multa quid aſtruo? jam ſimul inſtruo vos ego mecum.
Demus egentibus, una gerentibus optima ſecũ.
Qui dedit omnia Chriſtus, ad oſtia noſtra gemiſcit,
Indiget, ejulat, ultima poſtulat: huic date, dicit.
Nemo dat, indiget, ergo quid? exigit ipſe negatum,
Tollimus ebria gens modò gaudia, pòſt cruciatum.
Ecce peculia, lucráque grandia, condis avare:
Nec numerum geris hic, quia pauperis eſt numerare.
Impia beſtia cernis ad hoſtia plangere Chriſtum,
Eſurientibus & ſitientibus hic modo mixtum.
Hinc tibi Lazarus, indéque tartarus, hoc fugis: illum
Paſce, fer, aſpice, ne reus abjice corde puſillum.

Terrea tu ſibi, pauper homo tibi cœlica præſtat.
Pane Deum dabit. hic obit : hic abit, hic tibi reſtat.
Terrea gloria, terrea copia, plena favillæ.
Gloria corruit, & ſtatus aruit illius ille.
Audiat auribus interioribus, audiat orbis,
Auris ut orbita vertitur incita turbine mortis.
Præterit & perit, & nebula gerit, orbis amœnum
Tollitur ocyus ipſe, vel ipſius omne ſerenum.
Orbis honor levis eſt, atomus brevis, & breve feſtum.
Nil dat amabile, nil amat utile, ridet honeſtum.
Hoſtéque pectoris, hoſteque corporis intus & extrà.
Horruit aridus, aruit horridus, & ſua feſta.
Orbis amor perit, atque ſuos terit orbis amantes.
Et ſua gaudia: gaudia triſtia, vera putantes.
Evigilabimus? an remanebimus in lue mundi?
Quem patet ignibus, alluvionibus, hoſte retundi,
Quid vaga, quid rea corda colunt ea quæ nihil extant?
Quæ breve plaudere, non breve plangere, poſt brevè præſtant.
Cur caro, proximus ignis, & intimus hoſtis amatur?
Carnis amor perit, eſt roſa, fex erit, ergo ſpuatur.
O caro candida, poſt breve fœtida, plenáque fecis.

Flos

Flos modò, mox fimus, & fimus infimus, unde tumeſcis?
O caro carnea, jam modò glarea, poſtmodo vermis.
Nunc homo, cras humus, iſtud enim ſumus, unde ſuperbis?
O caro debilis, ô citò labilis, ô malè mollis,
Quid petis ardua, quid tibi cornua ferrea tollis?
Quid tibi crapula, milléque fercula, milléque paſtus?
Res lue proflua, viváque mortua, cur tibi faſtus?
Unde ſuperbia? fex tua gloria morte remiſſa.
Fex tua prandia, fex tua gaudia, fex es & ipſa,
Quid tibi balnea, veſtis & aurea, quid tibi venter?
Culta licet caro, ſemper eris caro, nec caro ſemper.
Poſt hominem cinis es, caro deſinis eſſe, putreſcis.
Vis tibi quantula ſit, docet urnula, maſſáque fecis.
O caro lactea, nunc roſa, poſtea ſarcina vilis,
Flos tibi corruet, & roſa defluet hæc juvenilis.
Quæ modò florida, cras eris horrida, plus loquor horror.
Horror amantibus, horror & hoſtibus, omnibus horror.
Cras eris horrida, cras eris arida, vilis, amara.
Tu modò candida, tu tibi florida, tu caro cara.
Triſtia replico: defluet ilico forma decoris.

Mortis: homo geme, plange, dole, treme, terrea pone.
Ignea vincula denique singula membra catenant.
Corpora lubrica, membráque scenica vincula frenant.
Stat cruce triplice, gens rea vertice mersa deorsum
Ora tenent sua, dorsa simul sua versa retrorsum.
Sunt super horrida, nam lue sordida crura, pedésque
Inferius caput. hæc mala sunt apud infera certè.
Gens rea plangite: non ego, credite, talia fingo.
Hic nota paucula, non scio singula, plura relinquo.
Sermo ratus meus. in clibanum Deus ignis iniquos
Ponet, id adstruit os David, innuit orbis amicos.
Collige mens mea, quam gravis est ea flamma furoris.
Hic clibani calor, haud clibanus solet esse caloris.
Volvito pectore cur clibanus fore dicitur ignis.
Mens vaga, mens pigra, disce timens flagra parta malignis.
Si mala suggeris hic, ibi redderis ipsa tibi fax.
Ipsa cremans eris, ipsa cremaberis ignea fornax.
Heu lachrymabile, væ miserabile, mens rea clama.
Non ibi lucida, crede, sed horrida, sed nigra flamma,

Quæ

Quæ tamen emicat, at mala duplicat igne
micante.
Nam patet huic tua pœna, tibi sua, luce
nigrante.
Ultio pectora frigore, corpora concremat igne.
Utráq; pars ruit in scelus, hoc luit utraq; dignè.
Quòd gravioribus iste reatibus est cruciatus,
Dicit homoDeus: illéq; Job meus, ille probatus,
Qui mala præminet, utroq; sustinet interiores,
Ut Deus astruit, in tenebras ruit exteriores.
Hic nisi fles, ibi fletus erit tibi, dentéque stridor:
Fumus ab ignibus hunc creat editus, hunc
gravis algor.
Sana probatio, quod cruciatio frigoris ignis,
Sit pereuntibus atque luentibus acta malignis.
Job quoque pagina, si sacra carmina Job be-
ne signes
Hos, ait, incitus à nive transitus urget ad
ignes.
Testis & hic ratus: ergo styli latus est mihi
tectum,
Rege, satellite, principe, milite, quod be-
ne septum.
Quomodò præmia, sic flagra jugia: regna
piorum,
Regna perennia, perpetualia flagra malorum.
His decor amplior, his dolor auctior est sine fine.
Pars habet æthera, perditur altera strata ruinæ.
Corpora lubrica, corda tyrannica percruciantur:
Frigore grandinis hæc, face fulminis illa cre-
mantur.
Arctat, arat, terit, angit, agit, ferit ille gehenna,

Vi, cruce, pondere, frigore, grandine, perpete pœna.
Eſt ibi, credite, crux ſine ſtipite, mors ſine morte,
Vox ſine carmine, lux ſine lumine, nox ſine nocte.
Non ibi publicus arbiter Æacus, aut Rhadamantus,
Non ibi Cerberus, aut furor inferus, ultio, planctus,
Non ibi navita cymbáq; prodita voce Maronis.
Sed quid? aduſtio, nox, tribulatio, mors Babylonis.
Non tenet Orphea, lex data, Tiphea, fortia lora,
Non lapis hîc gravis, aut lacerans avis interiora.
Pœna nigerrima, pœna graviſſima, pœna malorum,
Mens malè conſcia, cordáque noxia, vermis eorum:
Cæditur invida mens, caro ſordida, membráque lena
Perpete vulture, perpete ſulphure, perpepete pœna.
Aſſur ibi tremit, & ſua gens gemit, eſca draconis.
Poſt ſua lilia perdita filia flet Babylonis.
Quàm malè florida, quàm ſibi fulgida, quàm ſtetit aucta,
Tàm modo marcida, tàm jacet horrida, tàm labefacta,
Et meretrix ea facta ſibi, dea plena venenis,
Sub-

Subdita sordibus extitit, omnibus est quoque pœnis.
Dulce mel illius, immò fel, impius ordo biberunt,
Qui modò lubrica sive volatica gaudia quærunt,
Qui pereuntia lucra, ruentia regna perenni
Anteferunt malè, qui fatuo sale sunt sibi pleni,
Vina cupidinis, atque libidinis illius hausit
Turba nefaria, cui Babylonia sidera clausit.
Vertitur alea, quam fuit antea deliciata,
Tam cruciatibus asperioribus est modo strata.
Quid mihi noscitur, aut fore cernitur illa? favilla,
Illa peraruit, illáque corruit, & ruit illa,
Illáque Jezrahel, illa tonans Babel ore rebelli,
Ivit in infera, plaudite sidera, plaudite cœli,
Quæ malè creverat, auctáque dixerat, est meus orbis,
Se quoque perdidit, occidit occidit in loca mortis,
Terra profundior, ac tenebrosior est ea terra.
Gens ibi flet rea, sed nimis est ea lachryma sera,
Terra nigredine, terráq; turbine mortis operta.
Mors ibi plurima, certáq; lachryma, passio certa.
Illa tragœdia durat in omnia secula, durat.
Cum dolor ubera, tortio viscera, flamma cor urat.
Clamor ibi tacet, horror ibi jacet, umbráque mortis,
Fert ibi crimina, fert cruciamina fortia fortis.
Corda potentia sunt patientia flagra potenter.

 Ardet

Ardet edax gula, linguáque garrula, crapula venter.
Tortio plurima, conſtat & intima pœna malignis.
Plurima tortio, plurima paſſio, plurimus ignis.
Undat ibi niger ignis, & impiger excruciare
Corda nefaria, luxuriantia membra cremare.
Nox mala duplicat, & Stygis emicat olla vaporans.
Flamma nigerrima torret & intima, nil ibi rorans.
Planctibus inſonat, ignibus intonat unda camini.
Non ea triſtia, non querimonia ſubdita fini.
Ignea flumina, nigra volumina flama retorquet,
Brumáque torrida, flammáque frigida pectora torret.
Vermis edax ſcatet, & puteus patet altus abyſſi,
Sunt ibi pectore, ſunt ibi corpore quiq; remiſſi.
Ludite, vivite, fœnore divite gens aliena,
Vos caro deſpicit hic, ibi ſuſcipit illa gehenna.
Non ibi viſio, non ibi manſio luce repleta,
Non locus ordinis, auláque luminis, auráq; læta.
O Maro falleris hic, ubi conſeris arva piorum,
Elyſios tibi non reperis ibi ſcriptor eorum.
Muſa poetica, lingua ſcholaſtica, vox theatralis,
Hæc quia differis, & malè falleris, & malè fallis.
Fulgurat ignibus haud radiantibus illa gehenna,
Plena nigredine, plenáq; turbine, plenáq; pœna.
Plena libidinis, ac viciaminis eſt famulabus

Exi-

Exilientibus, hinc recidentibus huc animabus.
Quos vomit, hos vorat, undique perforat, undique pestes,
Vitáq; mortibus est venientibus una superstes.
Uritur inguinis atque libidinis ignis, in igne.
Uritur, uritur, ista rependitur ultio dignè,
Qui male tollitur hic, ibi plectitur actus ad imũ.
Tunc loca pessima, tunc tenet infima, qui modò primum.
Qui laniat, capit, excrutiat, capit, hic capietur,
Dilaniabitur, excruciabitur, arripietur.
Quos modò fictio, tunc premit ultio: quos probra, mœror.
Quos Venus, ustio: quos gula, tortio: quos lucra, terror.
Dum licet, auribus hæc vigilantibus accipiatis.
Qui lucra conditis, in lucra curritis, ad lucra statis,
Gens scita pascere, viscera viscere, carnéque carnem:
Qui tumidis satis, exiguis datis heu neq; panem.
Est modo Lazarus hic, ibi tartarus, & gula pridem
Ebria pastibus, ebria potibus, ardet ibidem.
Dives obit sine spe, sine nomine, dives egenus.
Nomine Lazarus, unde flet inferus, est modò plenus.
Dives aquam petit, esuriens metit ubera plena.
Gloria fletibus, ebrietatibus est modò pœna.
Post sua funera dives ad infera, pauper ad astra.
Quæ flet in ulcere, gaudet in æthere, flet gula pasta.

 Stil-

Stillula quæritur, & gula plangitur, oráq; ficca.
Non data ftillula, cur? quia parvula non
data mica.
Ad phialas ftetit, & fluvium petit haud
tribuendum.
Qui minus haud dedit, ad minimum redit
ille petendum.
Gratificans ape vina, dapes dape, veftéq; veftes.
Fert cruciamina, fert fua crimina, fert modò peftes.
Flos ruit & decus in Stygium fpecus, in
fpecus atrum.
Flos quafi flos fuit, enituit, ruit ad cruciatum.
Cui fuerat minus, huic Abrahæ finus, huic
paradifus.
Cui magis uftio, lachryma, tortio, pœnáque, rifus.
Nunc ubi pallia? nunc ubi prandia? nunc
ubi cœna?
Pallia, prandia funt fugientia, ftat fibi pœna.
Purpura tranfiit, efcáque finiit, ultio reftat.
Reftat & acriter, immò perenniter illa moleftat.
Flamma, fames, fitis, ultio divitis extat egentis,
Pro fue, pro grue, pro dape, pro lue, pro
face ventris.
Grus, lepus, oftrea, vel caro taurea juncta fuillæ,
Fáxque cupidinis, alea criminis, & jocus ille,
Manéque prandia, ferò cibaria præterierunt.
Luce tyrannica, noctéq; lubrica facta ruerunt.
Ille vir affluus, ille vir arduus, illéque multus,
Eft

Eſt apud infera, fert ita litera ſacra, ſepultus.
Aure capeſſite, mente recondite talia dites.
Tollita ſaucia, ferte jacentia, paſcite mites.
Hos ſtipe paſcite, qui prece divite vos bene paſcant.
Ne vel egentia, vel ſitientia membra labaſcant.
Condite mentibus, edite moribus, edite factis,
Quæq; fides pia clamat, amat via ſobrietatis.
Mente reponite, vocibus edite, reddite rectum,
Sitis egentibus, eſca viantibus, atria tectum,
Vos date, veſtráque: vult Deus utraque, gaudet utriſque.
Se domino, ſua pauperibus lucra det bene quiſque
Multa quid aſtruo? jam ſimul inſtruo vos ego mecum.
Demus egentibus, una gerentibus optima ſecū.
Qui dedit omnia Chriſtus, ad oſtia noſtra gemiſcit,
Indiget, ejulat, ultima poſtulat: huic date, dicit.
Nemo dat, indiget, ergo quid? exigit ipſe negatum,
Tollimus ebria gens modò gaudia, pòſt cruciatum.
Ecce peculia, lucráque grandia, condis avare:
Nec numerum geris hic, quia pauperis eſt numerare.
Impia beſtia cernis ad hoſtia plangere Chriſtum,
Eſurientibus & ſitientibus hic modo mixtum.
Hinc tibi Lazarus, indéque tartarus, hoc fugis: illum
Paſce, fer, aſpice, ne reus abjice corde puſillum.

Terrea tu ſibi, pauper homo tibi cœlica præſtat.
Pane Deum dabit. hic obit ; hic abit , hic tibi reſtat.
Terrea gloria, terrea copia, plena favillæ.
Gloria corruit, & ſtatus aruit illius ille.
Audiat auribus interioribus, audiat orbis,
Auris ut orbita vertitur incita turbine mortis.
Præterit & perit, & nebula gerit, orbis amœnum
Tollitur ocyus ipſe, vel ipſius omne ſerenum.
Orbis honor levis eſt, atomus brevis, & breve feſtum.
Nil dat amabile, nil amat utile, ridet honeſtum.
Hoſtéque pectoris, hoſteque corporis intus & extrà.
Horruit aridus, aruit horridus, & ſua feſta.
Orbis amor perit, atque ſuos terit orbis amantes.
Et ſua gaudia gaudia triſtia, vera putantes.
Evigilabimus? an remanebimus in lue mundi?
Quem patet ignibus, alluvionibus, hoſte retundi,
Quid vaga, quid rea corda colunt ea quæ nihil extant?
Quæ breve plaudere, non breve plangere, poſt brevè præſtant.
Cur caro, proximus ignis, & intimus hoſtis amatur?
Carnis amor perit, eſt roſa, fex erit, ergo ſpuatur.
O caro candida, poſt breve fœtida, plenáque fecis.

Flos

Flos modò, mox fimus, & fimus infimus, unde tumeſcis ?
O caro carnea, jam modò glarea, poſtmodo vermis.
Nunc homo, cras humus, iſtud enim ſumus, unde ſuperbis ?
O caro debilis, ô citò labilis, ô malè mollis,
Quid petis ardua, quid tibi cornua ferrea tollis ?
Quid tibi crapula, milléque fercula, milléque paſtus ?
Res lue proflua, viváque mortua, cur tibi faſtus ?
Unde ſuperbia ? fex tua gloria morte remiſſa.
Fex tua prandia, fex tua gaudia, fex es & ipſa,
Quid tibi balnea, veſtis & aurea, quid tibi venter ?
Culta licet caro, ſemper eris caro, nec caro ſemper.
Poſt hominem cinis es, caro deſinis eſſe, putreſcis.
Vis tibi quantula ſit, docet urnula, maſſáque fecis.
O caro lactea, nunc roſa, poſtea ſarcina vilis.
Flos tibi corruet, & roſa defluet hæc juvenilis.
Quæ modò florida, cras eris horrida, plus loquor horror.
Horror amantibus, horror & hoſtibus, omnibus horror.
Cras eris horrida, cras eris arida, vilis, amara.
Tu modò candida, tu tibi florida, tu caro cara.
Triſtia replico : defluet ilico forma decoris.

Ilico corruet, ilico decidet hic nitor oris.
Plurima quid ſequor? illa caro, decor ille peribit.
Hæc Venus, hic calor, ars ea, ſeu valor, ibit, obibit.
Quid caro labilis, aut quid inutilis eſt homo? cœnum.
Quid rogo carnea gloria? glarea quid roſa? fœnum.
Carnea gloria carnis, & omnia carne vigente
Sunt quaſi ſtantia, deficientia deficiente.
Cur homo naſcitur, aut puer editur? ut moriatur.
Exit in aëra, ſuſtinet aſpera, migrat, humatur.
Glarea labilis, aura volatilis, eſt homo natus.
Manè ſtat aggere: nec mora, veſpere fertur humatus.
Qui modò flos fuit, in ſpacio ruit unius horæ:
Mox rapitur, licet ingenio micet, atque decore.
Fit cinis infimus, ille probiſſimus & precioſus,
Irreparabilis, irrevocabilis, officioſus.
Gleba reconditur atque recluditur hoſpite tumba.
Laus ſtat imaginis, umbráque nominis, immò nec umbra.
Vir ſubit æthera, ſi bene: tartara, ſi malè geſſit.
Corpus humi jacet, ars perit, os tacet, aura receſſit.
Fex fit, homo fuit, hunc & amans ſpuit, horret amatus.
Noſſéq; denegat, inſtat ut obtegat ocius artus.
Inſtat, ut efferat: & flet & imperat, & parat urnam.

Nec triduum gemit, heu lachrymam premit
ungue diurnam.
Mox feretrum vehit, aut feretrum præit, aut
ſubit orans.
Deniq; planctibus exequialib9 ita quaſi plorans.
Flens it, ovans redit, ut tumulo dedit oſſa
receſſit.
Ceſſit amor pius, ut manus illius afflua ceſſit.
Occidit, occidat, hic ubi perdidit æs &
amicum
Qui ſibi riſerat, æris amans erat, ô cor
iniquum.
Ille probiſſimus, ille potiſſimus, ille vir, ille.
Ille quid eſt precor, illius & decor? urna
favillæ.
Pulcher, amabilis, irreparabilis, unicus aptus,
Inſtar aquæ fluit, è medio fuit ilico raptus.
Occidit ut pecus, & decor, & decus omne
repentè.
Et calor, & color alget, abit dolor unde
juventæ.
Cur morulas paro? cara jaces caro fex es,
humaris.
Eſſe quod es finis, in cineres cinis extenuaris.
Quid fluitat cibus & gula potib9 undat & eſcis,
Paſta cibis, cibus es carô vermibus, atq; pu-
treſcis.
Eſt tua cernere pallida funere membra vel ora,
Funere pallida, ſenſibus algida ſeque minora.
Flava vel aurea, quam per eburnea colla
rotabas.
Cæſaries jacet, & cor & os tacet, unde
tonabas. Lumi-

Lumina visibus, auris & auribus, os caret ore,
Nasus odoribus, & cor amoribus, ossa calore.
Ad mala pes citus, ac oculus citus in muliere.
Collaque lactea, brachia cærea computruere.
Cærea brachia tam specialia, quàm speciosa,
Membráque lubrica continet unica, parvaque fossa.
Candidus antea dens, fabra flammea, flos faciei,
Et gena lucida sunt modò putrida, pus saniei.
Nunc ubi pocula, nunc ubi fercula, fercula mille?
Flos ubi primulus, & rubicundulus est color ille?
Vox ubi fractior, ille crebrosior est ubi risus?
Sermóq; lubricus, atq; freneticus, improba, visus?
Nunc ubi baltheus, annulus aureus, aurea vitta?
Patria nomina, nunc ubi culmina sunt proavita?
Rege caro sata, vermibus est data, factáque vermis.
Regibus edita, rebus & obsita, nunc es inermis.
Corpus amabile, nunc es inutile corpus, & atrum.
Morte resolveris, atq; cadaveris es simulachrũ.
Terrea gloria, nunc quasi lilia, cras quasi ventus.
Pulchra fugit modò tempore, postmodo morte juventus.
Splendida pectora, splendida corpora, corpus habentur:

Ut-

Utque ſenilia, ſic juvenilia buſta, videntur.
Mox puer interit, ut roſa deperit edita vere.
A valido vigor eripitur, nitor à muliere.
Lincea lumina, mentis acumina, ſi quis haberet,
Fellea dulcia, pulchria turpia credo videret.
Corpora candida, pectora vivida, membra venuſta,
Oſſáq; rigida, ſunt modo qualia? conſule buſta.
Vociferantia, ſéque minantia buſta loquuntur.
Primus & ultimus, altus & infimus hic capiuntur.
Eſt homo res levis, eſt homo flos brevis, eſt homo non ens.
Eſt homo glarea, terráq; terrea mente reponens.
Eſt homo floſculus, atq; ſtatunculus eſt animat9:
Hunc vegetat, fovet, implet, agit, movet ad breve flatus.
Hic ubi deſerit oſſa, vir interit, eſt caro ſordens.
Eſt caro carnibus una vel omnibus amplius horrens.
Mortua vilior, ægra remiſſior, eſt caro noſtra,
Quàm caro cætera, ſicq; cadavera nulla repoſta.
Verme citò ſcatet: útq; ſatis patet, ægra dehiſcit.
Móxque per aſpera, per flagra, per fera quæque fatiſcit.
Quòd cito morbida, quòd citò ſordida fiat, omitto:
Quod citò tabida, quod citò putrida, dicere vito.
Adde quod horrida morte, quod hiſpida, quòd fera plus eſt.
Fœtida plus olet, ægra magis dolet, ilico pus eſt.
Non

Non tibi funere, sive cadavere de pecuali
Vel metus ingruit, aut febris irruit ex sociali.
Cæsus iter secus inde vir hoc pecus efflat uterq;
Ejus an istius est timor amplius ? ejus apertè.
Non tibi sit metus exanimum pecus æquore prati,
Amplius effera sunt tibi funera fratris humati.
Ossa revisere, vel propè pergere nocte timebis,
Cum minimè secus exanimum pecus ire pavebis,
Nostra cadavera, nostráq; funera fœtidiora
Esse relinquitur, esseque noscitur horridiora.
Flatus homo levis, atque vapor brevis, ad breve paret:
Paret & evitet, ilico delitet, herba fit, aret.
Flens homo nascitur, & citò tollitur, efflat, humatur.
Stat breve, mox cadit: est modo, cras abit, hic breve statur.
Turbo levissimus, atque brevissimus est homo flatus.
Ipse laboribus, ipse doloribus est generatus.
Hic caput exerit, emicat, interit, est quasi bulla.
Bulla citatius, aura fugacius haud fugit ulla.
Est caro terrea, terráque carnea, fumus, imago
Massa putredinis, unda voraginis, immò vorago.
Dum sibi cœlitus influit halitus, est rosa, floret:
Cum vapor aufugit, ilico corruit, est fimus, horret.
Hic homo gignitur, ex lue, nascitur ex muliere.
Nuper homo satus est, lachrymis datus, hic sibi flere.

Vagit

Vagit ad ubera, vivit ad aſpera: mors vocat, itur.
Qui modò floruit, illico corruit, & ſepelitur.
Illico labitur, illico tollitur, illico tranſit.
Tranſit, abit, fugit: hic modicum fuit, hic breve manſit.
Huc citò prodijt, hinc citò tranſijt: & quaſi nunquam
Extiterit, perit: hic tribulos ſerit, huc ſaliuncam.
Hic tribulos petit, hic tribulos metit, hic tribulatur.
Lætitiæ favet, & flet, amat, pavet; inde gravatur.
Donec homo viget, affluit, indiget, ut rota currit
Dat, rapit, it, fremit, opprimitur, premit, uritur, urit.
Vrit & uritur, angit & angitur, ad mala creſcit.
Gaudet honoribus, inq; lacoribus his requieſcit
Crux ſibi plurima, qui petit infima, ſumma petendo:
Ergo tumultuat, obſtrepit, æſtuat, hic ſatagendo.
Vt rota vertitur, ut roſa cernitur, & quaſi claret
Dives eget, tremit altus, ovans gemit, affluus aret.
Denique mortibus undique pluribus excruciatum,
Vna furens capit, opprimit & rapit, ô grave fatum.
Laude ſuperſtite, nomine divite, dives habetur.
Vrna putredine, patria nomine tota repletur.

Fama

Fama fit, eſt ſonus, hic probus, hic bonus, hic
fuit ille,
Clarus origine, fortis in agmine, plenus Achille.
Fama virum dabat, ipſáque mox labat, aret & ipſa,
Ad breve florida, poſt breve marcida, ſciſſa, remiſſa,
Mox ubi tranſijt, hic homo deſijt eſſe vocari.
Haud anima calet, haud animal valet ergo probari.
Truncus iners jacet, ille modò tacet, antè tonabat.
Fex jacet horrida, qui roſa florida culmine ſtabat.
Vita volubilis, immo volatilis eſt, quaſi punctum,
Quod geometrica dat tibi fabrica quàm citò ſumptum.
Mors tua maxima, mors patet ultima linea rerum.
Quo pede teſtea, calcat & aurea, nil ſibi ſerum.
Imminet omnibus, hinc famulantibus, inde tyrannis.
Irruit ocyus, unica totius eſt via carnis.
Socrate doctior, Hercule fortior, at triduana
Febre reſolvitur, indéque noſcitur omnia vana.
Vanáque vivere, vanáque currere ſole ſub iſto.
Omnia perſpice denique codice citò magiſtro.
Ecce patentibus ad mala viſibus, ad bona cæcis.
Igniculus febris eſt tibi funebris, unde tumeſcis?
Quid tibi roboris? illius Hectoris, illius oſſa,
Quæ minus eminet, unica continet arctáque
foſſa?

Quid

Quid tibi Gramatis ? arida Socratis ossa tenentur?
Vox animæ Plato,justitiæ Cato, pulvis habentur.
Quid tibi faminis?illa Demosthenis &Ciceronis
Lingua peraruit,aura superfuit artis & oris.
Quid tibi sanguinis est,vel originis,& Fabiorum
Stirps ruit ardua,turbaq; mortua fluxit eorum.
Te decor extulit,Absalon abstulit, ultio duplex.
Fex,caro lactea redditur,aurea cæsaries, fex.
Quæ tibi culmina,quæ tibi nomina , quid tibi laudis ?
Culmina, nomina, laus quoque pristina quòd ruit audis.
Quæ tibi gloria, quæ tibi gratia, quid tibi doni?
Non tibi gloria,neċ data gratia , quæ Salomoni.
Est tibi regia magnificentia?prolę Philippi
Non eris altior , aut meritis minor, hoc quoque scribi.
Huic pudor,ocia,sessio,regia colla fuere ,
Ludere prælia,nulláq; mœnia sponte patere,
Orbis & extima vidit & ultima vir fore natus.
Gentibus, urbibus, & dominantibus est dominatus.
Vicerat omnia,vincitur obvia fata sequutus.
Post hominem cinis est , quasi turbinis aura solutus.
Flos erat,est fimus,ille potissimus,illéque fortis.
Vix modò sportula,plena vel urnula , quo prius orbis.
Est ubi gloria nuncBabylonia?nunc ubi dirus
Nabuchodonosor?&Darij vigor? illéq;Cyrus?

S Qua-

Qualiter orbita viribus incita præterierunt.
Fama relinquitur, illáque figitur, hic putruerunt.
Nunc ubi curia, pompáque Julia? Cæsar obiſti.
Te truculentior, orbe potentior ipſe fuiſti.
Orbis ut extera ſangnine, ſidera laude ſubires,
Mota furentia ſunt tibi brachia, prælia, vires.
Cum genero ſene brachia non bene conſeruiſti:
Nec ſocer illius, aut ſocius pius eſſe tuliſti.
Qui cinis es modò, tantus eras homo, quantus & orbis.
Vi tibi ſubditus extitit ambitus urbis, & orbis.
Ecce reſolueris, area pulveris, urna favillæ,
Cæſare nudus es, & prope nullus es, ô ferus ille.
Nunc ubi Marius, atque Fabritius inſcius auri?
Mors ubi nobilis, & memorabilis actio Pauli?
Diva Philippica, vox ubi cœlica nunc Ciceronis?
Pax ubi civibus, atque rebellibus ira Catonis?
Nunc ubi Regulus, aut ubi Romulus, aut ubi Remus?
Stat roſa priſtina nomine, nomina nuda tenem9.
Quàm citò labilis atque volubilis orbita ſphæræ,
Corda valentia, corpora fortia præteriere.
Et bene floruit, & citò corruit unda priorum.
Gloria finijt, area tranſijt omnis eorum.
Nos quoque tollimur, & proficiſcimur ad quod & ipſi.
Imus in infera, perdimus æthera, mente remiſſi.
Mors vocat, ibimus, haud retinebimus orbis honores.
Mors animantibus imminet omnibus, ibimus omnes.

Ibi-

Ibimus,ibimus atque redibimus,ad quod ? ad imum.
Ima petentia sunt profitentia corpora limum.
Est via libera mentis ad æthera,carnis ad ima.
Hæc bene suspicit, hæc malè despicit ad sua prima.
Stat caro,mens gemit, Eva virum premit, inde reatus.
Mens levat & lavat,at caro cor gravat, inquinat actus.
Dulcia jurgia dum feret obvia cornua luna,
Hæc aget,illáque desinet , utraque facta quod una.
Cur caro carnea,terráque terrea ferre laboras?
Carnea,terrea,temporis alea,versat in horas.
Tempus & omnia temporis,inscia stare, rotantur.
Singula currere,nulla recurrere, fluxa probantur.
Corporis optima cerne simillima currere vento.
Currere singula,currere secula cæca memento.
Est resolubilis,immò volubilis orbis, ut orbis.
Illius omnia,peste ruentia, tabida morbis.
Lux sua claruit,ecce peraruit ejus amœnum.
Lux sua claruit,& citò corruit , est modò cœnum.
Quòmodo flumina,cerne volumina currere rerum.
Orbis honos ruit,& fugit,& fluit orbe dierum.
Vt rota voluitur , indeque pingitur , ut rota mundus:
Quippe volubilis ac variabilis, ac ruibundus.

Irritus eſt ratus, inſtabilis ſtatus eſt, ſtatus ejus.
It, redit, ut mare, denique nunc malè, cras ſibi
pejus.
Gloria terrea, quomodo glarea ſtat labefacta.
Glarea flumine, gloria turbine labitur acta.
Cuncta cadentia, nulla manentia ſunt bona
mundo.
Ridet honoribus exterioribus, intus arundo.
Gloria terrea, gloria vitrea, vitrea planè,
Ilico tollitur atque reſolvitur ejus inane.
Si bene ſentio, fit variatio, fit fuga rerum.
Et bene ſentio, fit variatio quaque dierum.
Mundus & omnia, quomodo ſomnia vana, recedunt:
Signáque plurima tempora proxima judicis
edunt.
Sidera flammea, lunáque ferrea viſa refertur.
Sol ſine lumine, terra voragine ſubruta fertur.
Terra locis tremit, Eumenidum fremit umbra proterva.
Bellica currere fertur in aere viſa caterva.
Agmina mortua, currere conflua viſa feruntur.
Signa graviſſima, monſtráque plurima conſpiciuntur.
Gratia corruit, ordo refriguit, undat iniquum.
Quiſque dolo ſtudet, eſſe probum pudet, eſſe
pudicum.
Jus premitur cruce, grex grege, dux duce, rexque regente:
Agmen & agmine, culmina culmine, gens
quoque gente.

Omnia lubrica ſunt modò publica, nulla reguntur.
Ingenialia vel furialia probra coluntur.
Ah petulantia militat ebria nocte diéque.
Vox bona diſplicet, illicitum licet, & placet æquè.
Qui fore vult bonus, eſt miſer, eſt onus, eſt onerôſus.
Qui mala poſtulat, ille deambulat imperioſus.
Iuſtitiæ via nulla manet, quia virgo receſſit,
Cumque ſororibus introeuntibus æthera ceſſit.
Jus ruit, officit, ars mala próficit, ars mala prodeſt,
Fraus ſtat, amor jacet, ordo flet, ars placet, eſt gula, frons deeſt.
Hæc præeuntia certáque nuncia credite finis.
Finis enim venit, orbis honor perit hoſte, ruinis
Seditionibus, illuvionibus, igne, procellis,
Lite, libidine, fraude, gravamine, ſanguine, bellis
Surgite ſurgite, ſpemque reſumite, ſpe tremebundi.
Cernite currere regna, labaſcere culmina mundi.
Vltima tempora, ni ſacra littera fallit, aguntur.
Dicta prophetica, verbaque cœlica perficiuntur.
Fertur ut alea, carnea gloria, plena favilla.
Ille minaciter imminet arbiter, arbiter ille.
Cenſor adeſt Deus, evigilet reus, eſt propè Chriſtus.
Quid modò detinet, & ferus imminet Antichriſtus

Stirps venit impia, stirps mala, bestia perditionis,
Quo duce sidera cogit in infera cauda draconis.
Imminet impius, est propè filius impietatis.
Impius imminet, & caput obtinet, in sibi stratis,
Multiplicabitur, & dominabitur hoc dominante
Mors, tribulatio, tantáque passio, quanta nec antè.
Jam tuba septima, plaga novissima jam properatur.
Ecce recessio, quam tua lectio Paule profatur.
Rege labascere, retroq; cedere Roma videtur.
Nec thronus ipsius, aut status, ut prius altus habetur.
Actio lubrica fit modò publica, de medio fit.
Roma prior tua gloria mortua, rex tibi desit,
His præeuntibus, immò sequentibus ordine signis,
Imminet impius ille, vel illius horror & ignis.
Suntque patentia, signa minantia, signa furoris,
Prorsus ut ultima jam fore proxima temporanoris.
Flammivomus, niger, hispidus, aliger est draco visus
Nuper in aere: nil ego dicere nunc paro risus.
Claruit omnibus hoc, equitantibus atque colonis.
Fugit, inhorruit, & fuga terruit illa draconis.
Pestis & horrida transijt oppida, transque volavit.
In geminum caput egrediens apud Anglica rura
Fœmina

Fœmina prodijt,ipſáque finijt in duo crura:
Crura quidem duo, ſed ſibi his duo brachia ſtabant,
Hanc duo pectora,quatuor ubera mirificabant.
Vos volo credere, me rata dicere, ſcribere verum.
Par erat actio,par via,ſeſſio par mulierum,
Ex mulieribus:immò ſororibus ô ſtupor iſtis.
Altera tranſijt, atque ſuperfuit altera triſtis,
Poſt breve denique pars ruit utraque morte ſoluta.
Vtraque pars ruit,hanc obitu fuit illa ſecuta.
Vir fuit actibus in regionibus altus Hyberis,
(Quæ noto verſibus, hæc ego teſtibus aſſero veris)
Is ſine ſemine,ſimplice virgine ſe fore natum
Proh furor edidit, & ſibi credidit, area fratrum,
Dixit ad ultima, vipera peſſima,ſe fore Chriſtum.
Hoc propè prædicat eſſe, vel indicat Antichriſtum.
Non minor artibus,in regionibus eſt orientis,
Natus & editus,ipſeq; perditus ordine mentis.
Dixit & impius hic,quia maximus eſſet Helias:
Hinc fore proxima, certior ultima tempora noſcas.
Gens temeraria,dum licet,impia facta fleamus.
Ille minaciter imminet arbiter, expaveamus.
Nemo capeſſere jus,mala plangere nemo relinquat.
Gaudia flentibus, irreverentibus, ira propinquat.

 Jam

Jam tuba ſeptima, plaga noviſſima, lux pia, dira,
Intonat,ingruit,enitet,irruit,& venit ira.
Gens malè conſcia,lubrica gaudia flendo tegamus:
Gens malè conſcia, quæ fugientia ſunt fugiamus.
Stare refugimus, ad mala fluximus, ad bona ſtemus.
Hora noviſſima,tempora peſſima ſunt, vigilemus.
Aurea tempora,primáque robora præterierunt
Aurea gens fuit,& ſimul hæc ruit, illa ruerunt.
Flebilis incipit,aurea ſuſcipit orbita metas.
Tranſijt ocyus & ſtudium prius, & prior ætas.
Gratia firmior,ordo valentior eſſe ſolebat:
Melleque lactea,lacteque mellea terra fluebat,
Afflua frugibus,arva rigantibus arida cœlis,
Dans bona dantibus,abſque fidelibus ipſa fidelis
Pax dabat ocia,gens erat inſcia prorſus obeſſe.
Terra fidelibus,afflua patribus, afflua meſſe.
Pax jacet irrita, terraque perdita, jusque bonumque.
Hujus amor ruit,illius aruit, aret utrumque.
Terra negat ſata,pax homini data ſola fugatur,
Quæ rata floruit,irrita corruit, & violatur.
Dum rata perſtitit,affluus extitit omnis arator.
Priſtina reſpuit, & nova meſſuit agricolator.
Donec erat rata,multa ſatis ſata reddidit arvo:
Dans bona gramina, largáque ſemina,ſemine parvo.
Gens erat optima, gens ſolidiſſima corde modeſto:

Lucra forensia cogere nescia, dives honesto:
Nescia fallere, se sua tollere, sedula juri:
Nescia criminis, igne libidinis haud levis uri.
Nulla pericula, quippe piacula nulla ferebant.
Arva fidelia, tectaque patria ritè colebant.
Fœdera jugia, cum lue prælia sola gerebant.
Quærere culmina, nosseque crimina, crimen
habebant.
Tunc quasi ludere, sueverat ubere copia
cornu.
Multáque copia, vitáque sobria, re, dape, potu.
Multa modestia, multáque copia conveniebant.
Vivida corpora: nam bene pectora viva vige-
bant.
Tunc erat edita, quæ modò perdita mentis
honestas:
Quæ modò maxima, tunc erat ultima lue pote-
stas.
Tam lyra musica, quàm tuba bellica tum reti-
cebat.
Nec lyra gaudia, nec tuba prælia præcipiebat.
Gens erat aurea; cui furor alea, cui scelus au-
rum:
Cui pudor emptio, cui neq; mentio divitiarum.
Non erat abdere fas, neq; tollere lucra crumenis
Plenus opum Tagus aurifluus, vagus ibat arenis.
Moribus æmula, lucra pericula quàm preciosa.
Non homo foderat, aut fore noverat invidiosa.
Sumpsit ut aurea pondera, ferrea spicula quisq;.
Mox tumor, iraque sustulit utraque pugnat u-
trisque.
Pristina secula, non nisi regula nata regebat.

Secula priſtina, non niſi pagina, viva docebat.
Non capitolia marmore fortia, tunc neque jaſpis.
Non color Indicus, aut lapis unicus ex Arimaſpis.
Gens erat utilis, invariabilis, alta, ſevera:
Sueta cubilia conjugialia ducere ſera.
Nulla libidinis, unica germinis inſita cura.
Tunc ſacra vincula, tunc dabat oſcula crimine pura.
Quiſquis erat pater, ille decem quater egerat annos.
Ergo viros genus hoc dabat, aut Venus ebria magnos.
Effigialiter in puero pater ipſe videbat.
Stirps bona patribus intereuntibus, orta ſubibat
Non Venus ebria, ſed pia gratia tunc dabat orbi
Soſpite ſanguine quoſque ſatos, ſine ſemine morbi.
Membra virilia, corpora ſtantia, ſtans cor habebant.
Non ea potibus, hæc dape, luxibus illud alebant
Criminis alea, velleq; balnea tunc erat illis:
Colla tegentibus aut refluentibus ire capillis
Candida tempora, canaque pectora non revereri,
Vina cupiſcere, ludicra diſcere, vim profiteri.
Gens bene conſcia, gens bene ſobria, gens erat ipſa.
Non ſibi corpora, non ſibi pectora, mens ve remiſſa.
Non dabat illius ordo quid amplius, aut minus æquo.

Ad

Ad nova pocula,non ſibi crapula,non ſibi præco
Vina pericula,vináq; vincula,vina venena,
Dicere ſueverat,& fore noverat aſpide plena.
Fons ſibi vinea,tegmina linea,rarus habebat
Serica tegmina,tunc neque fœmina ſponſa trahebat.
Portio propria non ſibi ſobria ſponſa vacabat,
Nunc minus unica, tunc bona publica quiſque vocabat.
Publica vellera,laç ſata jugera, fertilitates,
Pocula,prandia,paſcua,prædia,prata, penates.
Prandia mentior: hæc etenim prior haud tulit ætas.
Sueta repoſcere nec ſibi veſpere,nec ſatis eſcas.
Pars quota vivere de Jovis arbore ritè ſolebat.
His hæremitica prandia carica contriebuebat.
His cibus ex Jove, ſomnia ſub Jove ſtratus in herba.
Juſſa minoribus,à gravioribus, à ſene verba.
Pax ſacra gaudia,pax dabat ocia,fertilitatem:
Sed neque gaudia probra,nec ocia debilitatem,
Pax dabat ocia, ſancta negotia cultus agreſtis,
Terra legumina,pocula flumina, cingula reſtis,
Obſequium pecus, hoſpitium ſpecus, hordea victum,
Herba cubilia,petra ſedilia,pellis amictum,
Ramus opercula,feſtáque fercula,raro legumẽ.
Lux pede tendere, nox requieſcere, tedáque lumen.
Quæ modò marmore qualibet arbore templa ſtruebant.
Quæ modò cultibus atria frondibus expolibant.

Secula

Secula lactea, gens erat aurea, gens bona, de qua
Audeo paupere dicere carmine, gens fuit æqua.
Aurea gens fuit, aurea gens ruit, orba subivit.
Quæ cupit afflua, mentéque mortua vivere,
vivit.
Afflua censibus, indiga sensibus, orba patronis,
Se dat in impia, rapta in invia perditionis.
Mundus origine, non nisi nomine mundus habetur.
Mundiciam spuit, in veneres ruit, hisque repletur.
Ille prior ruit, alter inhorruit, alter at idem.
Non modò tempora sunt, neque pectora, qualia
pridem.
Tempora florida, pectora vivida primò fuerunt.
Tempora florida, pectora vivida præterierunt.
Aurea transijt, horrida prodijt orbis imago.
Plaga novissima, veráque lachryma, vera vorago
Hæc neque nomine digna, nec ordine recta stat
ætas.
Hæc vitijs perit, hæc animas gerit irrequietas.
Cumque ruens eat, hæc populum creat ad mala
stantem,
Rebus, honoribus, ebrietatibus invigilantem.
Hæc bona perdidit, hæc genus edidit ore dolosum.
Pectore mobile, re variabile, mente probrosum.
Ista novissima dicitur infima fex aliarum.
Ista novissima prodijt intima mors animarum.
Recta perhorruit, ordine corruit, eminet astu,
Sollicitudine, fraude, libidine, crimine, fastu.
Est sine nomine: nam sine numine, nam sine jure.

Per-

Perdita cladibus est, quia fraudibus, hæc sibi curæ
Istius omnia flendo nefaria, flere profari
Cuncta minus queo , credite flens eo paucula
fari.
Vt breve claruit ille peraruit aureus orbis,
Convenientibus undique mortibus , undique
morbis.
Secula prædita re, lue perdita prævaluere,
Stando jacentia, falso virentia, marcida verè.
Talia dum loquor, uror & excoquor igne fideli:
Concremor æstibus interioribus, & face zeli ,
Dum noto turpia, quanta, quot impia, quæ mala
terræ.
Sit licet inscia lingua, silentia non queo ferre.
Vnde quid ordiar? unde subaudiar? eloquar un-
de?
Vnde Deus monet ipse, quòd os sonet, afflat ab-
undè.
Quid prius insequar? an mala persequar ? an bo-
na strata?
Stant mala, jus latet, hinc satyræ patet area lata.
Parce modestia, multa sequentia sunt inhonesta
Cura tamẽ mea facta vetat rea, suadet honesta.
Da veniam precor, hic satyram sequor, hic ma-
la sperne.
Indue cor sene : dico malum bene, tu bene
cerne.
Perdita crimine, secula limine vocis in ipso
Vociferans fleo, flere dolens eo, carmine misso.
O mala secula: quærere sedula rem , pigra re-
ctum,
Fraus quibus edita, gratia perdita , jusque re-
jectum. O mala

O mala tempora, quæ mala pectora progenuere,
Nulla volentia, pauca valentia justa videre.
Castus amor latet, & Veneris patet alta lacuna.
Omne bonum jacet, una Venus placet, omnibus una.
Vos mea lumina fundite flumina nunc lachrymarum.
Recta perit via, cor grave, mens pia ploret amarum.
Luxuries viget, ut stipulas liget ignis averni.
Luxuries calet, atque palàm valet edita cerni.
Pax flet, amor gemit, ira stat, & fremit exule recto,
Qua fero lumina, lætáque crimina, laxáque specto.
Non ego visibus, immò nec auribus haurio quicquam.
Quod memorabile laude, quód utile ré, fóre dicam.
Quolibet exeo cernere, lugeo mox inhonesta,
Qua feror obvius, est furor impius, intus & extra.
Nemo libidinis aut vitiaminis effugit exors.
Qua geminus polus eminet, est dolus, est furor, est mors.
Fraus sedet omnibus, incolitur quibus utraque zona.
Omnis in omnibus, ad mala partibus est caro prona.
Civica prælia, nilque fidelia corda probantur.

Colchica

Colchica pocula, nec minus oscula perfida dantur.
Prava licentia criminis, omnia vult, valet, audet.
Post mala ducitur, in mala labitur, ad mala gaudet.
Nomine gens tua, Christe tibi sua, se dat averno,
Flendo perennibus undique fletibus, audio, cerno.
Plausus ad impia, clamor ad ebria, post, sed & antè.
Terga sonant mea, facta sedent rea jure labante.
Intrat inania milite mœnia, rex Babylonis:
Ipséque præsidet, ipsius assidet ala furoris.
Exul origine, se patre, lumine fit Zedechias.
Prospice mens tibi, ne similis sibi crimine fias.
Proh dolor, omnia sunt querimonia non rationis,
Nulla tragœdia, propria lachryma religionis.
Secula lubrica possidet unica mortis imago,
Lubrica secula gens replet æmula, prava vorago.
Docta sed inscia, blanda sed impia, sed viciosa,
Dissociabilis, insatiabilis, ingluviosa.
Gens pia vocibus, impia moribus ecce creatur.
Gens sibi provida, moribus invida multiplicatur.
Æmula famine, pejor acumine, pessima, urgens.
Quæ mala digerit, incitat, exerit, in mala vergens.

Gens

Gens pia transijt in Syon, exijt hanc Babylona.
Nunc Jacob Israel,& Lia, fit Rachel, ordo corona.
Regnat in æthere, fugit ab ubere philosophiam.
Jam patriam via, Rachel habet Lia, Martha Mariam.
Ille chorus pius, & status illius ivit, obivit.
Vivit in æthere, jam sine funere, credite, vivit.
Gens fuit aurea, quam modò laurea vivá coronat,
Salvat adoptio, liberat actio, palma perornat.
Gens pia transijt, impia prodijt, & numerosa.
Vulgus inutile, corpore debile, cordis inane,
Gens sine pectore plurima tempore vivit in isto.
Obvia moribus, obvia legibus, obvia Christo.
Torpet in ordine, gaudet in agmine crescere: crescit.
Fit grege plurima, lucra scit infima, cætera nescit.
Ad mala labilis, ad bona debilis, his ea præfert.
Iu vicium perit: huic vacat, id gerit, id scit, id effert.
Est, neque mentior, ad mala lætior, ad bona tristis.
Reproba comprobat, & proba reprobat, omnis in istis.
Scit bona vocibus, acta sed actibus ædere nescit.
Prompta malis viget, ægra Deo riget, & lapidescit.
Aurea secula, cordáque credula præterierunt.
Sunt

Sunt modò ſacrina,qui neque crimina,nec mala
quærunt.
Suntque peryſema, qui lucra plurima non ſibi
ſervant.
Qui lucra grandia, lucra forenſia non coacer-
vànt,
Vult bona carnea,commoda terrea,vult modò
quiſque
Præeſt gula plebibus, & ſenioribus, error u-
triſque.
Gratia venditur,omneq; curritur in ſcelus ære,
Cumque fides labet, omnis habens habet, hor-
ret egere.
Cana fides fugit,hac amor,hac ruit ordo,ruente
Stante fide, ſtetit ordo, fugam petit, hac fu-
giente,
Pectora ſobria prætereuntia præterierunt.
Corda virilia, caſta cubilia terga dederunt.
Lex Domini ruit, improba non luit improbus
auſus.
Auſibus ultio deeſt, datur unctio pro cruce
plauſus.
Vis caret obice, crimina vindice, judice lites,
Probráque verbere,furtáque carcere, præſule
mites.
Prorſus ad impia larga licentia fertur ubique.
In mala curritur, & malè vivitur, itur iniquè,
Juris abit ſtatus, eſt ſcelerum latus undique
fultum.
Quid malè quod libet audet, & exhibet, au-
det inultum.
Fertur ad omnia tranſgredientia ramus olivæ.
t Mars

Mars replet æmula crimine ſecula,tartara cive
Tranſgredientibus evenit omnibus, ô furor, ô
fraus,
Pro cruce plaudere,pro patre ſuggere, prò ſtimulo
laus.
Vis habet ubera,fictio proſpera, factus honorem.
Lac levis actio, ſceptra remiſſio, probra furorem.
Juſticiæ vigor,eccleſiæ rigor,ordóque patrum.
Nunc ubi præminet, aut ubi permanet unio
fratrum?
Quæ manus obvia ſurgit in impia ſive ſuperba?
Non ego verbera dico, ſed aſpera vel darè
verba?
Corde quis æſtuat,ut ſcelus arguat invaluiſſe?
Quis pater ordinis eſt,ſimilaginis hoſtia frixæ?
Quis modò dux bonus, excipiens onus omne
ſuorum?
Qui bona clamitet, & bene militet in lucra
morum?
Quis gemit impia, quis probra ſtantia, juſque
relictum?
Quis pladium vibrat oris, & hic librat in
ſcelus ictum?
Quis docet ocia pellere noxia flandaq; flere?
Quis probra ſpernere, ſpretaque tergere,
terſa cavere?
Omnis ad omnia nititur impia gens, gradus,
ordo.
Et malè vivitur,& malè pſallitur in decachordo
Omnis ad omnia nititur impia mundus oberrans
Eſt

Eſt ſenior gravis,eſt juvenis levis , eſt puer errans.
Præſul adeſt,præit,ipſe ſuum velut ipſe ſuorum,
Hinc ſcelus,hinc onus,altus ei thronus eſt grave lorum.
Sceptriger eſt, fremit, hos levat , hos premit , eſtque tyrannus.
Quodque magis fleo , mitibus eſt leo , furibus agnus.
Presbyter eſt,iter utile presbyter ad bona debet
Non iter utile,ſed lachrymabile vel ſibi præbet.
Clericus eſt, legit, haud bene ſe regit,ima volutat.
Et facienda ſcit,& minimè facit,his ea mutat.
Miles adeſt,gerit arma,furit,ferit, emicat haſta:
Caſtra perambulat , omnia ſtrangulat, eſtque ceraſta.
Nobilis eſt, tumet, ipſe nihil timet , ergo timetur.
Erigit ardua,tortáq; cornua,nil reveretur.
Cenſor adeſt,labra vendit, amat lucra, cenſet iniquum.
Aſtat habentibus, obſtat egentibus,os inimicum.
Inſtitor eſt,fora gyrat & æquora,propria laudat
Et ſua comprobat, & tua reprobat , indéque fraudat.
Ruſticus eſt,ferit,& ſata congerit,horrea farcit:
Primitias tegit,& decimas legit,hinc ſibi parcit.
Singula latius & ſpacioſius hæc repetendo,
Addo revolvere,roſáque rodere denuò tendo.
Pontificalia corda carentia corde probavit,

Pontificalia corda pecunia contenebravit.
Pontificum ſtatus antè fuit ratus,integer antè.
Ille ſtatum dabat,ordine num labat ille labante.
Qui ſuper hoc mare debuerat dare ſe quaſi
pontem
In Syon,omnibus eſt via plebibus in Phlege-
thontem.
Si nova dicere,vel nova fingere non grave noſ-
ſem,
Quos ſcio, ſed tego, pontifices ego dicere
poſſem.
Stat ſibi gloria,pompa,ſuperbia divitiarum,
Hoc propè tempore nemo ſtudet fore pons
animarum.
Præſules infula ſolvere vincula, vincla tenere.
Canone reſpuit,æreque deſtruit,aſtruit ære.
Regia culmina,vel moderamina regia nactus,
Prædo fit hoſticus,eſtque tyrannicus illius actus
Rex modò nomine, conſul imagine, mente
tyrannus,
Civibus improbus, eſt reprobis probus, & ſibi
magnus.
Hoc proba judice norma caret duce, fit via
lucris.
Hoc malè vindice non volat à cruce paſta
volucris.
Pro grege paupere recta capeſſere deſpicit
arma,
Tetra latronibus eſſe timentibus affore par-
ma.
Eccleſiæ rigor,imperij vigor interierunt.
Eſt via fraudibus,his ea ſtantibus occubuerunt.
Schiſmatæ

Schiſmata mutuò ſtant.: gladij duo nil metuuntur.
Juráque regia pontificalia cura premuntur.
Lex domini jacet,& gladius tacet imperialis.
Mors animæ fremit, & gladius tremit heu ſynodalis.
Plebs ſine præſide, preſſa tyrannide, dilaceratur.
Crimine perditur, hoſte relliditur, igne crematur.
Nec ſchola præſulis, hanc neque conſulis obvia dextra
A' capitalibus intus,ab hoſtibus eripit extra.
Qui ſtat in agmine primus in ordine præsbyteratus,
Eſt vicio levis, officio brevis, inguine fractus.
Vt ſoror intima ſit tibi proxima presbyteriſſa.
Ipſa patrem vocat,ipſa thoro locat, aſſidet ipſa.
Servit uti ſolet,& cerebro dolet ipſa dolenti,
Ipſa dapes emit,aſſidet & gemit ipſa gementi.
Ipſa fovet, favet, audit, amat, pavet ipſa magiſtrum.
Eſt thalamo ſera, mittit ad extera ſæpe miniſtrum.
Præſtat inaniter ordine presbyter ille vocatus,
Heu ſibi corporat,& populi vorat ipſe reatus.
Quàm venerabile, quàm ſacret utile, qualéque ſacrum,
Non ſatis aſpicit, ordinis efficit hinc ſimulachrum.
Pura libidine, dignáque ſanguine, carnéque Chriſti

Ora minus gerit,orbáq; plebs ferit acta magistri
Non nisi nomine,clerus imagine,fortéq; cleri,
Vivere sustinet: arduus imminet esse videri.
Fervet in agmine, torpet in ordine quo titulatur.
Nomine clericus,actibus aulicus esse probatur.
Aspicias sine lege,vel ordine currere clerum,
Atria visere regia,volvere turbida rerum,
Ad popularia stare negocia,resque forenses.
Adde quod exerit arma, quòd ingerit omnibus enses.
Agmina ducere,prælia jungere,miles haberi,
Clericus eligit,& sacra negligit ocia cleri.
Miles atrox rapit,angit,agit,capit, urget egentes.
Quos premit, opprimit, omnibus imprimit undique dentes,
Non modò non regit,ore,manu tegit, agricolantes:
Sed fugat & ferit, & cremat & terit arva terentes.
Raptus ei cibus, hos operit, quibus hos malè nudat.
Ad mala militat,ad mala cursitat, ad mala sudat.
Miles edacior igne, rapacior est quoq; miluo.
Tigride sævior,atq; nocivior angue nocivo.
Sævit in agmine clarus origine nobilitatis:
Nec sibi propria,sed reverentia stat sibi patris.
Præficitur,preit,ore patres vehit, haud vehit actu.
Stemmate nobilis,est reprobabilis ipse reatu.
Rebus,origine,carne nec ordine nobilitatur.

Est

Eſt reſolubilis, & caro nobilis,aret, humatur.
In vicium tener eſt homo,degener altus & imus.
Cur ? quia corpore, non animo fore vult quaſi primus.
Ad lucra ſupplicat, & malè judicat, ad lucra judex.
Te ſcelus impedit, aureus expedit, ære ſilet lex.
Æs demat omnia,res piat impia,Lex ſilet ære.
Vim lupus ingeris,agnus habeberis, offer habere.
Per tua munera tangis & æthera lege cremandus.
Cenſus adeſt tibi, cenſor erit tibi, ne fuge, blandus.
Munere non finis ullius ordinis hunc meminiſſe.
Ad lucra clamitat,his ſua venditat ora, premit ſe.
Deniq; lex ita fit ſibi ſubdita,non homo legi.
Aſpice munere tot mala ſurgere,tot mala mergi
Proh furor aſpice, quàm citò judice lucra tenente,
Stent mala,jus ruat,hoc levet, hoc ſpuat, illa terente.
Quàm ſine judice judicet aſpice, quàm ſine jure.
Quippe pecunia,non Theodoſia lex, ſibi curæ.
Inſtitor omnia penè negotia fraude volutat,
Lucra lucris emit, hæc levat, hæc premit, his ea mutat.
Per nigra frigora, per juga, per fora, per freta currit.
Fur capit hunc, ferit hoſtis, hyems terit, æſtus adurit.

Captus egens abit, haud vacuus canit ante latronem.
Lucra resuscitat, hinc iter incitat in Babylonem.
Inde repatriat, huc nova nunciat, & nova defert.
Fraudat emens tua, quippe tuis sua pondera præfert.
Est malè perfidus, ambulat invidus agricolator.
Sæpe novalia proxima, propria jurat arator.
Jurat ut auferat, & citò pejerat atq; scienter,
Inde frequentia mutuò jurgia, causa frequenter.
Rusticus hordea mittit in horrea, farra recondit
Hordea grandia, vasa capacia, multáq; condit.
Nec pecus, aut sata, dante Deo data, vult decimare.
Nec sacra portio, nec decimatio redditur aræ.
Prava stat actio, quæque professio, gens, gradus, ætas,
Quæque nefaria patrat, habet via sobria metas.
Omne bonum perit, omnis homo gerit alteritatem.
Pugnat inertia solvere fortia, fraus pietatem.
Nunc premit omnia sola pecunia, res dominatur.
Mammona conditur, ad fora curritur, ad lucra statur.
Stat modò mammona, sunt oneri bona, crimen honori.
Opprobrio via justiciæ, pia facta pudori.

Culmine

Culmine clericus,arce monaſticus,occidit ordo
Pars ea frangitur,iſta reſolvitur ordine torto.
Altera flebilis eſt,miſerabilis altera prorſus.
Vtraq;nomine ſtat,jacet ordine verſa retrorſus.
Vtraq; pars labat,illa decus dabat,iſta decorem.
Vtraq; decidit, utraq;perdidit arida florem.
Quis bonus eſt bene, ſpernitur à ſene ſancta ſenecta,
A' puero pudor,à valido rubor,& via recta.
Deniq; crimina,differo nomina dicere quorum.
Clamat,amat, gerit & parit, & perit ordo malorum.
Eſt facies ita crimine perdita totius orbis,
Vt neq; jam puer,exeat integer à lue mortis.
Sunt puerilia,ſunt iuvenilia cum ſenis ævo.
Sordida pectora , nulláque tempora ſunt ſine nævo.
Ipſéque parvulus , haud quaſi maſculus, at reticebo,
Talia talia, tam furialia probra ſilebo.
Parco retexere,differo prodere ſordidiora.
Quod vicio fluit edere polluit , & cor , & ora.
Stat Venus ignea,ſolvitur aurea zona pudoris.
Stant probra ſtantia, ſunt modo retia tenſa furoris.
Parcere clunibus excidit omnibus, omnibus inquam.
Non ego rodere, non reprehendere quemque relinquam.
Vulgus in impia,vulgus in omnia turpia fluxũ,
Lugeo,rideo,Diogenes eo, Democritus ſum.

Nam meretricia nosse cubilia gens putat æquum.
Lex Genesis jubet, inquit, ut hic cubet illaque secum.
Cur etenim data fœmina, vel sata, ni potiatur,
Sexus id imperat, inquit, ut hæc ferat, ille feratur.
Quomodo prandia, sic meretricia probra licere
Gens putat ebria, scilicet inscia se cohibere.
Omnis in omnibus ad mala partibus omnia mundus,
Sponte sua ruit, ordine stans fuit, est ruibundus
Ultro relabitur, ultro resolvitur, occidit ultro,
Stante libidine, stanteque crimine, jure sepulto.
Qua Tanais fluit, & tropicum subit ora Syrenes,
Quisque resolvere, nemóque cingere vult sibi renes.
Gens asinaria, jugiter ebria, luxuriatur,
Vitáque sobria, castaque gratia vituperatur.
Quisque velut pecus, aut saliens equus in scelus hinnit.
In Venerem salit, hanc fovet, hanc alit, hinc mala gignit.
Nulla nefaria, cernimus omnia pulchra relinqui,
Dant sibi vincula carnis & oscula carne propinqui.
Oscula turpia, nilque sororia clanculo fratri.
Congeminat soror, est via quid moror ampla baratri.

Con-

Conferitur genus, omnibus est Venus unica
cura.
Non modò septimus est gradus ultimus in geni-
tura.
Legitimus perit, arva patris terit, haud pa-
tris hæres.
Confert omnia cæca licentia per mulieres.
Pignora spuria dat vaga curia nobilitatis.
Pluribus ordine dispare, sanguine compare
natis.
Fervet adultera, nec probat integra fœdera
Magnes.
Herodias vaga pluribus est data, nemo Johan-
nes.
Nunc quoq; lilia spiritualia prostituuntur,
Viva monilia, cœlica lilia subijciuntur.
Dos sacra rumpitur, atque resolvitur in probra
velum.
Quisque sibi cavet, atque Dei pavet edere ze-
lum.
Virgineus chorus aret, abit thorus immacula-
tus.
Sponsa Dei ruit, omnis homo fluit ad pro-
bra fractus.
Ah gemit, omnia vivere turpia regula casta.
Hæc querimonia sive tragœdia clamat ad astra.
Horreo dicere, quæ reprehendere sæpe reflam-
mor.
Criminis unius heu ferit obvius æthera clamor
Criminis actio, vociferatio dicitur ejus.
Quod Noe tempore, nunc scelus affore, vel pu-
to pejus.

Est

Eſt modò ſanguine,fraude,libidine,terra reple-
ta.
Ventre,moleſtia,munere,gratia re bona ſpreta.
Omne quod aſpicis in probra fornicis eſt re-
ſolutum.
Nil ſtat in ordine, nil ſtat ab inguine nunc
bene tutum.
Dæmonialia deniq; retia ſtant modò ſcorta,
Corpora perdita, tritáq; ſemita, publica porta.
Luxuries viget,impietas riget, undat iniquum.
Inquinat omnia turba nefaria,grex meretricum
Vita procacibus eſt meretricibus, ire licenter.
Lingua,cor,actio,commaculatio,crapula, ven-
ter.
Omnis & unica gloria,lubrica carnis amare.
Corda voragine,membra libidine commaculare
Fœmina ſordida,fœmina perfida,fœmina fracta,
Munda coinquinat,impia ruminat,atterit aucta.
Ad ſcelus,ad bona,fit mala fœmina calcar, ha-
bena.
Eſt fera fœmina,ſunt ſua crimina ſicut harena.
Non eo carpere quas benedicere debeo juſtas.
Sed quia debeo,carmine mordeo, mente locu-
ſtas.
Nunc mala fœmina,ſit mihi pagina, ſit mihi ſer-
mo.
Se ſatis approbo,ſed ſua reprobo, perſequar
ergo.
Fœmina nutibus, artibus,actibus,impia ſuadet
Cogere crimina, totáque fœmina vivere gau-
det.
Nulla quidem bona : ſi tamen & bona contigit
ulla, Eſt

Eſt mala res bona, namque ferè bona fœmina nulla.
Fœmina res rea, res malè carnea, vel caro tota,
Strennua perdere, natáque fallere, fallere docta,
Foſſa noviſſima, vipera peſſima, pulchra putredo
Semita lubrica, res male publica, prædáque prædo,
Horrida noctua, publica janua, dulce venenum,
Nil bene conſcia, mobilis, impia, vas lue plenum,
Vas minus utile, plus violabile, flagitioſum,
Inſociabile, diſſociabile, litigioſum.
Merx leve vendita, ſed citò prædita, ſerva metalli,
Flamma domeſtica, diligit unica fallere falli.
Extat amantibus hoſtis, & hoſtibus extat amica
Ni petitur petit, idque lucri metit, ut ſit iniqua
Sunt ſua gaudia, ſunt ſua propria, lux ſua nocte.
Hæc nihil excipit, ex patre concipit, exque nepote.
Foſſa voraginis, arma libidinis, os vitiorum,
Hæc fuit, eſt, erit, & per eam perit ordo bonorum.
Donec erunt fata ruricolis data credita ruri,
Hæc lea rugiet, hæc fera ſæviet, obvia juri.
Hæc furor ultimus, hoſtis & intimus, intima peſtis.
Dum negat, illicit, & ſcelus injicit ipſa modeſtis.
Hæc caro carnea, ſi lue Prothea mobilitate
Vincere noſcitur, hæc pia cernitur impietate
Hæc vitium docet, ars mea non vocet hanc vitioſam.

Hanc

Hanc vitium voco, perfidiam probo, nomino noxam.
Merx ea plurima, res ea pessima, pessima rerum.
Cautior omnibus una fit artibus, ars mulierum.
Non lupa nequior hac, quia parcior impetus ejus.
Non draco, non leo, sed quid ea queo dicere pejus?
Istius omnia, non modò noxia, sed bona damnes.
Hoc scelus arguit, enséque corruit ille Johannes.
Hac, quia vir fuit, Hippolytus ruit, hac ruit Ammon.
Hac Joseph angitur, & coma raditur hac tua Samson.
Hac Ruben, hac David, hac Salomon cadit, hac homo primus.
Hæc dat, agit, gerit, unde pudor perit, unde perimus.
Fœmina cordibus, ore, vel actibus, est draco dirus,
Flamma gravissima serpit in intima, quomodo virus.
In sua crimina se mala fœmina pingit, adornat,
Fucat, adulterat, innovat, alterat atque colorat.
Dum scelus instruit, ut leo circuit, ut fera currit.
Currit, & ignibus ignis edacibus uritur, urit.
Lubrica lumine, fervida crimine, crimen & ipsa:
Stans in amoribus, in levitatibus est modò fixa:
Glutinat, illicit, & nimis inspicit inspicientem.
Et quotiens licet, hanc totiens libet esse nocentem.

Quando

Quando fidelior & tibi junctior aſpicietur:
Tunc famulum tibi præficiet ſibi, ſi mage detur
Cor leve, mox levis atq; fides brevis in muliere.
Fœmina munere dat breve ludere, non breve flere.
Vltima triſtia, primáque dulcia ſunt in amore.
Criminis exitus aſſolet obſitus eſſe dolore.
Pectora perdita, primitus excita flamma reflammat.
Criminis exitus, heu mihi funditus, heu mihi clamat.
Fœmina fœtida, fallere perfida, flamma furoris.
Prima peremptio, peſſima portio, præda pudoris.
Propria germina, proh fera crimina decutit alvo.
Edita diſſecat, abijcit, enecat, ordine pravo.
Fœmina vipera, non homo, ſed fera, nec ſibi fida.
Plaſmatis illius, immò ſui prius eſt homicida.
Aſpide ſævior, & furoſior hæc furibundis.
Pro truculentia, viſcera propria mergit in undis
Fœmina fœtida, fœmina perſida, fœmina fœtor.
Eſt ſatanæ thronus, huic pudor eſt onus, hanc fuge lector.
Et legitur, quia plus domino pia, plus quoque grata,
Prava virilia, quàm muliebria ſunt benefacta.
O' mala tempora, cur? quia ſtercora tot pepererunt.
Tantáque ſordida, ne loquar horrida tanta dederunt.

Omne

Omne bonum ruit, omnis homo fluit, improbra quæque.
Omne bonum jacet, omne malum placet omnibus æquè.
Casta cubilia sunt modò vilia, lata petuntur,
Conjugialia sive jugalia pacta sinuntur,
Nupta virum spuit, inque viros ruit, hos trahit ad se,
Ne cubet unica, ne quasi rustica, dat sua, dat se.
Quæ bona fœmina? cui bona nomina? quæ bene casta?
Quæ pia præminet, aut fore sustinet integra claustra?
Quæ sacra fœdera, ne sit adultera, ne rea signat?
Ne sobolem sine lege vel ordine ceu lupa gignat?
Vt patris hic puer, hic pueri pater ore notetur?
Nil in origine, nil in imagine degeneretur?
Stirpsque viro data, patre viro sata, non patre verna.
Os patris exerat, ipsaque præferat acta paterna?
Cui rata pactio, vel benedictio quæ fit in ara?
Cui pia lumina? quæ pia fœmina? credite rara.
Rarior hæc avis, hæc nimis est gravis herba reperta.
Talia mordeo, talia rideo, non sine fletu.
Rara fidem gerit, omnis enim perit ordo marito.
Grex sine turture, nam sine passere nulla cupito
Vir, populus placet, omnibus ut vacet unica nupta.
Pluribus unica fit via lubrica, semita rupta.
Vir petit extera, gaudet adultera, publica gaudet.

Mox

Mox scelus instruit: evocat, annuit, ardet
& audet.
Conjugis ocia conspicit anxia, læta feretrum,
Læta pericula, lætáq; vincula, lætáque letum.
Jussio Julia, lexque Scatinia nunc ubi dormis?
Vivitur omnibus & sine legibus & sine normis.
Plurima fœmina, plurima crimina, multa ruina.
Plurima Lydia, rara Lucretia, nulla Sabina.
Nulla ferè bona, nullus Amazona nunc videt
ullam.
Absque procis tribus, hisq; procacibus audio
nullam.
Tam sine lumine, quàm sine crimine vult fore
quæque.
Tam fore clinica, quàm semel unica diligit æq;.
Vxor adultera quærit in infera pl9 quoq; mitti,
Quàm comes unius, ô furor impius, esse mariti.
Sufficientior & sibi gratior unus ocellus,
Quam comes unicus, ô furor ethnicus, ô rea
tellus.
Elige quaslibet, excipe quodlibet, has coaduna,
Non rea corpore, castáque pectore, penè nec
una.
Per varium genus imperitat Venus imperiosis.
Flebile, sed quibus? astra flagrantibus una pe-
rosis.
Ipsa coinquinat & sibi glutinat omnia mundi.
In sua retia cogit inertia corda refundi.
Ipsa voracior atque rapacior ignibus ignis,
Ardet inertibus & malè putribus insita lignis.
In Venerem ruit, in coitum fluit omnis ut unus
Conjugis illius arra fit istius, est propè funus.

Quis modò non pater? & pueros puer instat habere?
Imminet atria tectáque patria prole replere?
Quisque suam cupit,& thalamos subit:estque maritus.
In Jacob agmine,non sine fęmine,fit benedict9.
Fit pater,editur,edita traditur huic nova proles
Patris ad extera,matris ad ubera plurima moles
O' nova secula, nunc quoque parvula nubere gliscit.
Cruda puellula conjugis oscula vimque cupiscit.
Dos sibi traditur,annulus additur, arra dicatur
Hinc lyricus jocus, inde strepit coquus, esca vagatur.
Fervet ovantibus atq; canentibus aula choreis
Pompa sequentibus & præeuntibus est Hymeneis.
Nec mora concipit, est gravis, accipit omnia matris,
Plena trahentibus atque bibentibus ubera natis
Major & ardua stirps sua,mox sua stirps dubitatur.
Qui sibi filius est,pater illius esse putatur.
Morbida gramina gignit & agmina multa libido
Sæpe parens gravis est,& adest avis afflua nido.
Grex citò nascitur,& seges editur hinc puerorum.
Fit generatio,multiplicatio crescit eorum.
Quid mora? plurimus ipséque pessimus errat ubique
Grex hominum, sine simplice lumine, mentis iniquæ,

Rura

Rura per omnia penè frequentia spargitur urbis
Nulla vacantia, nulla carentia sunt loca turbis.
Jam loca singula, mons, specus, insula, jugera, prata,
Sunt habitantibus atque meantibus assiduata.
Jam juga Calpia primitus invia sunt pede trita.
Non modò maximus est, quia plurimus est heremita.
Innumerabilis & miserabilis est hodie gens.
Post mala promptior, in mala pronior, ad mala vergens.
Quisque malum docet, & minimè nocet esse nocentem.
Quisque mero calet, & minimè valet esse scientem.
Quæritur ocyus, atque libentius uda taberna,
Quàm sacra numina, splendida lumina, templa superna.
Gens bibit impia vina furentia plus satis æquo.
Fert oleum focus, inde subit jocus, ordine cæco.
Gens sitit ebria vina celebria, bellica vina,
Vina furentia, vimque ferentia, plena ruina.
His Noe frangitur, his Loth aduritur antè pudicus.
Hæret edacibus atque bibacibus ardor iniquus,
Qui fore crebrius expetis ebrius, atque recumbis,
Ad mera pocula, vis citò cingula solvere lumbis.
His ubi vinceris, uris, & ureris ignis amore.
Mens furialibus æstuat ignibus, ossa calore.
Vermis edacior, haud ego mentior, insitus hostis

Eſt tibi renibus,& viget ignibus intrò repoſtis.
Verme libidinis ilico deſinis eſſe modeſtus.
Hic furit hoſtibus hoſtis, & æſtibus acrior æſtus
Vina Venus cupit, hac face mens furit, actio fumat.
Mox ſtomachus ſatur, in Venerem datur, in probra ſpumat.
Ob mera pocula primò furit gula, poſtea venter.
Mox Venus excita concitat abdita membra furenter.
Sunt fluitantia, ſtantéque ſtantia ventre pudenda.
Hæc cibus, hæc Venus implet, amat ſcelus, hæc duo membra.
Alterius ruit, in phialas fluit improba luxus,
Inde libidinis atque putredinis ilico fluxus.
Alterius furor efficit ut pudor abijciatur,
Vt pereat vigor, intereat rigor,ordo prematur
Cura ſtat unica,luctaque publica carnis in eſu,
Ebrietas placet, & tua vox jacet,ô bone Jeſu.
Regnat edax gula,plenáque crapula corda gravantur,
Ebrietatibus,improbitatibus extimulantur.
Plena voragine,plena libidine,ventréque plena
Tempora ſunt:quibus unus amor cibus, & caro læna.
Viſcera paſtibus, os dare potibus eſt modò clarum.
Et Venus & gula ſunt modò regula ventricolarum.
Chriſticolas nego, ventricolas ego dicó gulo-ſos.

Nulla nefaria, denique turpia nulla perosos.
Nunc bonus est reus, est stomachus Deus, est schola venter.
Quisque gulæ studet, ah piget, & pudet ire pudenter.
Quod loquor accipe diruta principe stante coquorum.
Iherusalem jacet, unda cibi placet immò ciborum,
Semita spernitur atque requiritur ecce platea,
Dant sua vincula, cuique prius gula, post cytherea.
Proh dolor, aspice, secula triplice stricta furore.
Triplice crimine, nexa libidine, fraude, tumore,
Corda superbia: sed Venus ebria corpora nectit.
Corpora, cordaque fraus ligat, utraque mors sibi flectit.
Sarcina terrea corda premit rea, colláque prona.
Corde reflectimur, immò revertimur ad Pharaona.
Imus in invia, stamus ad impia, sed malè stantes
Prætereuntia, vel pereuntia prorsus amantes.
Imus, & ibimus, unde peribimus, unde ruemus.
Qui pereuntia, sive ruentia sola, videmus.
Pax flet, amor perit: hic furit & ferit, ille feritur.
Mars rigidum fremit, ille stat, hic gemit, in scelus itur.
Sanguineum rapit, & rotat, & quatit ira flagellum.

Fert fera ſpicula,ſæva pericula,funebre bellum.
Pax viget ethnica , pax ruit unica Chriſticolarum.
Si bene ſentio,junctior unio, paxque ferarum,
Cernite gens rea, nulla leam lea , non aper aprum
Devorat,aut ſecat, & ſobolem necat ultio patrum.
Spiritualia denique prælia nos malè tentant.
Semper & impia mens, homicidia ſæpe cruentant.
Ah pede compare lugeo currere , fasque nefasque.
Militat hinc tumor , inde manus furor armat utraſque.
Guerra parentibus hic,ibi fratribus eſt uterinis.
In ſua viſcera gens furit ebria, regnat Erinnys.
Proh truculentia,funera patria filius ardet.
Conqueritur,quia mors homini via poſthuma tardet.
Et pater impius expetit illius ordine pulchro,
Ante recondere ſplendida paupere membra ſepulchro.
Matris anilia,lumina filia claudere gaudet,
Fleréque funera, poſtea libera quodlibet audet.
Aſpice pocula,dant nece pabula plena, novercæ.
Mors ſubit effera,qui petit extera divite merce.
Dives opes luit,in jugulum ruit hoſpitis hoſpes.
Rara ſuperiſtte, nulláque ſoſpite conjuge ſoſpes.
Conjuge vir perit,hancque viri ferit enſis acutus.

A'

A'rigido tener, à socero gener est malè tutus.
Persequitur nece,si minus,aut prece frater amicum.
Quem nequit ensibus,opprimit artibus , ô cor iniquum.
Gens sibi noxia, turba præ impia, sunt sibi damno.
Proximus est tibi, mutuò tu sibi , quod lupus agno.
Gratia corruit,atque refriguit ignis amoris.
Est modò perdita regia semita, semita moris.
Cassaque lumine , plenaque crimine corda gerantur.
Frigida pectora,veráque frigora stare probantur.
Gratia corruit,algor inhorruit, amplior istro.
Est populus sine moribus,ordine,rege,magistro
Lex Domini ruit , huicque caput fluit undique rore,
Qui trepidos bonus,ô gravis hic sonus, evomit ore.
Denique quid moror ? & tumor, & soror ira tumoris
Stant super omnia:frausq; bifaria,cordis,& oris.
Gens proba transijt , improba prodijt , atque probrosa ,
Garrulitatibus, ebrietatibus officiosa.
Plena pigredine,plena libidine,crimine plena,
Callida pectore, parváque corpore , frontis egena.
Patria corpora,patria robora fert propè nemo.
A'patre filius est quasi Sysiphus à Polyphemo.

Forma parentibus atque nepotibus haud manet una.
Corporis omnia deficientia ſunt quaſi luna.
Corporis ut ſtatus excidio datus, eſt ita mentis.
Gens ſcatet arida, corpora languida, cordaque gentis.
Pectore peſſimus, & ſibi proximus eſt modò quiſque.
Qui tibi ſupplicat intima duplicat arte, doliſq;.
In duo ſcinditur unio, ſolvitur alteritate,
Schiſmate fœdera, ſimpláque viſcera duplicitate.
Ille fit iſtius, iſte fit illius hoſtis amicus.
Ridet & invidet, obſtat & aſſidet æquus iniquus.
Perditur irrita regia ſemita ſimplicitatis.
Induit impia fictio pallia duplicitatis.
Vos volo credere, quod volo dicere, pſeudo prophetas
Nulla feracius ac numeroſius hac tulit ætas.
Denique ſordibus interioribus hi Phariſæi,
Sunt via lubrica, janua publica perniciei.
Peſtis inhorruit, agmen & irruit hypocritarum.
Hiſpida corpore, lubrica pectore, gens tenebrarum.
His ſacra nomina, ſacraque tegmina, corda ſuperba.
Agnus eis patet in tunica, latet agnis in herba.
Sunt petulantia corda, rigentia fronte Catonis.
Cerea moribus, ærea vultibus, in mala pronis.
Corda minacia, corda rapacia, corda lupina,
Fucat imagine, palliat ordine veſtis ovina.

Corda

Corda tumentia,corda carentia monade cordis,
Sunt pia frontibus,impia fructibus,atria sordis.
His dolus additur,ut coma raditur,& mutilatur.
Fingit ovem lupus,atqu; rosa rubus assimulatur.
His mera pocula,pluráq; fercula,regula tota.
His locus unio,jus,simulatio, lex, sua vota.
Scandala,schismata, nulláque Sabbata mentis, in illis.
Deniq; tollitur actibus,additur ordo capillis,
Forcipe,pectine,crinis & ordine canonicantur.
Insipientior,hic ego mentior,at simulantur.
Fronte vetustior,& quasi justior unus eorum,
Inferioribus ordine fratribus est schola morum.
Cor mala ruminat,& bona seminat,& bona fatur.
O'pudor,ô scelus,est satan, angelꝰ esse putatur.
Est satan actibus,ipséque vocibus angelus idem,
Quod sonus edocet,actio dedocet,hostis eidem.
Nec videt impia,nec sua turpia fratribus Argus.
Eloquij sator,& veniæ dator est sibi largus.
Corda carent sene, dicta senis bene dicta probantur.
Membra senilia sub juvenilia vota citantur.
Vulpe lupum tegit,ordine se regit exteriori.
Ore patet bonus,inq; suos dolus interiori.
Mens malè conscia, sarcina propria , proxima pestis.
Se sibi subjugat,effugit, effugat intima testis.
Frons gerit Hectora, vincere Nestora creditur ætas.
Est cutis arida,fertq; per hispida brachia setas.
Já prope funera,pollice dextera computat años.

Cumque ſenex labet hic, animos habet ipſe tyrannos.
Jam quid apertius? en Cato tertius æthere miſſus,
Fronte ſeverior, in cute juſtior, intrò remiſſus.
Eſt Cato tempore, cernitur affore Maurus Jarba.
Hinc Venus cuirat, inde virum parat hiſpida barba.
Frons hominem gerit, intus homo perit, eſt lupus intus.
Sed tua gloria ſtat tibi filia regis ab intus.
Quid mora nectitur, ordo relinquitur, ad mala ſtatur.
Stat ſimulatio, morigeratio ludificatur.
Irrita dextera fit tibi litera Pythagorea.
Dextra tibi jacet & ſcelerum placet ire platea.
Arcta relinquitur & via carpitur ampla quibuſque.
Quærimus invia, fluxa, fluentia, confluimusq;.
Architriclina, ſceptra, ſedila prima petendo.
Quiſque tumultuat, inſtat, & æſtuat, hic ſatagendo.
Mundus honoribus, eſt neque moribus omnis anhelus.
Stant modò ſtantia, luxus, inertia, fixio, zelus.
Stat ſimulatio, diſſimulatio, crimen utrunque.
Alea, crapula, fraus, facinus, gula, flagitiumque.
Ora bilinguia, lis, homicidia, Mars, tuba, terror,
Vis, probra, jurgia, quid moror? omnia quæ docet error,
Talia germina ſcilicet agmina ſunt viciorum.

Germina

Germina talia sunt capitalia vulnera morum.
Prima superbia suadet,in invia perdere mentem
Ingerit agmina,maxima crimina,crimina septem
Prima superbia,jussa dat impia grex ululatum.
Primò cor obsidet , & citò possidet hoc grege stratum.
Hic monet,hic ruit,& citò subruit, & mala servat.
Stante libidine, stantéque crimine , crimen acervat.
Mascula pignora, viváque robora mergit Hebræa,
Sed muliebria servat,& omnia molliciei.
O' mala secula,cur? quia regula nulla tenetur.
Promptus ad extima, doctus ad intima stultus habetur.
Non patientia,sed violentia dat modò pacem.
Qui tacet esurit,& lucra parturit, esse loquacem.
Lingua sophistica, lingua tyrannica, lingua forensis,
Præcipit omnia,percutit obvia,qualiter ensis.
Lingua volubilis est modò nobilis,huc ades, audit.
Mutus episcopus, ordine reprobus,ostia claudit
Nil tumidum sapis, aut pecus, aut lapis esse probaris.
Es quasi vipera, pectora libera testificaris.
Nunc mala reddere,gloria cedere,culpa tenetur
Irreverentia laus, patientia crimen habetur.
Quàm stipe vivere,non mala reddere tam pudet æquè.

Ad

Ad ſcel9,ad probra,gens viget impia nocte dieq;
Heu mala mentio,pejor & actio, peſſimus uſus.
Stat modò criminis,eſt vigor ordinis ille retruſ9
Tot nego ſobria corda, quot oſtia reflua Nili.
Tot pia viſcera,quot vaga ſidera nunc reperiri.
Sicubi,quẽ fore ſimplice pectore cerno modeſtũ
Id rude deputo,monſtráq; computo pectus honeſtum.
Comparo curribus æquor arantibus,arida velis,
Ruráq; piſcibus,aera navibus, aſtra camelis.
Flaccus,Oratius,&Cato,Perſius,& Juvenalis,
Quid facerent modò,ſi foret his modò vita ſodalis ?
Temporis iſtius acta Lucillius ille ſtuperet,
Et ſua proſpera,ſanctáq;tempora non reticeret
Diceret optima,quæ fore peſſima tempora dixit
Scriberet aurea,quæ nigra, quæ rea , quæ mala ſcripſit.
Próſpice ſecula,proſpice ſingula merſa tenebris.
In mala labere lapſus amabere,rectus egebis,
Vis mala linquere,recta capeſſere, vivere rectè,
Es lyra publica, ſcena theatrica fit tibi de te.
Proh dolor,omnia mergit in impia vera Charybdis.
Crimina congere,magnus habebere,maximus ibis.
Vis requieſcere?vis tibi vivere?vis tibi pacem?
Leno potentibus eſto reatibus, unge minacem,
Facta videns rea percipe caprea lumina talpæ,
Viſa tuo citò corde repellito, radito, ſcalpe.
Si mala prodere,crimina rodere vis aliena ,
Nil tibi conſulis,inſuper exulis eſt tibi pœna.

Fert fera jurgia,pungere turpia nunc vitiorum.
Eſt probra carpere,veráq;dicere,fons odiorum.
Eſt mihi ſarcina , qui mea crimina vel bene prodit.
Mens malè conſcia,luminis omnia rodit & odit.
Gens bibit ebria pocula noxia, pocula Lethes,
Quæ morientibus invenit omnibus ille poetes.
Quiſque mali memor , unius immemor eſt pietatis.
Juſtus eget lare, nemo bonis dare,vult dare gratis.
Singula cenſibus,omnia mercibus,at ſine numo
Nil,niſi nil geris,heu caſa pauperis eſt ſine fumo:
Divitis atria,ſeu laquearia celſa renident.
Maſcula pignora , primaq; robora, nunc ſibi rident.
Accubat affluus,ambulat arduus ipſe liburno,
Et quoties placet,in thalamo jacet altus eburno.
Manè coquos citat,& ſtomacho litat ilico taurũ.
Mellea pocula,craſſáq; fercula ſuſtinet aurum.
Nox ſibi ſomnia,ſol dare prandia feſta recurrit.
Par baratro gula,quid niſi ſecula tota ligurit?
Nidor ei ſapit, atq; gulam rapit eſca culinæ.
Sunt ſua prandia,fœnora,jurgia,lucra,rapinæ.
Eſt homo beſtia ventris,& hoſtia,beſtia nempe,
Ventréq;turgida,dentéq;vivida,mortua mente
Vult bona prandia,vult bona prædia , vult bona prata,
Vult bona pocula , vult bona fercula , nil bona facta.
Res valet,æs ſapit,his titulos rapit arca diebus.
Lingua ſcientia,vitáque ſobria nil ſine rebus,

Munera ditibus, at flagra mitibus ingeminantur
Jura minoribus, inferioribus arma minantur.
Omnia præcipit, insuper accipit omnia numus,
Dives it inclytus, areque præditus, arceque summus.
Terrea possidet, hæc sibi providet, auget, acervat:
Fortè latronibus illa, vel hostibus aucta reservat
Denique scrinia fracta, vel hostia, plus magis aret,
Quàm sua pignora, caráque corpora si tumularet.
Secula circuat, impia ruminat, ima volutat.
Itque per æquora, per juga, per fora sidera mutat.
Trans mare nititur, exulat, utitur orbe recenti,
Dant sibi littora, dant maris æquora, non freta venti.
Res sibi frivola, mens sibi subdola, sors sua flenda.
Vendita somniat, empta perampliat, arctat emenda.
Lucræ lucris parat, & graphijs arat illa vel ista.
Debita, credita, quæque recondita divite cista.
Huic requiescere dulce sub aggere divitiarum,
Sæpe revolvere diligit, addere sæpius aurum.
Denique deficit, his quia proficit, aret inundans
Mammona conditur, & sitis additur, ô sitis undans.
Fit sine nomine, nominis homine Tantalus ille,
Sunt sua gaudia, lucra, pecunia, prædiam ille,
Horrea construit, omnibus affluit, unus opimus,
Ad

Ad bona ſerior, ad mala promptior, ad fora primus.
Dives ad omnia concitus impia, tardus ad æquum.
Vt roſa cernitur, ut rora ſternitur, & ſua ſecum.
Stans hodie cluit, ipſeque cras ruit, ipſe ſed alter:
Manè videt ſua dives, & hæc tua veſpere pauper.
Dormiet affluus, ilico mortuus, omnia perdet.
Mox ſua, non ſua, latro feret ſua, ſe nece ſternet.
Vt folium leve, ſubtrahit ad breve, fur ſua, mors ſe.
Deſerit omnia tunc lucra noxia, ſtant ſibi noxæ.
Quæ labor intulit annus, abſtulit una vel hora,
Divitis omnia quæq; nitentia, quæq; decora.
O' ſibi flebilis, ô miſerabilis, ô miſer idem.
Quanto pecunia, tanto moleſtia creſcit eidem.
Pertimet omnia, quem ſua copia reddit egentem
Res ſua poſſidet, angit & obſidet undique mentem.
Cura cor anxiat, angor inebriat, impedit error.
Pallet ei color, hinc dolus, hinc dolor, undique terror.
Somnus inapia, multáque ſomnia nil ea præſtant
Luce negotia, nocte minantia viſa moleſtant.
Scrinia frangere, cætera tollere latro videtur:
Dives egens tremit, & vigilans gemit, idque veretur.
Ilico ſurgitur, arca revolvitur, æs reperitur.
Noctis abit mora, lux vocat ad fora, merx ſtrepit, itur.

Post lucra cursitat, in lucra militat, ad lucra
spirat.
Spirat & æquora nauta, pedes fora sæpe regyrat
Per mala maxima, per flagra plurima vitat egere
Fraudat & eripit, id dat & accipit, æs novat ære.
Pauca suis dare, nil tibi Lazare quærit avarus.
Fletus inest tibi, fletus erit sibi, qualis? amarus.
Nunc locuples eat, exeat, impleat impia vota,
Post breve, corruet, illáque defluet area tota,
Quomodo glarea decidet area divitiarum:
Copia concidet, area decidet, & vir earum.
Lucra ruentia, prætereuntia lucra patenter.
Vult, voluit, volet, & colit & colet, hic homo
semper.
Dum dabit Anglia lac, ebur India, Smirna cicadam.
Per fora, per juga, curret agens lucra plurimus Adam.
Lucra, pecunia, res, opulentia, nunc dominantur.
O' mala lachryma, pauperis optima nullificantur.
Plurima prædia, sive peculia, fraude lucratus.
Nunc benedicitur, esséque dicitur, estq; beatus.
Quisque palatia vult sibi grandia, construit
ædes,
Hic quasi propria secla per omnia sit sibi sedes.
Atria splendida, castráque florida, sunt rosa
mundi.
Nemo perennia construit atria, terrea cuncti.
Pingimus atria, turba nefaria, gens Chananæa.
Atria marmore, forsitan arbore structa Sabæa.
Pingimus

Pingimus atria, Chriſtus ad oſtia noſtra gemiſcit.
Nos dape tendimur, & bene paſcimur, ipſe fameſcit.
Nos malè crapula ſolvit, agit gula, tibia frangit.
Ille ſitit,gemit,æſtuat,& tremit, & grave plangit.
Nos grue veſcimur, anſere paſcimur illéque neutro.
Ah reus ungitur,& Deus angitur ordine pulchro.
Nos ave,nos ove,nos ſue,nos bove veſcimur, hic non.
Pectora ſaxea ſtringit,& ærea viſcera dæmon.
Gens ſumus ebria, gens ſumus impia, dæmone plena,
Peſſima natio,prava creatio,gens aliena.
Fercula plurima, quærimus optima pocula ventri.
Vilia mittimus,immò relinquimus eſurienti.
O' mala ſecula: cur? quia ſingula nunc vitiantur.
Illáq; luxibus, improbitatibus iſta ligantur.
Dis ſtat, inops ruit: hunc populus ſpuit, excolit illum.
Stultus habens fremit, inque probos emit ipſe ſigillum.
Jus perijt: quia lata patet via luxuriei,
Garrulitatibus, ebrietatibus,ingluviei,
Carnis amantibus,ordinis hoſtibus invidioſis,
Concubitoribus,irreverentibus, ambitioſis,

 Nulla

Nulla nefaria, nulláq; turpia non peraguntur.
Remodò prodita , non prius agnita voce geruntur.
Ingenialia vel furialia crimina fiunt.
Illa novissima tempora pessima, jam patefiunt.
Nam meretricia penè cubilia nil reputantur,
Et venialia, quæ genialia sunt vocitantur.
Frons perit omnibus in lue stantibus, improbra stratis.
Quando boni minus? amplior aut sinus improbitatis ?
Quando nefaria plus dominantia, quando malorum
Copia latior? aut fuit arctior area morum ?
Si Deus impia, si capitalia cuncta juberet,
Quis vigilantius illa, quis amplius ista teneret?
Si scelus addere, sobria spernere jure liceret,
Quis magis adderet hoc, ea sperneret, atque caveret ?
Per varium genus , omne caput Venus una sagittat.
Quisq; salubria, nemo nefaria promere vitat.
Ob mala grandia, si modò præmia celsa darentur :
Non mala promptius , aut bona tardius appeterentur.
Dum loquor, horreo: non scio , non queo, non volo fari ,
Fanda , nefandáque , quis queat utraque vel lachrymari?
Quæ rogo flumina , quævè volumina sunt lachrymarum
Sufficientia,

Sufficientia, tergere turpia tot furiarum?
Si furialia dixero *talia*, non erit æquum.
Si scelus, est minus, heu *jacet* eminus actio
legum.
Carmen *arans* fleo, carmine non queo, non
queo prosa,
Tot *mala* dicere, *probra* retexere, ferre
probrosa.
Plurima sunt *ea*, desit eis *mea* vox referen-
dis.
Non *ea* vocibus, est pudor omnibus his rete-
gendis.
Deficiet scio *charta*, locutio, tempus, & *hora*,
Si volo *tangere*, si reprehendere vel *graviora*.
Musa quidem *mea*, *jam* nimis est *ea* *lassa* notare.
Non *tamen* est *ea*, progenies *rea* *lassa* *patrare*.
Ergo *parum* stylus, isteque *dactylus* hic re-
primetur.
Secula *perdita*, post quoque *subdita* *Musa* lo-
quetur.
Alta per *æquora* currimus, *anchora* nunc
jaciatur.
Vis ubi lenior, *auráque* gratior, ibit, *eatur*.
Perdita *secula*, moribus *æmula* *prævaluerunt*.
Sunt sine nomine, qui sine crimine vivere quæ-
runt.
Aurea *secula*, *pacis* & *oscula* deperiere.
Secula *fœtida*, *secula* *perfida* sunt modò verè.
Secula *fœtida*, non voco *sordida*, sed voco
sordem:
Sordibus *afflua* non *voca* *mortua*, sed voco
mortem.

O' mala tempora,perfida pectora nobilitantur.
Fraude carentia,criminis inscia,bruta vocantur
Fraus decus obtinet, arceque præminet, arce potitur.
Quartus homo sine mentis acumine vix reperitur.
Fraus ove simplice,fraus dupla duplice compta colore,
Fert dupla pallia,continet impia corde,mel ore.
Diploidem gerit,intus enim ferit, in cute ridet.
Scorpio fraudibus interioribus, ore revidet.
Hei mihi,quo ferar? & queror & querar, ista querelæ
Subdita tempora persequar, ulcera clausa medelæ.
Ardeo carpere, cogor & edere non sat honestè,
Plena furoribus,hæc ea sordibus omnia peste.
Nunc Venus æstuat,ira tumultuat, æs dominatur.
Norma relinquitur,unio scinditur,ordo fugatur
Stat petulantia,deest reverentia,luxus inundat.
Sobrius indiget,hypocrisis viget,error abundat
Præminet uncia,præest opulentia,servit egestas
Floret inertia,flet pia gratia, mœret honestas.
Flet sacra regula,venditur infula, Symon amatur.
Fictio judicat, aureus emicat,arca minatur.
Qui tumet, enitet, ars pia delitet, impia claret.
Pauperies ruit,affluus affluit, aridus aret.
Jus crucifigitur, ultio queritur, arma renident.

Justior

Justior exulat, improbus ejulat, improba rident.
Gratia deperit,& pudor interit,occidit ordo.
Ordo relinquitur, & malè psallitur in decachordo.
Mens pia vapulat,utilis exulat,utile marcet.
Recta remissio,rem simulatio,jus,dolus arcet.
Ad probra curritur,utile perditur, aret honestum.
Ad probra cedere, turpeque vivere, dat modò quæstum.
Stat schola criminis, occidit ordinis, ad mala statur.
Impius ungitur, ah pius angitur, & lapidatur.
Falsa dat oscula, vera pericula frater amico.
Lex sacra rumpitur , & malè subditur æquus iniquo.
Stant mala secula: stant probra, stat gula, fraus stat, abit frons.
Dis stat, inops jacet, heu sapiens tacet, angitur insons.
Quisque fluentia,nemo manentia curat habere,
Nemo salubria, spiritualia nemo videre.
Gens viget impia, vestéque fulgida , gens tenebrarum:
Cui sua condere , non sua tollere , nil dare clarum.
Quomodo vestibus, hæc ita mentibus est variata?
Est variabilis,est reprobabilis, est reprobata.

Adde quod algida corde,quod invida,plenáque fellis.
Mutuò diſſidet, opprimit, invidet, eſtque rebellis.
Mundus ad omnia volvitur impia,ſordibus hirtus.
Crimen inhorruit,unica corruit, unica virtus.
Innumerabile,debile,labile,ſtat genus Evæ.
Dic mea tibia,tolle tragœdia flebile væ, væ.
Gens malè libera,tendit ad infera calle ſiniſtro.
Nil ſibi debile,nil ſibi flebile ſole ſub iſto.
Sermo Dei tacet,ordo perit,placet alea fati.
Eſſe pium pudet,omnis homo ſtudet impietati.
Per caput illius iſte, vel iſtius ille licenter
Jurat & abnuit, quòd eruit irreverenter.
Depoſitum negat, utque ſcelus tegat, eſt ſceleroſus.
Non timet abdere rem, neque tangere ſacra probroſus.
Quam malè conſcius evolat ocyus, occupat aras.
Denegat abdita, quæ ſibi credita ſalva putaras.
Per ſua lumina, per ſacra numina, per crucifixum
Jurat alacriter, atque procaciter urget idipſum.
Pejerat heu leve, ſicque lucrum breve fert homo fictus.
Nec ſibi criminis ultio, fulminis irruit ictus.
Nec ſibi pes dolet,ambulat ut ſolet alite dextro.
Omnia proſpera dat Deus,aſpera nulla ſceleſto.

Stas

Stas tua quærere, quæris & addere monomachiam.
Duplice corpore ſuſpicis aſſore ſponteGoliam,
Te ferus opprimit, & tibi comprimit ora, manusque,
Vicit: inania ſunt tua prælia, cauſaque, jusq;.
Fit ſibi frigida, fit ſibi fervida limpha probamen,
Id quoque perferet, haud ſibi proferet eſſe gravamen.
Omnia debita ſunt ſibi reddita voce, nihil re.
Ille tenet ſibi: quam repetis tibi rem, tenet ille.
Tranſeo carmina tactáque lumina ſortilegorum.
Tranſeo carmina, vel ſpeculamina mechanicorum.
O' facinus grave: vir putat ex ave fata doceri.
Pennaque vulturis exprimit auguris omen haberi.
Dextera plaudere, lævâque plangere pennula tradit.
Gracculus obviat, ille repatriat, ardea vadit.
Stella comas dedit, ille citò redit in ſua caſtra.
Fata ſcit inſcius, eſt liber illius ales & aſtra.
Hactenus hæc ſatis, ulterius ratis hinc mea tendat,
Quæ mala, quæ rea, quæ nigra, quæ mea vox reprehendat.
Mens modò conſcia fraudis, & inſcia ſorte ſub æqua.
Vt malus eſt bonus, eſt bonitas onus, ô via cæca.
Fratris amor ruit, atque Dei fluit: eſt modò ventris,

Curáque plurima corporis, ultima, nulláque
mentis.
Stat ſchola criminis, & ſitis inguinis atque
palati.
Damna pudor pavet, ah probitas favet im-
probitati:
Vir ſine crimine, lite, cupidine, felléque
pingui,
Eſt, neque mentior, eſt bove rarior ille tri-
lingui.
Ocyus aliger hircus, olor niger invenientur:
Antè triceps pecus, atque biceps equus exori-
entur.
Crimine plectitur, & cruce ſternitur æquus
iniqui,
Et minij modus, & reprobi probus, ordóque
ficti.
Gens Belial ſine lege vel ordine, quæ ſua
quærunt,
Quæ Domini minus, eſt pudor eminus, æqua
ruerunt.
Plura nefaria, major inertia non fuit unquam.
Qui roſulas petit, innumeram metit heu
ſaliuncam.
Nemóque talia, tanta, tot impia vellere curat.
Nemo ſat imminet, ut bona ſeminet, & ſcelus
urat,
Sobrius actibus eſt gravis omnibus, omnibus
unus.
Nilque ſuperfluus, eſt quaſi mortuus, eſt
quaſi fumus.
Vix ſtat in agmine, legis agens bene jota vel
unum.

Qui

Qui reprobet probra, qui faciat bona, nullus ad unum.
Stant fera vulnera, nulláque dextera, vel propè nulla.
Vel mala vellere, vel bona ponere ſuſcipit ulla.
Grex flet amarius, eſt operarius in grege rarus.
Pontificum ſtatus excidio datus, extat avarus.
Stertite, ſtertite gutture ſoſpite pſeudomagiſtri
Veſtráque ſtent prius, ordo jubet pius, hinc lucra Chriſti.
Solvit inertia, luxus & ocia cum grege clerum.
Nunc gula regula, vox ſacra fabula, fabula verum.
Vis bona dicere, diceris edere geſta novella.
Riſus es omnibus, & quaſi cornubus hirta capella.
Jus ruit, æs viget, ah piget & pudet eſſe pudicum.
Floret honoribus, affluit omnibus auſus iniquũ.
Auſus atrocia, neſcius ocia ferre, vir extat.
Exprimit Hectora, qui fera pectora, crudáque geſtat.
Accipis atria, nomina, prædia, ſi ſcelus audes.
Pocula mellea dat, replet horrea, tendere fraudes.
Vis tibi culmina, ſuggere crimina, cernere pare.
Da, rape, fer, preme, frange, tona, freme, frange, minare.
Crimina culmine, culmina crimine plena feruntur.
Fers fera cornua, culminis ardua quære, dabuntur.

 Barba

Barba vocabere, ſceptra lucrabere, ſi mala quæris.
Si mala præficis,& mala deijcis, antefereris.
Vnus iners homo,nomen habes Dromo, ſi malè vivis.
Si malè rex eris, æquiparaberis ordine divis.
Tiſiphone fremit, heu nocet, & premit eſſe benignum.
Ars mala te beat, atque ducem creat, aut duce dignum.
Arce levaberis, unus eras, eris alter opimus,
Altus honoribus exterioribus,ordine primus.
Si prior incipis impia,principis ad latus ibis:
Principis ad latus ibis, eris ſtatus his, tremor illis.
Conſiliarius,atque vicarius,& lateralis
Regis habeberis,atque foveberis illius alis.
Qui bene vivere vult,ruit aggere: qui ſecus, eſt rex.
Frons perit & pudor, ira ſtat & furor, ordo flet & lex.
Impatientia, fraus, petulantia, fert,petit,urit,
Schiſmata, fœnora, ferrea pectora, mors ita currit.
Mortua regula,fictio,crapula,flet,tegit arcet,
Vivere noxia,cor leve,ſobria,jus ita marcet.
Qui bona ſpernere, ſpreta retundere non dubitavit.
Qui mala prætulit,is lucra retulit, æs cumulavit,
Accipe,tertius eſt tibi filius,ille probatur.
Qui bona deſpicit, & mala præficit, & mala fatur,

Qui

Qui crucis omnia, diváque brachia, membráq; jurat.
Se quoque grandior, & sene cautior ad mala durat.
Cætera pignora, vivere corpora mortua mœres
Cui nihil est Deus, hic ais est meus, hic erit hæres.
Qui sine cornibus, aut sine cordibus appetit esse
Vel sine dentibus, eligit omnibus iste subesse.
Qui furit & ferit, ille decus gerit, ille fit ille.
Qui timet, & tacet, hic flet, eget, jacet umbra favillæ.
Dum loquor hæc, fleo, flendo dolens eo, plango, gemisco.
Hæc fleo culminis, illa libidinis oblita visco.
Secula culminis, hinc amor inguinis inde sagittat.
Stat Venus ignea, nemoque carnea vincula vitat.
Heu modò qualia, quanta, quot impia, quæve nefanda.
Gens agit ebria, turba præimpia, turba cremanda.
Membra libidine, pectora crimine, polluit, urit.
In genialia, laxa per omnia crimina currit.
Omnis in omnia deniq; turpia, gens modò jurat.
Quisq; nitescere, carne requirere carnea curat.
Ordinis agmina claudite lumina, nec minus aures.
Me rogo credite, parcere credite res stabulares.
Parcite credere quæ pudet ædere, sed tamen ædam.

Horrida

Horrida nomine, plus mala crimine, crimina
quædam.
Heu malè publicus eſt Sodomiticus ignis & æ-
ſtus.
Nemo ſcelus tegit, aut premit, aut gemit eſſe
ſceleſtus.
Ad fera crimina claudite lumina quotquot ad-
eſtis.
Fit furor impius, eſt ubi conſcius, eſt ubi teſtis,
Ingenialiter & furialiter ille fit illa.
Juno relinquitur, ipſa repellitur & Petronilla.
Plangite ſecula, plangite ſingula crimine plena.
Mars maris immemor, ô furor, ô tremor,
eſt ubi Hyena.
Aſpice ſordibus ingenialibus aſpice multos.
Quo ſcelus ordine, quo noto nomine? nem-
pe ſepultos.
Criminis iſtius, heu ſonat impius horror ad aſtra
Nuda fit actio, vociferatio, mens geme caſta.
Mutuò conſcius ille fit iſtius, illius iſte.
Eſt propè mortua lex tua, vox tua, ſors tua
Chriſte.
Fex Sodomæ patet, innumerus ſcatet heu Ga-
nymedes.
Dum ſcelus exhibet, hæc fera quaslibet incolit
ædes.
Prima ſedilia, culta cubilia ſunt Ganymedis.
Juno relinquitur, & capra ſubditur, ô furor
hœdis.
Si numerum gregis iſtius exigis, ocyus edo,
Eloquor ocyus, explico promptius ore tra-
gœdo.

Quot

Quot ſeges hordea, Pontus & oſtrea, littus
harenas,
Cicladas Adria, thura dat India, Tybur avenas,
Caſtra ſuburbia, quippe ſacraria non minus
undant.
Hac lue ſordida, proh dolor, horrida cuncta
redundant.
Mundus iners perit, horrida vult, gerit horri-
diora.
Sulfure paſcitur, eſſeq; cernitur una Gomorra.
O' furor ultimus, eſt modò plurimus Her-
maphroditus.
Reddit inania conjugialia pacta maritus.
Ingenialia crimina ſtantia regula mœret.
Lepra minoribus & potioribus iſta cohæret.
Lex Genij perijt, uſus & interit hac lue notus.
Neſcit eam pecus, aut canis, aut equus, aut ho-
mo totus.
Semimares voco, ſemiviros probo ſe maculan-
tes.
Debita ſexibus inferioribus heu ſibi dantes.
Hæc nimis effera crimina cætera juſtificarunt.
Mirrháque, caſtáque Phædra, Liciſſáque jam
ſibi plaudunt.
Gens animalibus inſipientibus aſſimulanda,
Plus animantibus inſipientibus eſt reprobanda.
Beſtia non ſapit, & tamen hic capit, hic ratio-
nem.
Ætheris agmina, celſáq; numina quando videtis
Talia crimina, cur fera fulmina cur cohibetis?
Ætheris agmina celſáq; numina num vigilatis,
Crimina talia, tot furialia, quòd toleratis?
O' Deus,

O' Deus, ô Deus, ecquid in his reus est tuus orbis?
Cur tibi perditus, & sibi traditus his modò morbis?
Cur tua plasmata sunt vicio data tam furiali?
Cur tua plasmata crimine perdita, crimine tali?
Vos mea lumina, tam fera crimina stantia flete.
Flete per omnia, gens bene conscia, flendo dolete.
Luxus & ocia, crimẽ alentia, proh dolor undant.
Plurima turpia, ne loquar, omnia nunc superundant.
Omne bonum ruit, omnis homo fluit, in probra fractus.
Omne ruit decus, in pecudes pecus est homo factus.
Mors premit omnia, vitáq; sobria clamat, Obivi.
Facta vigent rea, mortua lex mea, parcite divi.
Clamat amor pius, ô fera totius orbis imago.
Heu modò qualia, quanta, quot impia, quævè vorago.
Crimina plurima, crimina pessima sunt patefacta.
Nec prius agnita, nec prius edita, nec prius acta.
Polluit aera, dicere tam fera, tam ferienda,
Tam stabularia, tam furialia, tam reticenda.
Plus pudet edere, desino solvere talibus ora.
Plurima diximus hic, neq; novimus his graviora
Jam mea pagina, talia crimina jam reticescat.
Lubrica pangere, cor sine pondere frangit, inescat.
Quis probra talia, tanta nefaria, totque venena

Quis ferat ædere? non ego paupere pauper a-
vena.
Et Maro deficit,hic neq; sufficit os Ciceronis.
Naso retunditur,arida redditur unda Solonis.
Ora trilinguia vociferantia des mihi centum.
Non tamen omnia proloquar impia facta
nocentum,
Musa tamen mea,percutiens ea,carpere tendet.
Si nequit impia sternere, stantia vel repre-
hendet.
Nam modò quis sine mortis imagine? num gra-
vis ætas:
At levis est ea,nec vetitis rea vult dare metas:
Num puer?at puer est vicio celer,est sine loris:
Num juvenum valor?at juvenes calor urit amo-
ris.
Num vir?at omnia facta virilia vir fugit omnis.
Corda fleant pia,cur?quia stat via perditionis,
Stat via latior,area largior impietatis,
Ad scelus omnibus omne ruentibus, ad mala
stratis.
Gaudia lubrica, lucra volatica sola putantur.
Ut mare fluctibus, omnia pestibus exagitantur.
Vela Nothus ferit,ecclesiæ perit unica navis.
Credita patribus, ad bona segnibus, ad mala
gnavis.
Mersa reatibus,orba regentibus,acta procellis,
Obruta fraudibus,obruta litibus,obruta bellis,
Dormit in æquore, despicit affore cœlica
dextra,
Scandala fratribus intus agentibus, hostibus
extra.

Nemo

Nemo per æquora remus & anchora navis habetur.
Crimine mergitur, ordine ſcinditur, hoſte repletur.
Per mala plurima, per probra maxima merſa dehiſcit.
Vetus agens mare, perſtitit hanc malè vincere, vincit.
Vox ſonat anxia, celſa potentia ſurge, perimus.
Nos fer & erige, ne ſine remige gens tua ſimus.
Se ſacra concio, ſe generatio ſacra reflammet.
Clamet ad æthera, crimine libera, mens pia clamet.
Surge pijſſime, flamina reprime, frange procellas.
Des pia pectora, des bona tempora, crimina pellas.
Eſto memor gregis, hunc rege, qui regis ætheris aulam.
Reprime flumina, tantáque flamina confer in aulam.
Pax Aquilonibus, aufugientibus aſſit ab Auſtro.
Integra deforis, ipſáq; pectoris inſita clauſtro.
Surge quid omnibus heu pereuntibus in lue, dormis?
Vivitur omnibus & ſine legibus, & ſine normis.
Parca perit manus, exurit orphanus, hoſtis abundat.
Das mihi, das tibi, quiſque cavet ſibi, ne ſua fundat.
Grandia pondere lucra recondere quiſque laborat.

Æs

Æs quasi numina gens Adamantina servat,
adorat.
Quisque pericula, moribus æmula vult, lucra
dico.
Roboralanguida, floréq; florida lilia sicco.
Ordinis & valor, & rigor & calor est tepe-
factus.
Proh furor ultimus in lucra vendimus ora,
cor, actus.
Ad bona claudimus, ad mala vendimus os-
que, manumque.
Plebs emit inscia, stulta peritia vendit utrumq;.
Stulta peritia lucra scit impia, cætera nescit.
Vatis imagine, carnis acumine quisq; tumescit.
Quis modò cœlica gaudet ut ethnica scrip-
ta doceri?
Ora quis edere, corde reponere, carmina veri?
Qui bene disputat, & cito computat, arte scho-
lari,
Non petit actibus, at petit artibus Abba creari.
Garrula Socrate, curua sophismate, qui ge-
rit ora,
Iactat acumina, vult sacra culmina se potiora.
Per sua grammata sive sophismata pontificatur.
Nec fit ad æthera pons, sed ad infera porta
levatur.
Qui trivij leve, quadrivij breve dogmata le-
git.
Ardua postulat, arduus ambulat, ut leo per-
git.
Fert fera pectora, qui scit Agenora, qui
Melibœum.

Qui metra Sapphica, qui mala civica, qui
Canapæum.
Priſtina grammata, priſca pœmata, priſca
Thalia,
Sunt modò maxima, ſuntque peroptima
philoſophia.
Gregorius meus, immò tonans Deus illius ore,
Serò revolvitur, & citò clauditur abſq; favore.
Sed ſua gloria ſecla per omnia fine carebit.
Mundus eum canet, & ſua laus manet, atque
manebit.
Jam ſtylus aureus ejus, & igneus haud morie-
tur.
Aurea pagina per ſua germina ſuſpicietur.
Ille Platonibus & Ciceronibus ad Styga raptis,
Raptus ad æthera, vivit ad ubera ſtans deitatis.
Hic ſpecialiter, atq; fideliter eſt relegendus:
Sed ſtylus ethnicus atq; poetius abijciendus.
Dant ſibi turpiter oſcula Juppiter, & ſchola
Chriſti.
Laus perit illius, eminet iſtius, eſt honor iſti.
O' mala ſecula, cur? quia fabula præeſt modò
vero.
Vita ruentibus eſt modò plebibus, eſt mala
clero.
Militat inguinis atq; libidinis una voluptas.
Cumque pudor labet, ipſa vias habet unica
ruptas.
Non modò plumbea, ſed jacit aurea tela Cu-
pido.
Perdidit omnia lite ſuperbia, ſorde libido.
Hæc duo retia ſunt capientia nunc propè
cunctos,
Tam

Tam ſibi crimine, quàm ſibi ſanguine, carné-
que junctos.
Hæc draco ſuggerit, hæc caro digerit, his cor
obedit.
Hæc meditatio dextra, locutio, vult, agit, edit:
Sic ſcelus exerit, explicat, ingerit, Eva, vir, hoſtis
Mens jacet ignibus uſta patentibus, uſta re-
poſtis.
Turpia quilibet eligit, exhibet, explicat, audet:
Audet, amat, gerit, indicat, exerit, indeque gau-
det.
O furor, ô tremor, ô quid agam? cremor
intrò tacebo?
Corde tacens coquar, improba tot loquar?
haud cohibebo.
An dabo verſibus? hinc ego pluribus ipſe jo-
coſus.
An loquar auribus? ibo nocentibus hinc o-
dioſus.
Res fera dicere, ſed reticeſcere crimina, crimen.
Mens mihi dicere, non reticeſcere, mens mihi
crimen.
Sunt modò ſtantia, criminis omnia crimen
ubique.
Nil Venus aut gula frena tenent, ſua calcar
utrique.
Quod libet, hoc licet, inſtat ut explicet
improba quiſque.
Plebs it euntibus ad mala patribus, error u-
triſque.
Pontificum vigor aret, abit rigor, arida dextra.
Mens mala cogitat, os ſcelus incitat intus &
extra.

Cessit episcopus, estqu; Dei domus absque decore.
Zelus & igneus, arcus & æreus absque rigore.
In mala stemmatis haud anathematis insonat arcus.
Stirpe tumentibus, ære fluentibus, est citò parcus.
Est citò flexilis, in mala nobilis, & generosi.
Pertinet illius, æs, genus istius, & scelerosi.
Nullius ulcera perfodit aspera vox, face zeli.
Crimina maxima sunt, probra plurima, plurimus Heli
Se simul obruit, is quia voluit acta suorum.
Et pater occidit, & bona perdidit illa bonorum.
Jezabel impia ducit in invia, nullus Helias,
Quo duce justior, accumulatior hospite fias.
Scala colentibus infima patribus ecclesiarum,
Mors furit intima, nempe gravissima mors animarum.
Res lachrymabilis, est via præsulis, ut via plebis.
Secula consule, secula præsule nulla videbis,
Si bona promere, cætera tergere præsulis extat.
Fugit episcopus, est mitra, deest opus, hinc ea præstat.
Si ducis est bene subdita ducere, dux modò nemo.
Si ducis est bene subdita ducere, dux perit ergo.
Rex caret indice, dux grege, grex duce, plebe sacerdos.

Plebs

Plebs patre, plebs ruit , & dominos luit arte
superbos.
Agmina nescia cogis in impia, tu draco cogis,
Probra foventibus atque faventibus his peda-
gogis.
O'nigra lachryma sunt gregis optima quæ-
que vorantes.
Nocte canes sine sollicitudine, luce latrantes.
Quomodo culmine sunt ita crimine sæpe prio-
res.
Infatuant malè corda suo sale, schismate mores.
Cæcáque lumina dant super agmina cæca du-
catum:
Qui præit,& subit, in foveam ruit, inque rea-
tum.
Hos vigiles nego, damnoque non ego, sed sua
merces.
His timor edere jus, probra cedere, tergere
feces,
Urere putrida, tollere morbida, quærere fra-
ctos.
Hos satanæ dare, quos liquet in mare mortis
adactos.
Verba minacia, facta repacia ferre, ligare,
Fluctibus obvia tendere brachia , pro grege
stare.
Grex pius esurit,atque fames furit unica verbi.
Pauca mali sine fructificamine dant lata servi.
Lingua probabilis,est reprobabilis actio patrũ.
Janua clauditur his,neq; dicitur euge beatum.
Dogmata cœlica rarò famelica turba docetur.
Nec lucra stantia,sed pereuntia lucra monetur.

Dum bona negligit, impius eligit ordo regentum,
Abdere ſtercore, quàm grave fœnore ferre talentum.
Sæpe neophytus, aut puer obſitus aggere culpæ,
Frons ſine lumine, plenáq; crimine, plenaque vulpe,
Præſit honoribus, & pater omnibus eſt adoleſcens.
Nec ſene tempora, nec patre pectora laxa coercens.
Is ne ſtudet precor eccleſiæ decor ac paranymphus,
Panis egentibus, & ſitientibus affore cyphus?
Qui lucra colligit, & malè porrigit illa miniſtris,
Qui puerum ſapit, his dat, eis rapit, omnis in iſtis
Scit tibi profore, vel bene præſore, qui ſibi neſcit?
Cui gena maſcula, barbáque primula vix bene creſcit.
Turba neophyta fert ſacra vendita, res mala talis.
Eſt modò regia, cras ſibi gratia pontificalis.
Mane vir aulicus, aſpice, clericus eſt modò tonſus.
Ventris epiſcopus, eccleſiæ procus eſt, neque ſponſus.
Ad ſacra culmina deniq; crimina ſuſcipiuntur.
Sobria pectora, ſanáque tempora reijciuntur.
Horreo dicere, parco retexere, vito profari,

Plurima

lurima quæ scio, cognita nescio sat lacrymari
)btinet atria pontificalia fœda juventus.
:orpore lubrica, corda volatica, quomodo ventus.
:larus origine, sive propagine clarus avita,
xpetit atria pontificalia vi, neque vita.
anguine nobilis, & minus utilis ad lucra moris.
anguine dimicat, hoc sibi vendicat, illud honoris.
)uilibet improbus extat episcop9, abba creatur
'i, precio, prece, dignus homo nece, sceptra lucratur.
'ullus ei timor, haudq; suæ memor, est aliarũ,
'on sine Simone, sed sine canone dux animarũ.
Iox docet inscius, & sibi nescius ipse præesse,
ſt alijs via: si tamen est, quia dicitur esse.
)se laboribus, ipse reatibus, est fuga, fulcrum.
Iuic replet altile, ventris inutile mane sepulchrum.
d lepores probus exit episcopus, accipitratur.
opula solvitur, & fera quæritur, atq; citatur.
rgo nitens equus addit ei decus, atq; decorẽ,
uo neq; Græcia, sed neq; Thracia det meliorẽ.
iles ob ambulat, ut latus excolat associatus.
)rte nec unicus est sibi clericus allateratus.
ım tuba detonat, & nemus intonat, Echo resultat.
ıcidit obvia damula retia, quam fuga mulctat.
:rò latrantibus, exilientibus hinc repedatur.
ox subit algida, cœnaq; splendida nocte paratur.
aupo Falernica, vel Mareotica vina refundit.

Cœna fit afflua, paſtor ad ardua fulcra recumbit.
Eſt cibus undiq; tunc ibi deniq; paſtor habetur.
Vera vocabula paſta cibis gula, re profitetur.
Sed ſua paſcua, non niſi menſtrua ſunt animarũ,
Soláque funera, ſoláq; munera primitiarum.
Quid mora? paſcitur, eſt, quia dicitur, eſt ſibi paſtor.
Aſſa ſubit fera, caupo parat mera, cætera piſtor.
Cinctus agit coquus, ipſe nitet focus, omnia rident.
Atria lumine, nec minus agmine plena renident.
Sunt olovitrea, nec minus aurea vaſcula coram.
Hic data fercula, ſunt ibi pocula, faſtus ad horã.
Damula manditur, inſuper additur altilę craſſũ.
Additur altile, menſa volatile ſuſcipit aſſum.
Vina fluunt mera, firmior eſt ſera, plorat egenus
Ventris epiſcopus ordine reprobus eſt, dape plenus.
Surgit homo ſatur ad cyathos, datur inde recurſus.
Fit nova potio, cui benedictio fit nova rurſus.
Gutture ſoſpite, ſtantéque gurgite ventris anhelat.
Geſtáque ſtrennua narrat, & ardua, corda revelat.
Nectare plenior, & dape pinguior eſt Epicurus.
Hac teritur cruce, pro grege, pro duce vota daturus.
Ad penetralia, ſtratáq; mollia ſerò vocatur.
Lampas, & aureus hic ſibi cæreus antè locatur.
Serica pallia, fulcráq; mollia vernula vertit.
Carneus hic globus, et reprobus probus ad probra ſtertit.

Manè

'anè fremit domus ecclesiæ, procus exit ad ædes,
cclesiam petit, ut minimum petit, est sibi sedes
rande tonantia, pontificalia verba perorat,
ectoris aspide, mens rea jaspide, dextra laborat
ıde gregem præit, hinc Aaron vehit, & diadema.
litra caput colit, atq; manum polit Indica gemma.
'ro patre, præsule : pro duce, consule : pro grege, pro se,
Non satagit prece, nec rapit à nece, flendo suos, se.
'arcáq; notio, parcior actio legis eidem.
Voce Deum probat, actibus improbat, improbus idem.
Vox eget actibus, actio vocibus, ordo labore.
Vivat uti monet, osque manu sonet, & manus ore.
ŝit sacra regula, quem regit infula pontificalis.
Debile fulciat, & rude nutriat omne sub alis.
Culpa patrem sciat, actio sentiat æqua ministrum.
Ordo parem sciat, actio sentiat orba magistrum.
Laus sibi tortio, pœna probatio sit reproborum.
Claustra gregi struat, & vitium spuat haud viciosum.
Scala sit ætheris, arcáq; fœderis, hostia viva.
Quos foris asperat ultio, perferat intus oliva.
Pax patre, judice, fraus, tumor obice, grex patre tanto
Floreat exulet, occidat, ambulet ordine sancto.

 Virgáque

Virgáq; ferrea frangere terrea vaſa minetur,
Increpet, arguat, obſecret, inſtruat, auxilietur.
Vitet inutile, quin ſuper utile ponat honeſtum.
Nocte gelu ferat, atq; die gerat, ut Jacob æſtum.
Sint vigilantia, ſint ſibi neſcia lumina ſomni.
Sit ſinc vulnere mens, ſine munere ſit manus omni.
Vox logion ferat, & labor inſerat hinc humerale
Gallus eat bonus, aſſit ei ſonus oris & alæ,
Quæ reticeſcere, quæ quibus edere, cur, ubi, quando,
Proſit, oporteat, haud malè torpeat in meditando.
Larga manus ſerat, haud animam gerat actus avaram.
Mentis aromata, vel thimiamata portet ad aram
Sit ſacra buccina, vivâq; pagina ſit ſpeculator,
Præ grege gaudeat, in grege luceat, auctus auctor &.
Pictor imagine, ſignifer agmine, dux grege ſcitur,
In grege dux placet, in duce grex jacet, aut ſtabilitur.
Eſt bona filia, notio, gloria, gemma parentis,
Plebs bona præſulis, urbs bona conſulis, ars bona mentis.
Secula priſtina non modò culmina non rapiebant:
Sed ſibi præbita, non ſibi debita, nil reticebant.
Patria dextera qui regit æthera cum peteretur,
Rex fore noluit, ut liber inſtruit, & profitetur.
Noluit extima, qui Deus intima regna gubernat.
Spernet

pernet homo reus, id quod homo Deus, & bene ſpernat.
ubdat honoribus interioribus exteriores.
Ion ſteriles emat, at ſteriles premat orbis honores.
ed quis eos premit? omnis eos emit, inſtat emendo.
nſtat, it, æſtuat, atq; tumultuat hæc ſatagendo.
Iinc fera ſchiſmata, dum diademata ſacra petuntur.
Nec bene præbita, ſed malè vendita præripiuntur.
Eccleſiaſtica dat manus aulica, juſſio legum.
ſacra relinquitur, atq; requiritur impia regum.
Cœlica munera, quàm grave dextera dat laicalis
Dat data cœlica, vox prius aulica, poſt ſynodalis
Grandis abuſio, regia juſſio prævalet, itur.
Sic homo culmine, ſi minus ordine, lite potitur.
Munera munere cœlica tollere ſtat modò cuiq;.
Qui dat & accipit hæc, malè deſipit, error utriq;
Hæc ſine Cæſare, ſacra jubet dare gratia gratis,
Ne malè venditor ille ſit, inſtitor hic pietatis.
Heu draco fulmina per ſacra culmina ſpargit ubique.
Primò patres capit, inde gregem rapit, inſtat utrinque.
Pacis ovilia, ſacráque munera Chriſte tuorum,
Dum videt, invidet, inſtat, & obſidet agmen eorum.
Stat modò Mammona, defleo Symona jam reparatum.
Stant lucra Symonis, alea dæmonis in grege patrum.

Sceptra

Sceptra magis gerit,atq; gravi ferit omnia morte.
Vivit adhuc magus,atq;ſuo vagus errat in orbe,
Vivit & iminet, ut mala ſeminet,& bona vellat.
Ducat in invia,ſuggerat impia,recta repellat.
Vox rata Simonis , irrita canonis ecce tenetur.
Vivere mortuus hoſtis,& arduus ire videtur,
Simonis oſſibus in ſenioribus eſt data tumba.
Gratia venditur,unica tollitur ære columba.
Stat furor editus,ordóq; perditus,imò ſepultus.
Venditor hinc ovis,inde ſacri bovis eſt modò multus.
Simplicitas ove,ſermo Dei bove ſignificatur.
Venditor illius omnis,& iſtius æde fugatur.
Venditor eſt reus,huic loquitur Deus ipſe, Recede.
Hunc fugat agmine,deijcit ordine,pellit ab æde.
Vendis inanibus utraq; laudibus, utraq; donis.
Quod ſuper his petis,aure lucrum metis,ore reponis.
O' via devia, non modò gratia gratis habetur.
Vi malè tollitur,oreq; poſcitur, ære tenetur.
Gratia vendita, gratia tradita vi feritatis,
Non fore gratia, ſed violentia cernitur actis.
Gratia gratia,quam parit unica , ternáq; marca.
Gratia nomine ſtat,jacet ordine, fons ſuus arca.
Gratia quæritur ore,capeſſitur ære petita.
Eſſe quod eſt nequit , hanc tribuens petit,es Gyezita.
Ære magus perit,æs Gyezi gerit,ambo nefandi.
Ille repellitur,iſtéq; cæditur ulcere grandi,
Mors manet illius,& color iſtius omnibus hærens.

Mens

ſens quibus eſt rea, per lucra terrea ſurgere quærens.
ic malè ſurgitur, hinc citò ſumitur alta ruina.
ſt gravis his thronus, hic honor eſt onus, hæc roſa ſpina.
ſt tibi ſarcina, qui tua crimina, ſive tuorum
ergere deſpicis, & minus aſpicis ad lucra morum.
ſt tibi gloria, qui mala propria, qui gregis æquè
tas ſtipe tergere, ſtas prece tollere nocte diéq;
' mala ſecula: venditur infula pontificalis.
egula perdita, praváq; ſemita, ſemita talis,
ratia venditur, emptio quæritur eccleſiarum.
uæ tamen emptio, ſacra redemptio fertur earum.
ens cupidiſſima, crimina peſſima, recta perorant.
imonialia nempe negocia voce colorant.
t ſacra vox ait, inde lupus trahit, hinc rapit agnos.
emo repellere, ſtat grege paupere flente tyrannos.
uiſquis ovilia ſpitualia paſcere debet,
aſcitur, accipit, his bona diripit, his ea præbet.
audet arundine, non moderamine pontificatꝰ.
iccus oves rigat, immeritos ligat ipſe ligatus.
ortua vivida, ſanáq; morbida ceſſit haberi.
ide lupum tremit, hinc furit in grege cleri.
unt ſibi mollia, non ſibi fortia corda leonis.
æret in obvia tollere brachia, parcere pronis.
umq; cadens cadat, ordine degradat, ordine ſtantes Degradat,

Degradat,invidet , atque labans videt ipse labantes.
Estque favoribus & popularibus undique linguis.
Expositissimus,ad mala plurimus, ad lucra pinguis.
Se malè possidet,atq; suæ videt haud bene famæ.
Cui tepor ordinis , atq; libidinis undiq; flamæ,
Hos premit,his favet,in mala nil cavet ipse relabi.
Vult celebrarier , atq; vocarier in grege rabbi.
Audit ave prior, huic thronus altior , altáque sceptra.
Primáq; fercula,primáq;pocula,prima cathedra
Crimina vindice,culpáq; indice non ruit illo.
De grege se fovet,his lachrymas movet , hinc crocodillo.
Lac sibi tollitur,atq; resumitur à grege lana.
Nec gregis ulcera flet , neque funera quatriduana.
Hos timor obstruit,& lupus irruit, intrat ovile.
Ille furens furit,iste manens fugit, hoc sibi vile.
Per sibi pervia pastor it ostia,fur aliunde.
Lex mala furibus his subeuntibus intrat abundè.
O' mala secula, venditur infula pontificalis.
Infula venditur , haud reprehenditur emptio talis.
Venditur annulus, hinc lucra Romulus auget & urget.
Est modò mortua Roma, superflua, quando resurget ?

oma superfuit, arida corruit, afflua, plena,
lamitat & tacet, erigit & jacet, & dat egena.
oma dat omnibus omnia, dantibus omnia Romæ.
um precio, quia jure sibi via jus perit omne.
t rota labitur, ergo vocabitur hinc rota à Roma.
uæ solet ubere laude gebascere sicuti Roma.
oma nocens nocet, atque viam docet ipsa nocendi.
ura relinquere, lucra requirere, pallia vendi.
æpe notarius est ibi carius emptus, ut illa
uæ cupis exaret, & sacra præparet ipse sigilla.
i tua nuncia prævenit uncia, surge, sequaris:
xpete limina, nulla gravamina jam verearis.
uam sapientia non valet, uncia dat tibi pacem,
ncia fœderat, uncia temperat ore minacem.
urea lamina dat tibi lumina cæca Quiritum,
stia pervia, verbáq; Tullia, cor stabilitum.
i datur uncia, stat propè gratia pontificalis.
int procul, hæc valet, hæc ibi lex manet, & schola talis.
rgo prior tua dextera mortua Roma probatur,
parsa per extera jam tua dextera, læva vocatur.
ives es, indiga: pinguis es, arida: libera, servis.
ibera subderis, æreq; venderis ipsa protervis.
æpe revenderis, hinc reprehenderis ore Jugurtæ.
ransita vocula, longáq; fabula persequitur te.
cilla vorax rapis, & cupis & capis, & trahis ad te.

Romæ

Roma ruens rota, fœda satis nota cauteriat te.
Gurges es altior, arca voracior, alta lacuna,
Insociabilis, insatiabilis omnibus una.
Quo bibis amplius, hoc inhiantibus huc date clamas.
Dic rogo sufficit, at mihi deficit, ipsa reclamas.
Si tibi det sua, non repleat tua guttura Crœsus.
Marca vel aureus amodo, non Deus est tibi Jesus.
Vrbs caput urbibus, alta Catonibus, inclyta Scauris.
Vrbs cupidissima, cur lucra maxima jugiter hauris?
Plus tibi Cæsare sustinuit dare Rex crucifixus.
Regna dat extera Cæsar, at æthera non nisi Christus.
Alta Catonibus ac Scipionibus invaluisti,
Robore fractior es, modò fortior ordine Christi.
Sub Jove florida, sub Jove fulgida, sub Jove dives
Sub cruce marcida, diruta, languida, sub cruce vives.
Indiga divite, languida sospite, diruta stante.
Es magis effluа, fortis & ardua, stas cruce dante.
Sub cruce tartara, sub Jove barbara mœnia sternis.
In Jove perderis, in cruce jungeris ipsa supernis.
Interius cluis, exterius ruis in dominatu.
Vrbs sine compare, sub duce Cæsare, subque senatu
Nunc aquilis ducis unica lux crucis unica præstat.
Cæsaribus Petrus, atq; dijs Deus altior extat.

Crux

Crux tibi prævia, crux tibi gloria, gemmáque frontis.
Certa redemptio, non cruciatio jam modò sontis.
Jam cruce crux caret, hæc tibi dux manet ad bona cœli.
Mors erat, eſt decus, eſt ſatanæ metus, arma fideli.
Roma Petro data, voce Petri ſata, ſubdita Chriſto.
Quæ noto carmine, cur bona crimine perdis in iſto?
Iſtud agis malè, quòd propè nil dare vis niſi danti.
Quod ſacra nomina das ſacra culmina lucra paranti.
Cur lucra reſpicis, & minus inſpicis acta magiſtra?
Petrus apoſtolus haud homo ſubdolus, horruit iſta.
Iſta perhorruit, inſuper obruit iſta colentes.
Corde Petrum gere, Roma vias tere recta ſequentes.
Plus tibi contulit, amplius attulit hic idiota.
Per ſacra retia, quàm tua Græcia, Græcia docta
Plus tibi profuit, & tibi præbuit illa ſagena,
Quàm Capitolia Cæſare fortia, rhetore plena,
Enſéq; Julius, oréq; Tullius, haud tribuerunt,
Quanta Petrus cruce, quique Petro duce te coluerunt.
Sunt tibi lilia, ſunt tibi millia multa roſarum,
Illa, vel has lege Roma nitens grege reliquiarum,

 Elo-

Eloquio schola, martyrio stola, pace ligustrum.
Te docet, induit, ornat, ab his ruit omne vetustum.
Te sacra pignora, sacráque corpora Roma perornant.
Te rosa sanguine, lilia virgine mente coronant.
Non sacra culmina dant tibi nomina vana Catonum.
Et Petrus extulit, & tibi se tulit ipse patronum.
Nomine prædita, crimine perdita, Roma stetisti,
Nunc petis æthera, serváq; libera subderis isti.
Cornelijs nimis, & Fabijs satis alta trecentis:
Altior istius, istius unius es documentis.
Ne reueres ruit, alter enim fuit & tibi Paulus.
Alter adest tibi vir, minimus sibi, cur? quia Saulus.
Deniq; pertulit ipse, quod intulit ob mala Sauli.
Saulus atrox ruit, hunc lavat & luit hostia Pauli.
Hi duo lumina, vel duo flumina jam paradisi.
Ad tua lumina sunt tua crimina tergere missi.
Hi tua mœnia reddere fortia plus potuerunt,
Quàm quibus edita primitùs, addita inde fuerunt.
E' quibus æmulus, impia Romulus arma citavit,
In sua viscera, jussit, & effera jussa patravit.
Roma resurgito, te tibi reddito, reddito Romá,
Cujus eras prius ordinis, illius exprime formá.
Quomodo corpora tunc, ita pectora nunc rege fracta.

Fracta recollige , devia dirige, fer labefacta.
Per fera prælia quæq; rebellia perdomuisti.
Pignora stragibus , & caput ensibus exposuisti.
Fac modò quod prius, ordo premat pius impietatem.
Virga piacula, crimina regula, lex levitatem.
Primitùs elige, postea dirige juris amantes :
Non lucra grandia, sed synodalia jura parantes,
Qui tua nuncia per pereuntia secula clament.
Nostráque frigida, pessima, fervida facta reflamment.
Sed facis hoc secus, ecclesiæ decus extenuantes,
Mittis in extera, tollere munera sola flagrantes.
Quem tua dirigit huc manus, exigit ille tributum.
Nec bona secula, sed bona fercula , molléque fulcrum.
Suetus ab ubere non nisi currere vel peditare.
Celtica curribus exit equestribus arva meare:
Qui modò gressibus ibat ovantibus incomitat9.
Militat arduus, & sibi confluus est equitatus.
Consiliarius, ipseque nuncius & lateralis,
Papa tuus præit, acta libri vehit huc Synodalis.
Hoc fremit hospite, sive satellite regia plena.
Clerus equestria vix animalia pascit avena.
erica pallia dat sibi Gallia, Roma caprinum.
rrat ibi pedes, ambulat hic eques in resupinum.
ens fluit obvia, fit sibi gloria pulchra videri.
rbs strepit , æs sonat , atque modos tonat huic schola cleri.
uctus in atria pontificalia molle recumbit.
ꝺcula præcipit, agmina suscipit, oscula jungit.

Concilium vocat,in folij locat aggere fefe.
Imperiofior ambit, & altior effe, præeffe.
Audit amantibus impia, furdius æqua fubaudit.
Nam lucra terrea caufa parit rea, non rea claudit.
Roma quid exequar,immò quid eloquar, aut tibi promam?
Vncia te rotat,unica te notat, haud fore Romam?
Tu populos tibi, te rutilans fibi marca fubegit.
Semper enim lucra progenies tua vult,agit, egit
Dum lucra Partica, dum tuus hoftica munera Craffus
Vult,fitit,infpicit,heu fibi deficit, æs bibit affus.
Hæc fitis ebria ftat tibi propria,Marte, togáq;.
Te cremat,impiat,urit, inebriat, excruciatque.
Das facra culmina, das moderamina facra probrofis.
Arida mitibus, afflua ditibus ambitiofis.
Fas mihi fcribere,fas mihi dicere, Roma fuifti.
Ecce relaberis,atq; refolveris ordine trifti.
Clauda ruis foris à pede roboris,intus ab æqui,
Irreparabilis hic,ibi labilis infcia recti.
Vrbs fine viribus, & fine patribus obruta marces.
Dardanias premit,Aufonias emit, aureus arces.
Fas mihi fcribere,fas mihi dicere, Roma perifti.
Obruta mœnibus,obruta moribus occubuifti.
Vrbs ruis inclyta, tam modò fubdita, quàm prius alta.
Quo prius altior, hoc modò preffior, & labefacta.

Fas

mihi ſcribere,fas mihi dicere, Roma ruiſti.
ıt tua mœnia vociferantia, Roma periſti.
ıda redis caput alta,jaces apud omnipotentem.
tua propria clamat inertia ſtare jacentem.
pta cupidine,ſordida crimine,ſecula cernis:
pta reducere,ſordida tergere, ſecula ſpernis.
a patet orbita jam tibi ſubdita tetragonalis,
x jacet irrita, gratia perdita ſpiritualis,
ıa padus incipit, & mare ſuſcipit ultima Thule,
atia ſcinditur, atq; reſolvitur omne virile.
atia mutua deeſt, modò mortua gratia cara,
ıæ neque verbere ſit, neque carcere, cedere gnara.
ıara ſub aere non modò quærere dulce ſerènum:
d bene libera ferre vel aera turbine plenum.
ıam mala frangere, læta reſolvere non videatur,
ıi bene proſpera fortiter aſpera ſuſcipiantur.
:ns mala pullulat, & mala poſtulat, eſtque probroſa.
:rpsque malis mala patribus eſt ſata ſtirps vicioſa.
ırpore fortior, immò ferocior hydra reſectò,
ce renaſcitur, altera redditur hydra profectò.
ctore vipera gens moritur fera, his fera prodit.
ıæ mala conſcia, luminis omnia rodit & odit
:ns ſteriliſſima, quam premit intima tam lue preſſa,

Re bona destruit, omnia quæ fuit ore professa.
Est pia vocibus, ethnica moribus impietatis.
Catholicus sonus ore sonat bonus, & caret actis.
O' dolor, ô furor, ô scelus, ô pudor, omnia sordent,
Criminis omnia, nil bene conscia corda remordent.
Flet pudor omnia crescere turpia, cedere pulchra.
Hypocrisis micat, & Satanæ dicat alba sepulchra.
Mens pia vapulat, & decor exulat exule jure.
Quisque lucro perit, huic vacat, id gerit, id sibi curæ.
Commoda carnea, lucráque terrea nemo refutat.
Terrea flumina, lucra volumina quisque volutat.
Censibus affluus est nimis arduus, est modò clarus.
Divitijs placet, haud vitijs tacet, hirtus avarus.
Vox sibi libera, nam sibi pondera divitiarum.
Cura stat infima, cura stat ultima nunc animarum.
Immò nec infima, nec velut ultima, sed quasi nulla.
Est ope fortior, ordine dignior aurea bulla.
Rem sibi quærere, quisque recondere rem sibi sudat.
Aurea lamina, publica lumina lumine nudat:
Diruta stantibus inferioribus alta coæquat:
Lumina

Lumina regia, pontificalia lumina cæcat.
Sola pecunia destruit omnia, cuncta venenat.
Cor scit, onus premit, arma dat, os emit, ora serenat.
Criminis unctio, cordis ademptio, fur oculorum
Parma nocentibus, & locupletibus est grave lorum.
Omnia mors ferit, omnia plebs gerit ordine mixto.
Profore, præfore, munera tempore constat in isto.
Omnia corripit, omnia decipit heu nitor æris.
Fert tua dextera grandia munera, grandis haberis.
Vilis origine, vilior ordine conditionis.
Si dare sustinet, indecus imminet illud Ottonis.
Munere sobrius, ambulat ebrius, ipseq; cujus.
Os homo, cor Deus approbat, est reus ejus, & hujus.
Mutus ab ubere, dives habebere Tullius alter.
Dives amabere, pauper habebere, quomodo pauper.
Sola fit arida, sola fit invida copia sensus.
Sola scit inscia, sola dat omnia copia census.
Heu via carpitur ampla, relinquitur omnibus arcta.
Omnibus est gula, linguáque garrula, guttura fracta.
Cui rogo vivere, cui stipe paupere nunc stat amori?
Vivida pocula, crassáq; fercula quis negat ori?
Quot sine crimine cernis in agmine stare fideli?

Quis modò turpia,quis premit impia, cuſpide zeli?
Quis vitio rubet,aut animi ſtudet eſſe pudici?
Se ſibi ſubdere? lubrica vincere? dicere Vici?
Nunc ubi gratia criminis inſcia? quis bene rectus?
Cui neq; flexile re, neque mobile turbine pectus?
Quem mihi das ſine fraudis acumine, quem ſine ſorde?
Quis colit utile, vitat inutile corpore,corde?
Quis bona poſtulat,immò quis ambulat abſq; querela?
Cui gravis actio?ſtans meditatio?pura loquela?
Cui bene mens bona? nec labra diſſona corde, cor ore?
Cui pia lachryma, ſpe flagrat intima, pulſat amore?
Ordo, modeſtia, vitáque ſobria, quid modò poſſunt?
Quæ modò ſunt pia? plus loquar, impia quæ modò non ſunt?
Aurea tempora, caſtáque pectora præterierunt.
Tempora peſſima, ſcilicet ultima jam ſubierunt.
Stant modò ſtantia lucra, ſuperbia, pax ſine pace,
Fraus,Venus, ocia, furtáque conſcia noctis opacæ,
Schiſmata, prælia,vis, homicidia,traditiones,
Ira,protervia, livor, inertia, ſeditiones.

Stat

Stat ſimulatio, corruit actio religionis,
Heu ſua propria deputat omnia res Babylonis.
Pax,patientia,norma,modeſtia, jus & honeſtū.
Sunt vaga nomina, fictio,culmina:dant probra
quæſtum.
Ad bona friguit, ad mala ferbuit ignis amoris,
Lex jacet abdita, ſtando ſtat edita flamma furoris.
Dat Venus ebria, mixta cubilia more ferarum.
Lingua tacet mea, nam minus eſt ea dicere
clarum.
Quid loquar ô Deus?ecce ſtylus meus, ecce fatiſcit.
Vincor,& impia non loquar omnia, pars mala
vicit.
In tenebris ſine ſimplice lumine cuncta tenentur.
Cuncta jacentia,pervigilantia nulla videntur.
Omnia poſſidet,urget & obſidet una vorago.
Secula lubrica poſſidet unica mortis imago.
Nil ſine vulnere lugeo cernere,credite verum.
Quiſq;nefas legit,altáq;nox tegit omnia rerum.
Cernimus omnia penè ſilentia cæca tenere,
Et ſcelus obice,crimina vindice cuncta carere:
Quippe ruentibus ordine patribus eccleſiarum.
Corruit & rigor,& rigidus vigor ejus, earum.
Deniq; plebibus & ſenioribus æs dominatur.
Ad mala tenditur, ad fora curritur, ad lucra
ſtatur.
Gens temeraria,turba nefaria,gens ſcelerata.
Gens mala, gens rea, cur lucra terrea ſunt
tibi grata?

O' malè visibus interioribus exoculati,
Cur malè vivitis, armáq; trahitis ebrietati?
O malè visibus interioribus, ô malè cæci,
Quid juvat addere, quid rea subdere pectora feci?
Gens vaga cordibus, ad bona tristibus, ad mala lætis,
Cur sine lumine, non sine crimine, stando jacetis?
Paulus adest, tonat, ipséq; sic sonat, Evigilate,
State viriliter & socialiter, in grege state.
Mens lue sordida, crimine torpida, prona caducis,
Dedecus exuat, & decus induat, armáq; lucis.
Surgite, surgite, gens rea tergite vel graviora.
Lux venit ultima, jamq; novissima, credite, hora
Vt mala terminet, arbiter imminet ille tremendus,
Dulcis amantibus, irreverentibus ipse tremendus.
Judiciaria, parcere nescia, plena furoris,
Illa dies venit, hanc modò prævenit actio moris.
Jam tuba septima, jamque novissima plaga paratur.
Censor adest Deus, evigilet reus, excutiatur.
Mens rea nitere crimine surgere, si mala purges
Digna perennia tollere præmia fine resurges.
Certa loquens aro, surget homo caro, mortua tandem.
Estque quod astruat, ista quod instruat hinc dubitantem,
Est avis Indica, quæ viget unica, nomine Phœnix:
Hanc

Hanc cinerescere, fert ita surgere sermo fidelis.
Vermis & hinc avis esse finit gravis, evolat alis:
Inde renascitur, esséque cernitur hæc modò qualis.
Id tua funere membra resurgere posse fatetur.
Surget homo, tua tunc caro mortua nil dubitetur.
Cedet ad æthera mitis, ad infera qui modò turget.
Fluxa tenens fluet, ardua corruet, ultima surget
Ibit in infera nunc malè libera gens Babylonis.
Massa nefaria, portio propria perditionis.
Cœlica gloria stabit in omnia secula sanctis,
Pax erit omnibus, illa videntibus ora Tonantis.
Quid loquar amplius, aut ferar altius, aut sequar ultra?
Pagina claudere, jamque retexere desine multa.
Claudere pagina, denique carmina nostra valete.
Gens temeraria, turba nefaria, flendáque flete.
Vos ego capere, vestráque dicere probra cupivi.
Vos ego carpere, vestra sed edere non probra quivi.
Heu lachrymabile, væ miserabile dic genus Evæ.
Gens temeraria nunc tibi gaudia, post tibi væ, væ.
Est apud infera, væ tibi gens fera turba furoris.

Nunc

Nunc quoque væ tibi: nam labor hic, ibi
pœna laboris.
Vos ſacra concio, ſacra creatio currite, ſtate.
State flagrantibus æthera cordibus in bonitate.
Vos ſacra lilia, viva monilia, vaſa decoris,
Luminis agmina, ferte precamina cordis & oris.
Vt Deus à nece vos trahat, hunc prece poſcito ſancta.
Ut fuget impia tot, mala talia, fœtida tanta.
Veſtra precatio, lingua, cor, actio, mens bene caſta.
Vitáque libera clamet ad æthera, clamet ad aſtra.
Crimina creſcere flete, tepeſcere jus, decus, æquum.
Flete, gemiſcite, denique dicite, dicite mecum.
Qui regis omnia, pelle tot impia, ſurge, perimus.
Nos Deus aſpice, ne ſine ſimplice lumine ſimus.
Tot probra, tot mala, tot premè, ſcandala, qui regis aſtra.
Parce jacentibus, influe ſtantibus, omnibus aſta.
Chriſte piiſſime, ſcandala reprime, facta remitte.
Et bona conſtrue, cætera dilue, Rex benedicte.
Dœmonialibus hactenus artibus erue tentos.

Rex

Rex fate virgine, fer cruce, ſanguine, morte redemptos.
Reſpice reſpice nos patris unice, virgine nate.
Da mala plangere, da bona ſumere, da tua, da te.
Aurea tempora primáque robora redde, rogamus.
Nos modò dirige, poſtmodò collige, ne pereamus.

EX VETVSTO EXEMPLARI IN PERgameno ſcripto, è bibliotheca Prædicatorum Baſilienſium.

CVr ultrà ſtudeam probus eſſe, probusque videri,
Aut inter ſocios famam cum laude mereri?
Cur ultrà dubitem piger ac indoctus haberi,
Et non eſſe velim delirus? in ordine cleri
Indoctos hodie video, pigrosque beari.
Plures cerno probos fortunæ nube gravari.
Arguo fortunam ſuper his, & cenſeo nequam:
Quòd rigidam juſtis, injuſtis ſe facit æquam.
Ludere ſic novit dea mobilis, ac malè ludit.
Hos fert ſublimes, illos in ſtercora trudit.
Pœnitet eſſe probum, jam pœnitet eſſe peritum,
Qui nunquam duco noctemúe diemúe quietum.
Nocte vigil tota non ceſſo verſificari,
Inde die tota cupioq́ deos venerari.
Sed pereant verſus, pereant ſimulacra deorum.
Nil mihi quippe boni confert ornatus eorum

Nam

Nam modò non prosunt versus, stylus, atq; tabella,
Pro quibus in studio sum passus dura flagella.
Si modo Vergilij, vel si loquar ore Catonis,
Aut si Rhetoricam teneam magni Ciceronis:
Non tamen iste labor plus confert utilitatis,
Quàm si fortè vomam sermones rusticitatis.
Carmina sæpe dedi prælatis Ecclesiarum,
Vt mihi compluerent de flumine divitiarum.
Sed pro carminibus mihi nil nisi verba dedere.
Ah pro carminibus data verba parum valvere.
Ista mihi merces, merces est ista laboris:
Quem faciunt duri mihi versus omnibus horis.
Si quis ad incudem me reddere posset eorum,
Qui relegunt nummos, & libras denariorum,
Me remonetari facerem meliore moneta.
Mallem nummiculus fieri, quàm Naso poeta.
Nam si Pontifici cuivis cantet joculator,
Inde bonos versus legat illi versificator.
Quem magis exaudit, vel quem plus diligit horum?
Illum nimirum, quem turba probat fatuorum.
Qui miser esse cupit, vel qui cupit infatuari,
Libros quosque legat, discat bene versificari.
Et qui vult fœlix fieri, nummisque praesse,
Dormiat, & minimum studeat, discat piger esse.
Ista levant homines, & perducunt ad honores;
Illa gravant miseros, & habent sine fine dolores.
Pro nihilo Salomon hodie stultos reprehendit,
Queis de pigritia fructus fortuna rependit.
Jam modò plura metit, qui nec sevit, nec aravit,
Quam qui forte gelu, solesqne graves toleravit.
Temporibus nostris mutari secula cerno.
Nónne vetus studium perit accedente moderno?

Artes

Artes scire bonas fuit olim gloria cleri.
Gloria magna fuit, famam sine labe tueri:
Nunc inhonesta sequi, nunc sectari levitatem
Gens hodierna studet, morumq; fugit probitatem:
Artes scire bonas nunc pro nihilo reputatur:
Nummos scire bonos modò prævalet, hocq; brobatur.
Hoc hodie studium deducitur absq; labore.
Quod quicunque tenet, hic sublimatur honore:
Huic hodie baculus donatur Pontificalis.
Venditur huic studio gradus omnis Simonialis.
Hoc Aerismaticam studium dixere priores.
Hoc etenim multi sunt effecti potiores.
Aera metit, quisquis studium cupit arimitari,
Et de stercoribus valet ad sublime levari.
Est gravius studium bene scribere, versificari,
Discere Grammaticam, prudenter philosophari,
Quàm nummos nummis, libras libris cumulare,
Ac ex usuris usuras multiplicare.
Dominus vobiscum, qui prædictam colit artem,
Colligit ex hominum varijs opibus sibi partem:
Atque hic denarios bene comperit omnia posse.
Quando canit, vertit gaudens ad denarios se.
Hos colit & recolit, his prædicat, hos & honorat.
His sua festa canit, magis hos quàm numen adorat.
Dominus vobiscum, pingui cum murmurat ore,
Jam sapit intus, quod regitur fato meliore,
Quàm vir grammaticus, qui multa legendo laborat,
Quem sequitur mala sors, quem pauperies inhonorat.
Syllaba longa brevis, brevis illi longa videtur:
Grammaticusque bonus cum sit, sibi vilis habetur.
Dominus vobiscum, jus contra dogmata servat.

Nam

Nam pro doctrina nummos nummis coacervat.
Pro nihilo ducit dicens aliquando, Dominus:
Nec putat errorem, si dicat fortè cominus.
Fasqne nefasque canens, credit sibi cuncta licere.
Copia nummorum dat ei non posse timere.
Dominus vobiscum, licet argumenta ferantur,
Cuncta tamen solvit, mox & validè reprobantur.
En in marsupio sua regula, regula justa,
Auro, denarijs, & charis rebus onusta.
Hinc se defendit, quoties metuit reprehendi:
Hinc facit à multis laudum sibi jura rependi.
Dominus vobiscum, vitando negocia dura,
Ocia sectatur, vitam ducens sine cura.
Quæ preciosa foro venduntur, quæ meliora,
Hic emit ad placitum, non curans deteriora.
Huic volucres, pisces, huic fercula quæque novella:
Huic piper arridet, huic zinziber, atq; canella.
Dominus vobiscum, si fas est vera fateri,
Ejus corporis alit, quicquid melius quit haberi.
Hunc unguenta fovent, servitq; manus medicorum.
Hujus & ad nares fragrantia spirat odorum.
Hujus doctus equus, bene doctus figere passum,
Ambulat, & nullo facit illum tempore lassum.
Dominus vobiscum, cute clara, vestéque munda
Splendidus incedit, calida bene lotus ab unda.
Hunc domini, dominæ pascunt, famuli, famulæque:
Donáque dant illi pinguissima nocte dieque.
Suscipit ille libens, oblatáque munera servat,
Inque suis loculis massim massæ coacervat.
Dominus vobiscum cum regnat, denariusque,
Pauper Aristoteles mendicat, Grammaticusque:
Fœdere qui tanto conjuncti semper habentur,

Vt

Vt nunquam, nisi mors accedat, dissocientur.
Denique quid superest, quin imperet, & dominetur,
Qui tam magnificus, qui tam praclarus habetur?
Dominus vobiscum, servat notum sibi morem:
Nam bene munitam servat cistam interiorem.
Sed cum vult, reserat signatam clavibus arcam,
Vt gaudens videat cum marca ludere marcam.
Crede mihi, Deus est, Deus est suus omnis & illa,
Nec de morte timet, cum sit cinis atque favilla.
Dominus vobiscum quid non facit imperiale?
Vendicat omne sibi jus & decus ecclesiale.
Orbem terrarum totum quasi sub pede stravit,
Colla superba sibi Regúmque ducúmque domavit.
Et ne quis sub eo possit dicere tutum,
A' nascente petit, petit à moriente tributum.
Grammaticus verò tenuis, laceris quoque pannis,
Ab obit in studiis, brevibus consumptus ab annis.
Vilia quaque fori pauper vix comparat ille,
Quamvis obtulerit preciosa poemata mille:
Quem preciosus equus ne scit per compita ferre,
Sed pes & baculus sordentes pulvere terra.
Grammaticúsque suam musam cum cernit in arca,
Fortunam tenuem videt hic, & carmina parca.
Cernit ibi tabulas, graphium, plurésque libellos
Artis grammatica veteres simul atque novellos.
Hinc & Aristotelis videt arma potenter acuta,
Sed contra duram paupertatem malè tuta.
Ha sunt divitia; gaza quoque philosophorum,
Quamvis medicent in regno presbyterorum.
Cui nihil est aris, nihil huic confertur honoris:
Cui satis est, probus est, & nominis hic melioris.
Pravalet insipiens locuples inopi sapienti,

Omnis honos tandem datur, & laus omnis, habenti.
Quilibet insipiens numorum quærat acervos,
Et mox nobilium plures faciet sibi servos.
Ergò ne verbis vacuis, longisque laborem,
Hortor eos, qui divitias cupiunt & honorem,
Ut fieri Dominus vobiscum non remorentur:
Illo quippe gradu locupletes efficientur.
Sic ærismaticæ ditescent utilitate,
Qui pro Grammaticæ mendicant garrulitate.

LAELII CAPILUPI CENTO VERGILIAnus, de vita Monachorum, quos vulgo Fratres appellant.

Propositio. ILLE ego, qui quondam, cum Gallus amore periret,
Noctes atque dies cecini sub tegmine fagi
Carminibus patriis levium spectacula rerum,
Majus opus moveo: non hic te carmine ficto
Magnanime Aenea, nec te rationis egentem
Infœlix Dido miseri post fata Sychæi,
At fratres rerum dominos,gentémq; togatam,
Illustres animas, & corda oblita laborum,
Dicam equidem fretus cithara, fidibúsque canoris
Fatidicæ Mantus: non omnia possumus omnes.

Invocatio.

O' decus Italiæ, magnæ spes altera Romæ,
Cura Deûm Hippolyte, proles pulcherrima bello
Per tot ducta viros antiquæ ab origine gentis:
Tu mihi, seu magni superas jam frigora Rheni
Horri-

Horridus in jaculis & pelle Lybiſtidis urſæ
Arma inter regum, clypeóq; inſigne paternum
Centum angues cinctámque geris ſerpentibus
hydram,
Arduus inſurgens & grandia lilia quaſſans:
Sive Padi ripis auguſta ad mœnia regis
Unde genus ducis Tyrio conſpectus in oſtro,
Inter ſacra Deûm patribus das jura vocatis:
Da facilem curſum, atque audacibus annue
cœptis.

Narratio, de primis Monachis.

Ab Jove principium generis, ſi credere dignum eſt:
Diis quanquam geniti, tot jam labentibus annis
Errabant acti fatis maria omnia circum.
Nulli certa domus, habitabant vallibus imis,
Secluſum nemus, & ſcopulis pendentibus
antrum,
Riparúmque thoros inter deſerta ferarum,
Sole ſub ardenti, gelidíque ſub ætheris axe.
Jam tum relligio pavidos terrebat agreſtes,
Victum infœlicem baccas lapidoſáque corna
Dant rami, & vulſis paſcunt radicibus herbæ.
Pocula ſunt fontes liquidi: non Maſſica Bacchi
Munera, non illis epulæ nocuere repoſtæ.
Nulla Venus, nulliq; animum flexere Hymenæi.
Heu pietas, heu priſca fides, quis talia fando
Temperet à lachrymis? Longo poſt tempore
venit
Inus, qui nobis Deus æthere miſſus ab alto.

Ut à prima origine degenerarint poſteri.

Is genus indocile & diſperſum montibus altis

Composuit, legésq; dedit, nova quærere tecta.
Idem omnes simul ardor agit, labor omnia vincit
Improbus, & rerum fato prudentia major.
Magnanimi Heroes, nati melioribus annis,
Europa atque Asia, super & Garamantas & Indos
Centum urbes habitant magnas, atque aurea tecta:
Aurea nunc, olim sylvestribus horrida dumis.
Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas.
Nunc & pauperiem & duros perferre labores,
Saxa per & scopulos, & virginitatis amorem
Relligio vetuit monitu imperióque Deorum.
Quid loquor? an sua cuique Deus fit dira cupido?
Victus. Ergo omni studio læti convivia curant.
Ante focum, si frigus erit: si messis, in umbra.
Hoc virtutis opus: glacies ne frigida lædat
Vestitus. Molle pecus, scabiémque ferat, turpeisque podagras
Et tunicæ manicas & habent redimicula mytræ.

Oeconomia monastica.

At genus immortale Deûm præcepta secuti
Incumbunt generis lapsi sarcire ruinas.
Stat fortuna domus, & avi numerantur avorũ.
Jura magistratúsq; legunt, sanctúmq; Senatum,
Rectores juvenum & rerum, regémque tremendum,
Et quos aut pecori malint submittere habendo,
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas,
Aut aris servare sacris, aut scindere terram.

Condit

Condit opes alius, grandævis oppida curæ.
Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorte.
Omnibus in morem tonsa est coma, obesáque terga
Et crurum tenus à mento palearia pendent.
Omnibus idem animus, denso distendere pingui
Quem legêre ducem: sed non genus omnibus unum.

Ordinum diversitas.

Sed neque quàm multæ species, ne nomina quæ sint,
Est numerus: nec enim percurrere nomina possem,
Non mihi si linguæ centum sint, oráq; centum;
Stat sua cuiq; dies, breve & irreparabile tempus

Oraculum.

Omnibus est: veniet lustris labentibus ætas
Cum domus & proles subito defecerit omnis.
Heu nihil invitis fas quenquam fidere divis.
Quid labor aut benefacta juvant, sic omnia fatis
In pejus ruere, ac retro sublapsa referri

Ab exemplo Germanorum.

Tum sciat, aërias alpes & Norica si qui
Castella in tumulis videat, desertáque regna.

Ironicè hæc de Evangelio renascente dicuntur.

Hic quondam morbo cœli miseranda coorta est.
Vana superstitio, veterúmve ignara Deorum,
Quam neque fas igni cuiquam, nec sternere ferro;
Mores & studia, & populos, consortia tecta;
Sustulit ista prior Stygiis emissa tenebris.

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui
lumen ademptum.
Odit & ipſe pater Pluton, odere ſorores.
Parva metu primò, mox ſeſe attollit in auras,
Tam ficti pravíque tenax, quàm nuncia veri.
Inq; dies avidum ſurgens caput altius offert.
Quæ regio in terris noſtri non plena laboris?
Aſpice & extremis domitum cultoribus orbem,
Et penitus toto diviſos orbe Britannos.
Quid memorem infandas cædes, vetitóſque
Hymenæos?
Auſi omnes immane nefas, auſóque potiti,
Corripuere ſacram effigiem,manibúsq; cruentis
Diripuere aras relligioſa Deorum
Limina, ubique pavor & plurima mortis
imago.
Quin etiam medias Italûm bacchata per urbes
Peſtis & ira Deûm, majorémque orſa furorem:
Haud ignota loquor, cuncti ſe ſcire fatentur.

Paulus tertius Papa.

Tertius ille hominum divúmque interpres
Aſylas
Os humeróſque Deo ſimilis, cui plurima
mento
Canicies inculta jacet, dependet amictus
Sordidus ex humeris,omnis quem credidit ætas
Semine ab æthereo & genus alto à ſangui-
ne divûm,
Fas omne abrumpit, trepidúsq; repente refugit
Pictus acu tunicas, tot ſeſe vertit in ora.
Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo,
Seditione potens, inſtructus & arte Pelaſga
Ibat,

Ibat, & ingenti ſeſe clamore ferebat,
Conſilio verſare dolos ingreſſus & aſtu
Fertilis Auſoniæ populos ſermone replebat,
Oblitus decoriſque ſui, ſociúmque ſalutis.
Auſus quin etiam ſacrata avellere templo
Numina magna Deûm.
Ergo omnis furiis ſurrexit Hetruria juſtis,
Tum celerare fugam, veteres tellure recludit
Theſauros, ignotum ardenti pondus & auri;
Conſcius audacis facti penetravit ad urbes
Et genus inviſum, & diri ſacraria Ditis
Arma Jovis fugiens atque altæ mœnia Romæ.
Et nunc ille Paris cum ſemiviro comitatu
Ignis ubi in medio & ſocii cratera coronant,
Te libans Lenæe vocat reſupinus in antro.
Cauſa mali tanti fulgenti murice veſtis,
Invidia infœlix, laudúmque immenſa cupido.
Nuſquam tuta fides, coluber mala gramina paſtus
Hortator ſcelerum, ſtimulis agitabat amaris.
Nec requievit enim, donec de culmine ſummum
Inter ſaxa virum Stygias detruſit ad undas.
Impaſtus ſtabula alta leo ceu ſæpe peragrans,
Nunc hos nunc illos aditus, omnémq; pererrat
Italiam, Italiam, ſinuoſa volumina verſat.
Arrectis horret ſquammis, & ſibilat ore.
Horreſco referens, Dii talem avertite caſum,
Dii prohibete minas: ſuperet modò Mantua nobis,
Mantua dives avis, qualis Berecynthia mater
Læta Deum partu: procul ô procul eſte profani.
Dii patrii ſervate domum, parvóſque nepotes.

 Et

Et placidi servate pios, dominámq; potentem.

Hercules dux Ferrariæ.

Te precor Alcide, magnum & memorabile numen,
Quem primi colimus miserantem incommoda nostra,
Hanc primum tutare domum, genus acre luporum.
Hac casti maneant in relligione nepotes,
Et nati natorum, & qui nascuntur ab illis.
Quò feror? unde abii? fugit irreparabile tempus,
Singula dum capti circumvectamur amore:
Multáque præterea post me memoranda relinquo.
Vos, ô Calliope, precor aspirate canenti:
Sacra, Deósque, dapes, & plenæ pocula mensæ,
Fortia facta patrum, magno nunc ore sonandùm.

Matutini Monachorum cœtus.

Omne adeò genus in terris, populúmque patrésque
Mollibus è stratis opera ad lux suscitat alma,
Et matutini volucrum sub culmine cantus.
Principiò delubra adeunt, atque ære sonoro
Turribus aut altis, aut summi culmine tecti
Dant signum, fulsère ignes altaria circum.
Jámque sacerdotes soli cantare periti,
Velati lino volitant, ostróque decori,
Et cantare pares & respondere parati.
Agmine partito fulgent, lustrántque choreis
Atria:

Atria: dependent lychni laquearibus aureis.

Missæ descriptio.

Stant aræ circum, puráque in veste sacerdos
Ter centum tonat ore Deos, ter gutture voces
Aut quater ingeminat: sequitur cum cætera pubes,
Et nostras audite preces, templique sacerdos
Ante aras plena supplex veneratur acerra,
Affatúrque Deos tendens ad sidera palmas:
Se causam clamat, criménq; capútq; malorum,
Multáq; se incusat, rapidóque hæc addidit ore:
Salve sancte parens, superi regnator Olympi,
Semper honos noménque tuum laudésque manebunt,
Et nos & tua dexter adi pede sacra secundo.
Nos tua progenies, cœli quibus annuis arcem.

Cœna mystica.

Has ex more dapes, illæ hæc monimenta reliquit,
Extrema jam in morte, hanc tanti numinis aram
Servati facimus, meritósq; novamus honores.
Nate patris summi, tua ne hæc per vulnera servor,
Morte tua vivens? quæ causa indigna serenos
Fœdavit vultus? aut cur hæc vulnera cerno?
Vicit iter durum pietas: te janitor Orci,
Te Stygii tremuere lacus, tu sceptra Jovémq;
Concilias, tu das epulis accumbere divûm.
Parce pio generi, & propius res aspice nostras.

 Dii-

Diique Deæque omnes, túque ô sanctissima vates
Alma parens, præsens nostro succurre labori.

Transubstantiatio.

Hæc ubi dicta dedit, divino ex ore sacerdos
Dona laboratæ Cereris, cœlestia dona,
Miratúrq; intérq; manus & brachia versat.
Heu quid agat? varia confusus imagine rerum,
Atque animum nunc huc celerem nunc dividit illuc,

Corporis manducatio.

In partésque rapit varias, ut vertere morsus
Exiguam in Cererem suaserunt numine Divi,
Et violare manu, malisque audacibus orbem
Fatalis crusti, pectus percussit honestum
Térque quatérque manu, gemitum dat pectore ab imo.
Sic ait: Haud equidem tali me dignor honore.
Calix. Et sacer implevit dextram scyphus, ocyus omnes
Demisêre caput percussæ pectora matres.
Agnovêre Deum proceres, ille impiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro:
Ite, ait: & socios pura circumtulit unda
Spargens rore levi, & depasta altaria liquit.
Haud mora, continuò perfectis ordine votis
Consurgit senior, divósque in vota vocavit

Monachorum conciones.

Nudato capite, & medio stans aggere fatur:
Asper acerba sonans, intentis omnibus unus
Fata canit fusus propexam in pectora barbam,
Edocet humanis quæ sit fiducia rebus,

Tar-

Tartareas etiam fauces noctémque profundam
Et conjuratos cœlum rescindere fratres,
Supplicia & scelerum pœnas, sedésque beatas,
Ambrosiæ succos, & odoriferam panaceam,
Admonet, immiscétque preces, alternáq; jactat
Brachia protendens, flammantia lumina torquens,
Obtutu tenet ora, solóque immobilis hæret.
Incipit effari, mediáque in voce resistit.
Omnia transformat sese in miracula rerum.
Ille sitim morbósque ferens mortalibus ægris
Horrendas canit ambages, præsénsq; minatur
Exitium, veterum volvens monumenta virorũ,
Aestúsque & pluvias & agentes frigora ventos,
Obscœnámq; famem & tristes denunciat iras.
Horrescunt corda agricolis, stupet inscia turba.
Vota metu duplicant matres, actæq; furore
Misericordia, misericordia.
Conclamant, resonant latè plangoribus ædes
Lamentis, gemitúque & fœmineo ululatu.
Talia vociferans, solio se tollit ab alto
Tempora nudus adhuc, tunicáque inducitur artus.
Tum virgam capit, hac animas ille evocat Orco.
Confessio. Hunc circum innumeræ gentes, miserabile vulgus.
Pòst alii proceres, vitas & crimina discit,
Munera portantes eboris aurique talenta,
Setigerósque sues, Dodonæósque lebetes,
Prosequitur venia, & verbis compellat amicis.
Omnibus exhaustos jam casib9, omnium egenos
Castigátq; auditq;, & ad impia tartara mittit.

At

At qui divitiis soli incubuere repertis,
Fulmine dejecti fundo volvuntur in imo.
Apparatus prandii. Atque ea diversa penitus dum parte geruntur,
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis
Instruitur, mediisq; parant convivia tectis.
Ordine ahena locant alii, flamásq; ministrant,
Pars calidos latices, verubúsq; trementia figunt
Terga suum, centum pingues cum matribus agnos.
Pars epulis onerant mensas, Cererémq; canistris
Expediunt, tonsisq; ferunt mantilia villis:
Supponunt alii cultros, Bacchúmq; ministrant.
Discurrunt, variántque vices, arisque relictis
Perpetuis soliti patres considere mensis
Circum claustra fremunt, arrectisque auribus astant,
Intenti expectant signum, divósq; precantur.
Abbas. Tum pater omnipotens, rerum cui summa potestas,
Tandem progreditur magna stipante caterva.
Monstrum, horrendum, ingens, crassum farragine corpus,
More patrum solio medius consedit avito.
Illa operum custos, illum admirantur, & omnes
Circumstant fremitu denso, cum sæpe coorta est
Seditio, sævitque agitans discordia fratres.

Monachorum contentiones.

Ille regit dictis animos, fratrésque superbos
Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat,
Ne pueri, ne tanta animis assuescite bella:

Prior.

Prior. Túque Prior, tu parce, genus qui ducis Olympo.
His animadversis opera inter talia primus
Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro.
O' socii, nec enim ignari sumus ante malorum:
Hæc erat illa fames, hæc nos suprema manebat
Per varios casus, per tot discrimina rerum
Exitiis positura modum: nunc viribus usus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra.
Quod voti optastis adest, sic itur ad astra.
Ergo agite, & cuncti nunc illas promite vires,
Communémque vocate Deum, & date vina volentes.
Hic finis fandi, solio insonuítque flagello.
Vtque dato signo spacia in sua quisque recessit
Ordine cuncta suo, tunc facta silentia linguis.

Monachorum voracitas.

Sic animis juvenum furor additus: inde lupi ceu
Raptores atra in nebula rapiúntque ruúntque,
Diripiúntq; dapes, contactúque omnia fœdant.
Nec mora, nec requies, olli certamine summo
Tergora diripiunt costis, tum dente tenaci
Dant sonitus, duro crepitant sub vulnere malæ.
Implentur veteris Bacchi, pinguísque farinæ:
Teuthonico ritu vertunt crateres ahenos.
Postquam exempta fames epulis, vox omnibus una:
Cœlicolûm regi grates persolvere dignas
Non opis est nostræ. media inter talia verba
Nescio qua præter solitum dulcedine læti
Devenere locos lætos, cantúsque dedere,

Mona-

Monachorum lusus. Ceu quondam nivei liquida inter nubila cygni,
Cum sese è pastu referunt, hic flumina circum
Fundit humus flores, texunt umbracula vites,
Hic gelidi fontes & prata recentia rivis,
Speluncæ, vivique lacus, ac lustra ferarum.
Tum laqueis captare feras, & fallere visco
Impendunt curas, & retia ponere cervis,
Auritósque sequi lepores, & fluminis alveo
Cum venti posuêre alius trahit humida lina,
Pars in gramineis exercent membra palæstris,
Et tenues rumpunt tunicas per opaca viarum.
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.
Consonat omne nemus strepitu, risúq; soluto.
Tunc pietate gravem ac meritis si fortè virum quem
Conspexêre, silent, aut versi terga dedêre.
Monachi aulici. At patiens operum, parvóq; assueta juventus,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
(Fit via vi) penetrant aulas & limina regum.
Discurrunt alii ad portas & tecta domorum,
Mendicantes. Convectare juvat prædas & vivere rapto,
Venturæque hyemis memores quæsita reponunt,
Aut fœtus ovium, aut urentes culta capellas,
Castaneásq; nuces, pariter frumenta sequuntur.
Interea socios vocat alta in templa sacerdos
Jam pridem resides, agrísque effusa juventus,
Undi-

Undique conveniunt, & triſtia funera ducunt,
Funera ut ducant Monachi.
(Ne quid inexpertum) crepitantiáq; æra ſecuti
Tum gemini fratres,nec multum diſcrepat ætas.
Funereas rapuere faces, de more vetuſto
Incedunt pueri, defunctáque corpora vita,
(Quod genus hoc hominum?) læti clamore reportant.
Hic matres miſeræ,puerique parentibus orbi
Flent mœſti,reſonat magnis plangoribus æther:
Spargitur & tellus lachrymis, & molle pheretrum:
Ipſi lætitia voces ad ſidera jactant
Per medias urbes, longa cum veſte ſacerdos
Luſtravítq; viros, dixitq; noviſſima verba
Manibus & cineri. Quàm molliter oſſa quieſcent?
Mortuos ſpoliant. Tum lecti juvenes media teſtudine templi
Incurrunt denſi, ſpoliántq; calentia membra
Relligione patrŭ, foveisq; abſcondere diſcunt.
Cœna. Devexo interea propior fit veſper Olympo,
Tecta petunt, multa referunt ſe nocte minores.
Inſtaurant epulas, & menſæ grata ſecundæ
Dona ferunt, noctem flammis funalia vincunt.
Advoluêre focis ulmos, igníque dedêre.
Invitat genialis hyems, curáſque reſolvit.
Tunc ſomni dulces, & tunc molliſſima vina.
Poſtquam prima quies epulis menſæq; remotæ
Porticibus longis, nil magnæ laudis egentes,
Invalidíque ſenes ſomno vinóque ſepulti
Con-

Conticuêre, sopor fessos complectitur artus.
Omnibus una quies, operum labor omnibus
unus.
Monachorum libido. At non in Venerem segnes,
& dulcia furta
Egregii forma, & primævo flore inventus,
Defensi tenebris, & dono noctis opacæ
In furias ignémq; ruunt, nec claustra nec ipsi
Custodes sufferre valent, amor omnibus idem.
Multi præterea, quod rebus restat egenis,
Sæpe manu liquido distendunt nectare cellas.
Magnanimûm Heroum pertentant gaudia
pectus
Solaménq; mali distillat ab inguine virus.
Proh pudor. O' fortunatos nimium, sua si bona
norint.
Non absunt illis saltus, armentáque læta,
Cælati argenti sunt, auri multa talenta.
Moniales. Sacra Deûm, sanctíque patres, &
chara sororum
Pectora, mœrentum tenebris & carcere cæco
Centum ærei claudunt vectes, & sæpe sine ullis
Conjugiis vento gravidæ, mirabile dictu,
Ironia. Relligione sacræ: non hæc sine numi-
ne Divûm.
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.
Credo equidem, nec vana fides, genus esse
Deorum.

*Epilogus ad monachos, omnium & laborum & pericu-
lorum expertes.*

Salve vera Jovis proles, tibi nomina mille.
Dives opum, dives pictai vestis & auri:
Omnes

Omnes cœlicolas centum complexa nepotes.
Hinc Italæ gentes, omnisq; Oenotria tellus,
In dubiis responsa ferunt. tibi maxima rerum
Verborúmq; fides, & nescia fallere vita.
Cura tibi divûm effigies & templa tueri,
Europam atq; Asiam magno turbante tumultu.
Non equidem invideo: ipsa procul discordibus armis
Haud impacatos à tergo horrebis Iberos.
Non unquam somnos abrumpit cura salubres.
Atque utinam ex vobis unus, vestriq; fuissem
Aut custos gregis, aut maturæ vinitor uvæ.
Omnia vincit amor: quis enim modus adsit amori?
Ille mihi thoraca simul cum pectore rupit:
Transadigit costas, liquitque volatile ferrum,
Altius ad vivum persedit vulnere mucro.
Quid facerem? talin possum me opponere monstro?
O' fortunatæ gentes, genus ab Jove summo,
Vobis parta quies: nos flendo ducimus horas,
Nos alias hinc ad lachrymas eadem horrida belli
Bella nostri seculi. Fata vocant, sævit toto Mars impius orbe.
Regibus incessit magno discordia motu.
Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellū,
Turbidus & torquens flaventes Ister arenas.
Extremíq; hominum Morini, tot millia gentes
Arma ferunt Italiæ, sanguis novus imbuit arma.
Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur,
Obscœnæ volucres (id rebus defuit unum)

Aetheráque obſcurant pennis, campóſque patentes
Facta nube premunt. En queis conſevimus agros?
Nec tantis mora prodigiis, bella, horrida bella,
Et Tybrim multo ſpumantem ſanguine cerno.
Ecce inimicus atrox, genus inſuperabile bello,
Turca. Victor ab aurora populis, ſummásq; minatur
Dejecturum arces Italûm, excidióq; daturum
Aere cavo, currúque volans dat lora ſecundo,
Per Graium populos, & lapidis arua Timavi.
Heu quantæ miſeris cædes Laurentibus inſtant.
Ventum ad ſupremũ eſt. en quò diſcordia cives
Perduxit miſeros?nec habet fortuna regreſſum.
Hos inter motus, atq; hæc certamina tanta,
Ipſa imota manet, ſpectátq; interrita pugnas
Chara Deûm ſoboles: ſolido de marmore templa
Aſſiduo reſonat cantu, nec ferrea jura,
Inſanumve forum, aut populi tabularia vidit.
Atq; metꝰ omnes ſtrepitúmq; Acherontis avari
Subjecit pedibus, non ulli obnoxia curæ.
Et ſpectare dapes, ſolennes ducere pompas
Ad delubra juvat, cæſoſq; videre juvencos.
Hic amor, hoc ſtudium, ſũma nituntur opum vi
Regales inter menſas, nympháſq; ſorores,
Sideris in numerum, atq; alto ſuccedere cœlo,
Scilicet. Is locus urbis erit, requies ea certa labo- (rũ.
Vivite fœlices, ô térq; quatérq; beati:
Quò res cunque cadent, ſi quid mea carmina poſſunt,
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo.

FINIS.

CONSULTATIO SACERDOTUM quorundam, super mandato Præsulis facto, ut & concubinas habitas abigant, & posthac nullas alant: ex vetusto exemplari, & manu scripto.

Clerus & presbyteri nuper consedere
Tristes in capitulo simul, & dixere:
Nostras vult ancillulas Præsul removere,
Quid debemus super hoc ergo respondere?
Quæstio proposita ritè commendatur.
Decanus collegii primus sic præfatur:
Fratres, nobis omnibus Pontifex minatur,
Postq; minas metuo ne pœna sequatur.
Cum igitur propter famulas simus aggravati,
Videamus providi, quò simus parati,
Ad mandatum Præsidis nostri vel legati
Respondere fortiter, vel sumus damnati.
Incipit capituli Doctor & prælatus,
Vir in jure Canonico bene fundatus:
Gravis hic est quæstionis, Domini, status:
Removere famulas, non levis est tractatus.
Non humana dirimit lex, & prælatura,
Quod inter se fragilis copulat natura.
Vitæ castæ regula nimium est dura:
Vita sola angelica est pura.
Hinc est gradu senior tremulo sic fatus:
Ergo credo, Domini, quod sum fascinatus.
Vult removere famulam meam Prælatus,
Impotens ut prælio, ero contentatus.
Audit Cantor callidus, ergo sonat cum clamore:
Quid si vos supponere non estis in valore,

Vultis ergo reliquos privare hoc vigore ?
 Confusus eſt ſenior magno cum rubore,
Ergo ſuum votum ſic cœpit emendare :
 Nolo, Cantor domine, coquam alienare,
 Ad tempus ob laicos placet occultare,
 Ut poſſimus Præſulis juſſis obviare.
Ait Cellarius : Non poteſt hoc tranſire,
 Me regit una beſtia, ſinerem ſalire,
 Sed meretrix monocula renuit abire,
 Cum ſenioris coqua cuperem cambire.
Tunc in conſiſtorio omnes corriſere,
 En noſter Cellarius non eſt ſtultus verè,
 Quòd pro cute peſſima, quam nequit conſilere,
 Senioris lepidam cogitat habere.
Increpat Scholaſticus : Pulchras removere
 Non eſt res ridicula, dico vobis verè,
 Si vult Dominus noſter, poteſt prohibere :
 Sed ego per animam non poſſum abſtinere.
Hinc Structuarius longa cum ſtructura;
 Homo, inquit, fragilis ut eſt creatura,
 Nequit abſq; fœmina eſſe, atque cura;
 Scio, mihi minimè fallit hæc ſcriptura.
Ultimus Canonicus ſic argumentatur;
 Vir ad impoſſibile nullus obligatur.
 Clero pudicitia ſcitis quòd non datur,
 Retinere famulas ergo concludatur.
Venit ad presbyteros ordo circularis
 Primus in urbe, fuit olim curialis,
 Atq; in jure Canonum tritus & vocalis.
 Hujus ergo allegatio erat talis.

Credo

Credo quòd hanc, Domini, noſtis clementinam.
Omnis debet clericus habere concubinam.
Hoc dixit, qui coronam gerit auro trinam:
Hanc igitur retinere decet diſciplinam.
Surgens unus presbyter turba de totali,
Quem tangebat ſpecies generalis mali:
Unam, dixit, teneo amore legali,
Quam nolo dimittere pro lege tali.
Loquitur Vicarius, ordine ſecundus,
Qui natura vir minimè fuit facundus:
Sermo meus erit brevis & rotundus,
Non ego poſſum vivere ſine coqua mundus.
Tertius ſic retulit, loquens ad Conventum:
Ego quondam habui concubinas centum,
Et nunc unam teneo charam ad complementum:
Aegrius hanc dimitto, quàm auri talentum.
Quartus ait presbyter animo irato:
Vah, quid eſt loquendum de noſtro Prælato?
Vult quòd meam deſeram pro ſuo mandato:
Ego nunquam deſeram etiam pro Deo beato.
Inde quintus ordine reſpondebat ita:
Iſta nova frivola ſunt jam ſatis trita.
Per reginam gloriæ, quæ eſt cœlo ſita,
Meam nunquam deſeram in præſenti vita.
Sextus hinc eſt loquendo ſic effatus:
Quid de mea facere coqua vult Prælatus?
Quòd ſi cum concubina fuero damnatus,
Ego tantum proprios portabo reatus.
Septimus ſacrificus nequibat tacere:
Non opus eſt, dicens, hoc nobis timere.
Qui nos ab uxoribus jubet abſtinere,

 Debet

Debet in redditibus plura providere.
Octavi presbyteri vox est sic formata:
Eja mea fœmina fuit decorata,
Ut retrorsus habeat membra deaurata,
Et à me sic tanto magis sit amata.
Nonus ait: Veterem non dimitto morem,
Dedit mihi calidum natura cruorem,
Oportet me vivere carnis per laborem,
Nolo propter animam linquere uxorem.
Decimus hinc senior loquitur modestè,
Quod ante se sumpserat in corde molestè:
Si fateri debeo verum manifestè,
Nullus potest vivere clericus honestè.
Ad hæc est undecimus presbyter erectus:
Nunquam sine socia meus erit lectus,
Artibus Rhetoricis plenus & perfectus,
Donec me decrepitum fecerit senectus.
Duodecimus clamat magno cum clamore:
Non me Pontifex terret minis & pavore:
Sed ego nummos præbeam pro Dei amore,
Ut in pace maneam chara cum uxore.
Protulit tredecimus: Coquas repentinas
Nolumus dimittere propter breves minas,
Fideles in omnibus nostras concubinas,
Quæ manè pectore pulsant matutinas.
Inde decimusquartus unus Capellanus,
Disputando iratas prætendebat manus:
Actus est inutilis, frivolus & vanus:
Qui non amat famulam, non est mente sanus.
Dixit quindecimus: Quando bibo vina,
Et me somnus recipit hora vespertina,
Tunc ut mecum dormiat volo concubina,

Ne

Ne mihi deficiat carnis medicina.
Doctus sedecimus in philosophia:
Omne quare, ait, habet suum quia:
Si mihi mea famula tollitur è via,
Extrà volo alere scorta pulchra tria.
Septimus & decimus, pauper commodista,
Pectore de toto prorsus dixit ista:
Ego non sum, Domini, dives sophista,
Non possum famulam alere è cista.
Decimusoctavus, ventre valde crassus,
Omnibus in medio dixit, verum fassus:
Certè meus socius fuit diu lassus,
Propter pudicitiam non multa sum passus.
Nonus ait decimus: Dicam hîc sub rosa,
Totus hic ad literam textus est cum glosa:
Jussio Præsulis hæc religiosa,
Non erit uxoribus civium damnosa.
Addidit ulterius: Sitis memor horum.
Si vetare Præsul vult specialem thorum.
Cernet totum brevi plenum esse chorum
Ordine sacrorum adulterorum.
Hinc est vox vigesimi prece terminata:
Sancta Maria virgo, nostra advocata,
Juva nos, ne Præsulis lex sit durata:
Est tibi devotio famulorum grata.
Tandem conclusit Monachus ita Prædicator:
Quis scit, an hoc hominum cupiat creator,
Ut sacerdos mulierum desinat esse amator,
Pro quibus est positus in cruce Salvator.
Zacharias habuit prolem & uxorem,
Quæ Joannem genuit, filium majorem,
Prædicentem totius mundi redemptorem.

Non credo quòd peccat, servans istũ morem.
David rex sanctissimus, frigidus senecta,
Lusit cum juvencula, quæ fuit electa.
Quæ res in Propheta non fuit suspecta,
Nobis peccatoribus facilè est recta.
Dedit enim Dominus maledictionem
Viro, qui non fecerit generationem.
Ergo cunctis consulo per hanc rationem,
Ut generent, quò habeant benedictionem.
Canis semel rapiens carnem ad macellum,
A' furto non abstinet, nec timet cultellum:
Sic nocturnus clericus suetus ad duellum,
Non curat Præsulis minas, nec flagellum.
Coram tota curia Papa declaravit
Sacerdotem, qui hic, & hæc, & hoc declinavit:
Omnem non generantem excommunicavit.
Ex sorore filium ipse procreavit.
Quod Papa concesserat, quis potest vetare?
Cuncta potest solvere solus, & ligare.
Laborare rusticos, milites pugnare
Jussit, at præcipuè clericos amare.
Habebimus clerici duas concubinas:
Monachi, Canonici totidem, vel trinas:
Decani, Prælati quatuor, vel quinas:
Sic tandem leges implebimus divinas.

Claudius Rosseletus.

Sunt, caput inter rasum, humerisque cucullus adhærens,
Quos propè larvatos efficiunt, monachi.
Hos

Hos habitus monachos reddunt: uti purpu-
ra regem
Hunc, cui majeſtas regia, ménsque deeſt.

IDEM DE PONTIFICE COELESTI Chriſto, & terreno Clemente VII.

TErras Papa regit Clemens, clementior
orbem:
At gerit ille vices, ſolus hic imperium.
Territat ille ducis verbo, ſed fulminat hic re.
Numine uter vincit? terrificus tonitru.
Sedulus ergo vices age Clemens, tótque tu-
multus
Disjice, vel Domini tela ſuprema cave.

VARIORUM POEMATUM SECUNDA PARS,

Eorum præcipuè quæ in Papam ſint ſcripta, ante noſtra tempora.

CANTIO DE PAPA, ROMANAQUE

Eccleſia, per Boemum quendam ante annos circiter 100. compoſita, ſecundum ordinem alphabeti.

MATTHIAS FLACIUS ILLYRICUS Lectori Salutem.

P*Ius aliquis vir poſt mortem D. Joannis Hus hac cantilena deploravit Eccleſiam reduci in tyrannidem, turpitudines, abominationésque Papiſticas: at*

in tanta re summam principum populique negligentiam, & somnolentiam. Semper sanè sic accidit, ut postquam magni in Ecclesia viri, veluti ex acie duces decesserunt, subitò Satan suos commilitiones cohortatus, valida impressione facta, maxima clade pios affecerit: ut exempla Josuæ, piorum Judicum, Regum, Prophetarum, Apostolorum, & maximè nostri temporis indicant. Quare ita aptè hæc cantilena nostris temporibus convenit, ac si nobis scripta esset. Simus igitur sobrii, vigilemus & oremus, ne in tentationem intremus. Nam Satanas circuit cribrans pios, & & quærens quem devoret: caro autem nostra imbecilla est.

A Amari luctus mersitor
Mœstus suspiriis,
Tremore punctus agitor
Totis præcordiis,
Perit cordis lætitia,
Angit me præ inopia
Mentis angustia.
B Bonorum morum formula
Grata proscribitur,
Castitatis vera normula
Victa profligitur.
Virtus calcatur vitio,
Recti fit interitio,
Juris desitio.
C Crassatur commilitium
Turbæ Satanicæ,
Virtutes sed exitium
Deflent heroicæ.

Ple-

Plebefcit morum gloria,
Potitúrque victoria,
Reatus fcoria.
D Debellantur firmiffimæ
Caftra jufticiæ.
Proftat laudabiliffimæ
Lex pudicitiæ.
Status aberrant finguli,
Subduntur fponte pronuli
Sub juga zabuli. *Malè*
E Error vetus amicitur *confulen-*
Ufus caligine. *tis & do-*
Licet quicquid delinquitur. *centis, id*
Ex confuetudine. *eft Papa.*
Sic juri fit injuria,
Paterna dum per invia
It proles devia.
F Fax ardens vivæ fidei,
Norma jufticiæ,
Rivus prælargus olei
Mifericordiæ,
Mathefis quondam Romana,
Fons fpirans vitæ balfama
Per dogmata fana.
G Genus generaliffimum
Omnis jufticiæ,
Degenerans viliffimum
Fit vas fpurcitiæ.
Horrenda heu trajectio,
In loco fancto manfitat
Jam defolatio.

Haben-

H Habendi hydrops fervida
Hanc siti ustulat,
Simoniæque lurida
Hanc lepra pustulat.
Tumet fastus tympanide,
Neronisat prævalidè
Sæva tyrannide.

I Ignescat hanc ingluvies
Ampla lauticiæ,
Ingurgitat congeries
Hanc Bacchilatriæ.
Prurit luxus serpigine,
Manans ex scaturigine
Curatæ saginæ.

K Karismatum abusibus
Lautescit sedulè,
Inopum & delusibus
Crudescit patulè.
Data spernens magnalia,
Pro vanis æternalia
Facit venalia.

L Lambit insontum cruorem,
Tigride ferior:
Maternum linquens amorem,
Fit ursa sævior.
Ablactatos, ut Lamia,
Tormenta per truncaria,
Discerpens varia.

M Multorum belua capitum
Verius dicitur,
Monstróque monstrosius
Portentum creditur.

Auras

Auras colens altamine.
Undas motuum turbine,
Terras cupidine.

N Naturam ſic trifariam
Infauſtè ſapiens,
Facturam omnifariam
Sua arte capiens,
Nil reor hanc ſub æthere,
Terris, undis, vel aere,
Poſſe effugere.

O Orthodoxæ excultricem
Jactat ſe fidei,
Injuriarum ultricem
Clamitat ſe Dei.
Hac aſtus ſub diploide
Virus propinat callidè
Soboli ſtolidæ.

P Parentheſin ignaviæ
Injecit regibus,
Sintheſinque concordiæ
Dirupit gregibus.
Sal ſparſit in apiculas,
Lupis tradit oviculas
Carpi pauperculas.

Q Quadriorbis per ſpacia
Sic cædes horridæ
Hujus vulpis fallacia
Patrantur callidæ.
Rumpuntur pacis fœdera,
Celerat quivis revera
Sæva ad funera.

Regno-

R Regnorum ſic diſſidiis
Labant reſpublicæ,
Solantur parricidiis
Urbes non modicæ.
Penſantur nil proditio,
Papalique judicio
Fit abolitio.
S Stuprum & pejeratio
Laxantur leviter,
Frangitur pacisfactio
Valde faciliter.
Diſpenſantur perjuria,
Fraudes & adulteria
A' Romana curia.
T Totius hæc nequitiæ
Origo peſſima,
Deberet quæ juſticiæ
Fore potiſſima.
Caput languens & ſtolidum,
Effecit totum morbidum
Corpus & olidum.
V Victa vilis cupidine
Hæc numulatriæ,
Spreta quavis dulcedine
Cœleſtis patriæ,
Nil ſapit præter munera:
Falſa ſæpe, propter æra,
Commutat in vera.
X Xenia hac deflectere
Juſta judicia
Docent, juſtis complectere
Falſa convicia.

Vilet ovis absque vellere,
Nil æquum, ni pro munere,
Valet decernere.
Y Yam decor omnis exulat
A' Syon filia,
Hostis ferus diffibulat
Ejus monilia.
Jactura hæc non plangitur:
A' quovis namque quæritur,
Quod suum cernitur.
Z Zelotes ô Justiciæ,
Judex æquissime,
Ardorem avariciæ
Pellens nequissimæ,
Pastor pastores respice,
Velle tuum rex unice
In eis perfice.

Et Et tuis electam vineam
Trade cultoribus,
Germen qui ferant in eam
Plenum dulcoribus
Nectaris sapidissimi,
Vitalis pastus intimi
Delicatissimi.
Tit Titanis instar subditos
Illustrent moribus,
Legis faciant præditos
Christi canonibus.
Sic colant agros cordium,
Sentésque ex iis sordium
Evellant omnium.

Con

Con Concede, ut Ecclesia
Sancta catholica
Id est, Tuæ legis facetia, recta, veridica,
hominem Autores vitet scelerum,
peccati Te solum post legiferum
Antichri- Carpens iter verum.
stum. Tur Turris tu fortitudinis
Esto debilibus;
Fructum qui te dulcedinis
Spondes flebilibus.
Carnis solutis fletibus
Solari nos cum cœtibus
Confer cœlestibus.

IN PIUM II. PONTIFICEM MAXIMUM
Epigramma ex vetusto quodam codice.

FRigida membra Pii retinet lapis iste loquacis,
Qui pacem moriens attulit Italiæ.
Summe Deus, quantum mortalibus almæ dedisti,
Fulmine cum terigit hoc caput æqua manus.
Vendiderat precio gentes, & crimina multa
Virtutis specie gesserat iste pius.
Impius hic fuerat, quamvis sub nomine pulchro
Crediderit falsis posse juvare fidem.
Nunc fidei comites sceleratáq; turba clientum
Ingemuere Pium. Nam scelus orbis erat

CONCLUSIO.

Impius hic situs est, crudelis, raptor, iniquus
Aeneas, fatuæ quem genuere senæ.

ALIUD

ALIUD IN SIXTUM IIII.
Pont. Maximum.

NOn potuit sævum vis ulla extinguere
Sixtum:
Audito tandem nomine pacis obit.

Aliud in eundem.

Mortuus est Sixtus, gaudet nunc Roma: trahatur,
Ut dignum est, mortuus in Tyberim.

Aliud in eundem.

Pædico insignis, prædo, ficosus, adulter,
Exitiúmque urbis, perniciésque Dei.
Gaude prisce Nero: vincit te crimine Sixtus.
Hic scelus omne simul clauditur & vitium.

Aliud in eundem.

Sixte jaces: tandem stat post tua fata columna.
Ulciscar de te Roma, tuisque jaces.
Improbe, avare sitim nec nummi & sanguinis explens,
Corruptor secli Sixte Volumne tui.
Pædico, irrumator, & impie, crude, cruente,
Perfide, en esse reor nunc ego Roma deos.
Ultrices Erebi Furias, & carmina nostra
Nunc cape: mox cædum flumina larga bibes.

Aliud in eundem.

Sixtus obit, gaudens omnes ne funere sicco
Transeat, amissa plangite glande sues.

In eundem.

Extulit auratas sed postquam maxima glandes
Ecclesia, innumeris patefacta est janua porcis.

Aliud.

Sixte jaces tandem, fidei contemptor & æqui:
Pacis ut hostis eras, pace peremptus obis.
Sixte jaces tandem: lætatur Roma, tuo quæ
Passa sub imperio est funera, bella, famem.
Sixte jaces tandem, nostri discordia secli:
Sævisti in superos, nunc Acheronta move.
Sixte jaces tandem, fraudisq; doliq; minister,
Et sola tantum proditione potens.
Sixte jaces tandem: tibi nil nisi fata tulere
Pontificis nomen, cætera Hieronymo.
Sixte jaces tandem, pressa est quo sospite virtus,
Leges, sacra, pium, relligióque, fides.
Sixte jaces tandem, deflent tua busta cynædi,
Scortáque, lenones, alea, vina, Venus.
Sixte jaces tandem, summorum infamia, fexque
Pontificum, tandem perfide Sixte jaces.
Sixte jaces tandem, vos hunc lacerate Quirites,
Dentur & impastis membra scelesta feris.
Quid pia profuerint functo solennia Sixto?
Tradita sunt celeri vota precésque Noto.
Riserat ut vivens cœlestia numina Sixtus,
Sic moriens nullos credidit esse deos.
Sixte jaces tandem, superis invisus & imis:
Inclusus gravido ventre necandus eras.
Stupra, famem, strages, usuras, furta, rapinas,
Et quodcunque nefas te duce Roma tulit.
Magna licet tardæ solvenda est gratia morti,
Omne scelus tecum Sixte cruente jacet.

IN INNOCENTIUM VIII.

QUid quæris testes, sit mas aut fœmina Cibo?
Respice natorum, pignora certa, gregem.

In eundem, aliud.

Octo nocens pueros genuit, totidémq; puellas:
Hunc meritò poterit dicere Roma patrem.

Epitaphium ejusdem.

Spurcities, gula, avaritia, atque ignavia deses
Hoc, Octave, jacent quo tegeris tumulo.

IN ALEXANDRUM VI.

SUb quo bella diu viguerunt, pestis in urbe,
Diluvium populo, semper amara fames.
Mille hominum cædes, & furta incesta fuerunt:
Causa mali tanti proditor ipse fuit:
Sacrilegus prædo, sacra qui venalia cuncta
Fecerat, & cum quo polluit omne nefas.

In eundem, distichon.

Vendit Alexander claves, altaria, Christum;
Emerat ipse prius, vendere jure potest.

Aliud.

Hîc jacet Hispanus, famæ contemptor honestæ,
His brevius? lapis hic contegit omne scelus.

Aliud, in eundem.

De vitio in vitium, de flamma cessit in ignem
Roma sub Hispano deperitura jugo.
Sextus Tarquinius, Sextus Nero, Sextus & iste:
Semper sub Sextis perdita Roma fuit.

In eundem.

De vitio in vitium, in flammas ex igne redacta
Roma sub Hispano deperitura jugo.

Pontificem ſumum fecit modò Simo Simonem,
Perfidia ſumma Punica & Argolica.

In eundem.

Piſcatorem hominum ne te non Sexte putemus,
Piſcaris natum retibus ecce tuum.

Aliud.

Europen Tyrio quondam ſediſſe juvenco.
Quis neget? Hiſpano Julia vecta bove eſt.
Ille ſed aſtrigeri partem vix occupat orbis:
Hic cœlum atque deos ſub ditione tenet.
Unde igitur, ſi par meritum, non par quoque fatum,
Romanam amplexu plus tenuiſſe fuit.

In eundem.

Viſuram ſe iterum Sixtum cum Roma putaret,
Pro Sixto Sextum vidit, & ingemuit.

Aliud in Jubileum ejuſdem.

Pollicitus cœlum Romanus & aſtra ſacerdos,
Per ſcelera & cædes ad Styga pandit iter.

In eundem.

Bello, inimicitiis, furtisq; & cædibus hauſtam
Italiam cernis Sexte, & obire potes?

Aliud.

Dic in amicitiam coeant, & fœdera jungant
Mortales: dixit Sextus, & occubuit.

Epitaphium ejusdem.

Fortaſſe neſcis, cujus hic tumulus ſiet,
Adſta viator, ni piget.
Titulum quem Alexandri vides, haud illius
Magni eſt: ſed hujus, qui modò

Libi-

Libidinosa sanguinis captus siti,
Tot civitates inclytas,
Tot regna vertit, tot duces letho dedit:
Natos ut impleat suos,
Orbem rapinis, ferro & igne funditùs
Vastavit, hausit, eruit:
Humana jura, nec minus cœlestia,
Ipsosq; sustulit Deos.
Ut scilicet liceret (heu scelus) patri
Natæ sinum permingere:
Nec execrandis abstinere nuptiis,
Timore sublato semel.
Et tamen in urbe Romuli vel undecim
Præsidet his annis Pontifex.
I nunc Nerones, vel Caligulas nomina,
Turpeis vel Heliogabalos.
Hoc sat viator, reliqua non sinit pudor:
Tu suspicare, & ambula.

De eodem.

Mirum si vomuit nigrum post fata cruorem
Borgia? quem biberat, concoquere haud (potuit.

In eundem.

Nomen Alexandri ne te fortasse moretur,
Hospes abi: jacet hîc & scelus, & vitium.

In eundem.

Sextus Tarquinius, Sextus Nero, Sextus & iste:
Semper sub Sextis perdita Roma fuit.

DE PACE POST SEXTI mortem.

Dic unde Alecto pax ista refulsit, & unde
Tam subitò reticent prælia? Sextus obit.

Rursus in Sextum.

Sævitiæ, insidiæ, rabies, furor, ira, libido,
Sanguinis, atque auri spongia, dira sitis,
Sextus Alexander jaceo hîc: jam libera gaude
Roma, tibi quoniam mors mea vita fuit.

LUCRETIAE ALEXANDRI VI. filiæ Epitaphium.

Conditur hoc tumulo Lucretia nomine, sed re
Thais, Alexandri filia, sponsa, nurus.

In eandem.

Ergo te semper cupiet Lucretia Sextus?
O' fatum diri nominis: hic pater est?

IN CALIXTUM.

O Bone Calixte, nunc omnis clerus odit te
Olim presbyteri poterant uxoribus uti
Hoc tu, regnabas quo tempore Papa, vetabas:
Ergo tuum meritò nomen habent odio.

EX VETERI QUODAM MISCELANEORUM libello.

IPsa caput mundi venalis curia Papæ
Prostat, & infirmat cætera membra caput.
Sacrum, ô quale nefas, nostróque pudentius ævo,
Venditur in turpi conditione foro.
Chrisma sacrum, sacer ordo, altaria sacra, sacrata
Dona, quid hinc ultra? venditur ipse Deus.
O' sacra, quæ sacras maculant comercia sedes:
O' sacra, quæ faciunt cœlica templa forum.

Tale

Tale tuus mundus, ſi mundus jure vocatur:
Tale frequentatum ſudat habere forum.
Ecce ſed iſta (pudet) circumvaga turba ſcholares
Sectantur propria venditione forum.

EPITAPHIUM BALDASARI DE COSSA Johannis 23.

BAlthaſar in primis vocitabar, & inde Johannes:
Depoſitus rurſum Balthaſar ipſe vocor.
Dives eram nuper, quo nullus major in urbe:
En mihi divitias abſtulit hora brevis.
Dum cathedram Petri luſtro, paucísq; diebus
Poſſedi, multi procubuere mihi.
Peſtis avaritiæ me cæcum reddidit aurum,
Plus juſto ſitiens munere ſacra dedi.
Hei mihi quam duxi, ſponſæ Chriſti ſine ruga,
Scandala magna nimis ſordida vita dedit.
Propter quæ ſcelera celſo Synodus ſacra Petri
Me velut indignum depulit è ſolio.
Pontifices igitur moniti ſint temporis hujus
Exemplo noſtro, ne ſacra dent precio.

EPITAPHIUM PETRI DE LUNA Benedicti 13.

PEtrus ego quondam, Benedictus & inde vocabar:
Ejectus rurſum, Petrus, ut antè, vocor.
Eccleſiæ voto, juramentóque tenebar
Schiſmata, ſciſſuras tollere de medio.

Dum cathedra ſedi, dominandi cæca libido
Me non permiſit ſolvere, quæ pepigi.
Fratrum, Pontificum, Regum precibus, monitiſque
Totius Eccleſiæ cedere non volui.
Voti tranſgreſſor, juramenti quoque fractor,
Aſſeror à cunctis non ſine demeritis.
Ad ſacram Synodũ, cui dat Conſtantia nomen,
Evocor: idque negans, damnor & ejicior.
Qui modò ſnmmus eram gaudens de nomine præſul,
Triſtis & ejectus nunc mea fata gemo.
Excelſus ſolio nuper verſabar in alto,
Cunctáque gens pedibus oſcula prona dabat.
Nunc ego pœnarum fundo devolvor in imo,
Et vultum informem quemq; videre piget.
Omnibus è terris aurum mihi ſponte ferebant:
Sed nec gaza juvat, nec quis amicus adeſt.
Si variat fortuna vices, adverſa ſecundis
Subdit, & ambiguo numine ludit atrox.
Cedat in exemplum cunctis, quos gloria tollit:
Vertice de ſummo mox ego Papa cado.

EX VETUSTISSIMO QUODAM Codice.

SCandala nova cape, quia facti ſunt duo Papæ,
Et duo reges perverterunt undique leges.
Gens ſine capite, Mag keinem radt geſchaffen.
Imperium vacat, ſapite, Sie han kein Haupt die pfaffen,
Per quod ſchiſma vertitur, In der Chriſtenheit diet:

Chriſma

Chriſma per hoc deſtruitur, Schaw jedermañ
zu wem er ſich biet.
Neſcimus in quo ſtat veritas, was ſollen wir
halten,
Honor & proſperitas, wendt ſich von uns
ſchalten.
Huc uſq; nos habuimus lob und auch vil ehren,
Quod ab hinc jam perdimus, wir müſſen uñs
verkehren.
Jura injuſtitiæ machen ſie zu recht,
Uſuræ, avaritiæ, ſeyndt worden ihre knecht.
Magnum malum oritur unter den gelehrten
leuten,
Juſtitia jam moritur, das will ich euch bedeutẽ,
Capita Apoſtolica wollen nun den geitz be-
gehren,
Per quod & gens catholica, will ſein auch
nicht entbehren.
Dicit avarus laicus, muſs ich in die höll,
Tunc ſummus Apoſtolicus wird auch mein
geſell.
Cauſam avaritiæ, machet den unglauben:
Perverſor eſt juſtitiæ, das ſehen wir mit den
augen.
Vicarius verò unus ſit, und ſoll auch nicht
mehr werden:
Inauditum eſt, quod modò fit, Ir ſeyndt wol
drey auf erden.
Quisq; illorum cogitat, wie er muge bleiben:
Reges, Barones rogitat, daſs man ihn nicht
woll vertreiben.
In diverſis provinciis ſenden ſie legaten

Cum perverſis nunciis, die den herren ſolleu
rathen,
Adhære mihi ſupplico, wiltu ihr ſolde,
Quicquid petis trado, von ſilber und von
golde.
Dignitates, beneficia, lieh ich dinen kinden,
Sic iterum avaritia, macht ſehenden blinde,
Et ſic ſeducti domini, halten keinen lehrer.
Adhærent perverſo homini, der Chriſtenheit
verkehrer,
Eſt nobis hîc dubium, welcher geſezt ſeye
von recht,
Pacis Deo nubium, welcher ihm füge zum
knecht,
Generalia concilia, hielten vor die alten,
Perierunt ſimilia, und weren das mit gewalte,
Duces, Imperator, & reges, und helffen ihn
widerſtan,
Jus Canonicum & leges, lieſſen ſie für ſich
gahn:
Depoſuerunt malignum, ward einer zum
Bapſt geſezt,
Siſtebant juſtum dignum, und hielten den
alle veſt.
Nunc enim habet locum, ſollich liſtigkeit
De fide faciunt jocum, die prælaten der Chri-
ſtenheit,
Derident nos Judæi, und ſprechen durch ih-
ren ſpott,
Sequaces Jeſu Dei, Brechen ſein gebott.
Hunc riſum à nobis avertas, Gott im him-
melreich,

Inl-

Iniquorum corda convertas, und macht uns alle gleich
In fide concordare, dahin als dahär
Nos velis collocare, in aller heiligen schar.

Aliud ex antiquo codice.

PAter, fili, spiritus sancte septiformis,
Regum rex altissime, Jesu nunquid dormis?
Nónne mundum respicis, qui jam est enormis?
Quot & quantis maculis factus est deformis?
Gramatica, Papa pater pauperum est infinitus,
Ex eo Grammaticæ perturbatur rivus.
Namque fore debuit gratiæ datívus,
Factus est Ecclesiæ rerum ablativus.
O' subtilis Logica, quid ad hæc vis fari?
Quæ nos doces speciem non posse permutari.
Non'ne pastor ovium lupus vult vocari?
Minare non vult, sed minari.
Tu dulcis Rhetorica dole peritura,
Tua jam simplicia destruuntur jura,
Decima Ecclesiæ dignè receptura
Pro tributo positi decima daturi.
Dolet Arithmetica, quòd ipsa gravetur,
Quæ docet per numerum, quo res ordinetur.
Papa clerum juvat, non ut conservetur:
Imò quòd Ecclesiæ rebus spolietur.
Taceant Astrologi amplius probare,
Solem astris cæteris lucem ministrare.
Papa sol Ecclesiæ studet hoc falsare,
Qui totam Ecclesiam vult obtenebrare.
Non'ne doles Musica dolis supplantata,
Per clerum antiquitùs dulciter prolata?
Plutoni lamentabili jam est sociata,

Can-

Cantuque lætitiæ penitus orbata.
Nónne & tu pateris ô Geometria ?
Per Papam indebitè mensuratur via,
Per quod in Ecclesia fit hæc simonia,
Da regnum citius ô Jesu Messia.

IN PAPAM, QUOD SIMONIAM non puniat.

EST Papæ leges sacras dictare, minorum
Præscripti juris formam servare, sed errant
Complures, quorum te Papa redarguit error.
Parcis, non punis enormia lucra sequentes.
Illicitum vendunt, & emunt sine vindice culpæ.
Papa potens, cujus non est breve posse, memento
Vindictæ, mansuete pater quandoque mucronem
Exere. si dormit vindicta, vagabitur errans,
Ut lupus insultans, aut vulpecula damnis
Insidians operabitur hinc, meditabitur inde
Nequitias: occultus in hoc, manifestus in illo,
Plenus utrinque malo. Duo sunt mala, fraus simoniæ.
Frigus avaritiæ perplectitur istud, & illud
Non detestatur. sed inani voce laboro.
Quicquid in hunc dicam, laterem lavo. si probo, non est
Hoc ejus meritum: si reprobo, non movet ejus
Crimen eum. lege quicquid habet de felle, legetur
Præsens blanditor, absens detractor, amicus
Apparens, hostis tectus, possessor avarus,

Exa-

Exactor durus, prædo gravis, ambitiosus
Institor, illicitus emptor, celer ad simoniæ
Tam generale malum. Scelerum pater optime
vindex,
Ad scelus hoc appone manum. prudentia Papæ
Vult & habet sepelire nefas, non est alienum
Hoc opus à Papa prudenter, nec ista voluntas.
Papa potens tractas ita tecum sæpius: ô quàm
Mira Dei virtus, quàm magna potentia,
quantus
Sum, quantillus eram, subitò de stipite parvo
In cedrum crevi magnam. Deus ille deorum
Mirificavit opus proprium sub flore juventæ
Me voluit caput esse senum, mirabile donum
Dat juveni, claves regni cœlestis, & orbis,
Imperium. nondum decurso tempore multo,
Cor gessi sciolum fuit os rude, posse pusillum,
Jam cor & os & posse meum sic extulit, & sic
Prætulit hoc aliis, ut sim stupor unicus orbis.
Istud opus non est humanum, gratia summi
Me fecit summum: mihi nec laus inde, sed illi
Grates, de cujus pleno suscepimus omnes.
Unde magis teneor, & strictius obligor illi
Ponere, quod poni disponit: tollere, tolli
Quod statuit, velle quod vult, odisse quod
odit.
Et cupio quòd sic astringor, & omnia po-
nam
Quæ poni, tollam quæ tolli, jussit in uno
Sollicitus velle quod vult, odisse quod odit.

EXPOLITIO PER EXUSCITATIONEM:
& respicit ad sententiam suprà positam,
Prudentia Papæ.

QUis'nam tam cerebri vacuus, tam pectoris expers,
Tam sine se, quin laudet opus, quin judicet istud
Prudentis veniæ, prudens ita Papa laborem
Totum fundat in hoc & ob hoc, quòd tanta potestas
Illi cessit in hoc, maculas ut tolleret orbis:
Ut mundum faceret mundum, quia limite dextra
Duceret in cœlum, qua sic Deus extulit illum
Hoc ad opus: refert illius, ut hoc operetur.
Ergo remissus ad hoc, fons est & origo duobus
Damnis. nam pariter suus est, & publicus hostis.
An melius mundo somno torpente nocere,
Quàm vigili cura prodesse? memento notare.
Instar Papa boni pastoris ab ore lupino
Servat ovile suum: vel quomodo physica curat
Corpora, si animas & vulnera curat earum.
Physicus & pastor noster Deus omnia sanans,
Propter oves animam posuit, sed vi rationis
Constat, & exempli, tollenda nefaria mundi.
Ergo nefas sepeli, pie Papa subambule Petri:
Cumque suo Simone detur simonia ruinæ.
Propria quæque gravat sordes, te prægravat unum
Publica pernicies; hæc unica subruit omnes,
Sit

Sit quòd eos nullum mortale remordeat: istud
Dum tamen obstat eis, animæ mors pendet
in uno.

IN CLEMENTEM VII.

Clementem eripuit nobis clementia fati,
Humanum toto gaudet in orbe genus.
Hic est qui fuerat tam dedecus urbis & orbis,
Et fuit ætatis magna ruina suæ.
Hic est, qui tantos mutato fœdere reges
Prodidit, & nullam novit habere fidem.
Hic est, qui gravibus vexavit regna tributis,
Atque Italûm totas hausit avarus opes.
Hic est, qui patriam bellis oppressit acerbis,
Turbavit proprios seditione lares.
Hic voluit rapidis sua mœnia perdere flammis,
Et plusquam humana strage replevit humum.
Hic est, qui multas viduavit civibus urbes,
Crudelique suas imbuit ense manus.
Hic est, qui bellis Insubria diruit arva,
Extorrem Urbini compulit ire ducem.
Hic est, si nescis, qui clàm tibi Roma paravit
Excidium, pestem, funera, bella, famem.
Hic est, per tantæ quem prostant urbe puellæ,
Per quem pulsus honos, virgineúmq; decus.
Hic est, qui molles evexit ad astra cinædos,
Formosum à tergo munere juvit Hilam.
Hic est, qui fuerat vivens infamia mundi,
Imperii labes, spurcitiésque sui.
Contemptor divûm, scelerum vir, publicus
hostis,
Perfidus, ingratus, raptor, iniquus, atrox.
Nutri-

Nutrivit longi discordia semina belli,
Movit pacatos semper ad arma duces.
Hoc vivente fuit nullarum copia rerum,
Tabe ruunt sterili pallida membra fame.
Curavitque nihil miseræ jejunia Romæ,
Ut fruges magno venderet ære suas.
Exosus vitam, & morbo tenuatus amaro,
Stabat Pæonia non revocandus ope.
Mortem implorabat, nec mortem fata sinebant,
Gaudebant longa sed cruciare mora.
Hic vidit mortis centum tormenta futuræ,
Pœna tamen mortis non fuit æqua suæ.
Ex ista tandem migravit luce tyrannus,
Quo nullus toto pejor in orbe fuit.
En date vulturibus cives tam putre cadaver,
Nulla has relliquias hospita terra tegat.
Illuxit tandem cœlo lux una sereno,
Et venit populis sæpe vocata dies.
Ducite fœlicem per compita ducite lucem
Aeneadæ, & lætis solvite corda jocis.
Hanc lucem moneo vestris inducite fastis,
Longa hanc posteritas relligione colat.
Sicut magnanimo pulsos à consule reges
Legimus, & nostro tempore durat honos.
Et tu sublatum è terris lætare Neronem,
Pristina libertas reddita Roma tibi est.

IN JULIUM II.

Genua cui patrem, genitricem Græcia, partum
Pontus & unda dedit, hic bonus esse potest?

Falle-

Fallaces Ligures, mendax est Græcia, Ponto
Nulla fides, in te singula solus habes.

Aliud in eundem.

Julius Hispanos Cæsar, Gallósque subegit:
Qui Turcas subigat, Julius alter eris.
Julius alter eris auctúrus ovilia Christi,
Sicut Romanas Iulius auxit opes.

Rursus de Julio II. Pontifice.

Cum contra Gallos bellum Papa Julius esset
Gesturus, sicut fama vetusta docet:
Ingentes Martis turmas contraxit, & urbem
Egressus, sævas edidit ore minas.
Iratúsque sacras claves in flumina jecit
Tybridis, hîc urbi pons ubi jungit aquas.
Inde manu strictum vagina diripit ensem,
Exclamánsque truci talia voce refert:
Hic gladius Pauli nos nunc defendet ab hoste,
Quandoquidem clavis nil juvat ista Petri.

Aliud in eundem.

Concitat iratum bellator Julius orbem,
Effera pacificos induit arma duces.
Tela dat Italiæ, tibi dat Germania bellum:
Hoc turbante, domo prodit Ibera quies.
Impulit audaces eadem vesania Gallos,
His facibns Venetas ardor adussit opes.
Ultima ab hoc flavos dedit insula mota Britannos,
In commune Scotus contulit arma nefas.
O' ubi nunc Turcæ? sed inexcusabile bellum,
Orbis in exitium commovet unus homo.

Omnibus arma dat unus homo, bellum omnibus unus,
Idem publica res efficit, ut pereat.
Ut Christi perimantur oves, turbetur ovile,
Pascat & admissos caula adaperta lupos.
Hæc rabies placido dimovit vincula Jano,
Hæc Furia implevit omnia cæde nova.
Atque huic, qualis erat (neque enim bonus) illud ovile
Credidimus, miserum credidimusq; pecus.
Toti quinetiam regem præfecimus orbi,
Nomine pastoris, nomine Pontificis.
Dira venenato soboles, latro prodite partu:
Hac Christum, hac sequeris conditione Petrum.

DE GLADIO JULII.

ILle sui longo successor in ordine Petri,
More novo tantas res agit, & studio.
Nam neque pro populis orat, pacique relictus,
Quod faceret Petrus, sacra fidémque docet:
Verum bella movet, gerit arma, & sanguine gaudet,
Nimirum Paulum prætulit ille Petro.
Paulus habet gladium, sed non ferit: occidit illo.
At malus hic multis intulit exitium.

De eodem.

Julius est Romæ, quis abest? data numina Brutum.
Nam quoties Romæ est Julius, illa perit.

IN

IN PAULUM II. P. M.

Quum ſit filia Paule, ſit tibi aurum,
Quantum Pontifices habere raros
Vidit Roma prius, pater vocari
Sanctus non potes, at potes beatus.

In eundem.

Pontificis Pauli teſtes ne Roma requiras,
Filia quem ſimilis ſat docet eſſe marem.
Sanctum non poſſum, patrem te dicere poſſum,
Cum video natam Paule ſedere tuam.

IN LEONEM X.

Raptorem ſi quis forſan mirare Leonem,
Ignoras uncis unguibus eſſe feram?

In eundem.

Cur malè conſultum miſero ſit, quæris, ovili?
Quòd leo quadrupedi haud imperat, aſt
homini.

In eundem.

Sumere maternis titulos cum poſſet ab urſis,
Cæculus hic noſter maluit eſſe Leo.
Qui tibi cum magno commune eſt talpa
leone?
Non cadit in turpes nobilis ira feras.
Ipſe licet cupias animos ſimulare leonis,
Non lupus hoc genitor, non ſinit urſa parens.
Ergo aliud tibi prorſus habendum eſt Cæcule
nomen,
Nam tuncta ut poſſit, non potes eſſe leo.

In eundem.

Sacra ſub extrema ſi fortè requiritis hora,
Cur Leo non potuit ſumere, vendiderat.

TERTIA PARS, DE SCELERIBUS ROMÆ.

Roma caput mundi eſt, ſed nil capit mundum.
Quod pendet à capite, totum eſt imundum.
Trahit enim vitium primum & ſecundum :
Et de fundo redolet, quod eſt juxta fundum.
Roma capit ſingula, & res ſingulorum :
Romanorum curia non eſt niſi forum.
Romæ ſunt venalia jura ſenatorum,
Et ſolvit contraria copia nummorum.
In hoc conſiſtorio ſi quis cauſam regat
Suam vel alterius, hoc in primis legat :
Niſi det pecuniam, Romam totum negat.
Qui plus dat pecuniæ, melius allegat.
Romani capitulum habent in decretis,
Ut petentes audiant manibus repletis.
Dabis, aut non dabitur : petunt, quando petis.
Qua menſura ſeminas, eadem tu metis.
Munus & petitio currunt paſſu pari,
Opereris munere, ſi vis operari.
Tullium ne timeas, ſi velit cauſari.
Munus eloquentia pollet ſingulari.
Nummis in hac curia non eſt qui non vacet,
Crux placet, rotunditas placet, totum placet:
Et cum ita placeat, & Romanis placet.
Ubi nummus loquitur, & lex omnis tacet.
Si quo grandi munere bene paſcas manum.
Fruſtra quis objiciat vel Juſtinianum,

Vel

Vel ſanctorum canones: quia tanquam vanum
Tranſeunt has paleas, ut burſa det granum.
Romam avaritiæ vitet manus parca:
Parcit danti munera, parco non eſt parca.
Numus eſt pro numine, & pro Marco marca:
Et eſt minus celebris ara, quàm ſit arca.
Cum ad Papam veneris, habe pro conſtanti:
Non eſt locus pauperi, ſoli favet danti.
Et ſi munus præſtitum non ſit aliquanti,
Reſpondet hic tibi ſic, non eſt mihi tanti.
Papa, ſi rem tangimus, nomen habet à re:
Quicquid habent alii, ſolus vult pappare.
Et ſi nomen Gallicum vis apocopare,
Pajes pajes diſt-le mot, ſi vis impetrare.
Papa quærit, chartula quærit, bulla quærit,
Porta quærit, Cardinalis quærit, curſor quærit,
Omnes quærunt: & ſi quod des uni, deerit,
Totum jus falſum eſt, tota cauſa perit.
Da iſtis, da aliis, addas dona datis:
Et cum ſatis dederis, quærunt ultra ſatis.
O' vos burſæ turgidæ Romam veniatis:
Romæ viget Phyſica burſis conſtipatis.
Prædantur marſupium ſinguli paulatim:
Magna, major, maxima præda fit gradatim.
Quid irem per ſingula? colligam ſummatim,
Omnes burſam ſtrangulant, & expirat ſtatim.
Burſe tamen Tityi jecur imitatur,
Fugit res, ut redeat: perit, ut naſcatur.
Et hoc pacto loculum Roma deprædatur,
Ut cum fiat vacuus, magis impleatur.
Divites divitibus dant, ut ſumant ibi,
Et occurrunt munera relativè ſibi.

Lex est ista celebris, quam fecerunt scribi:
Si tu mihi dederis, ego dabo tibi.
Redeunt à curia vertice cornuto,
Jupiter rex Joannes est : Pluto, Romanus pontifex.
Ima tenet Juppiter, cœlum habet Pluto,
Et accedit dignitas animali bruto,
Tanquam gemma stercori, & pictura luto.

QUOD ROMANA AVARITIA
sit Scylla, Syrtis & Charybdis
pecuniæ gentium.

PRopter Syon non tacebo,
Sed ruinas Romæ flebo,
Quoadusque justitia
Nobis rursus oriatur,
Et ut lampas accendatur
Justus in Ecclesia.
Sed & vilis, & in luto
Princeps facta sub tributo:
Quod solebam dicere,
Romam esse derelictam,
Desolatam & afflictam,
Expertus sum opere.
Vidi vidi caput mundi
Instar maris, & profundi
Vorax guttur Siculi.
Ibi mundi δυθάλασσος,
Ibi sorbet aurum Crassus,
Et argentum seculi,
Ibi latrat Scylla rapax,
Et Charybdis auri capax

Potius

Potius quàm navium.
Ibi pugna galearum,
Et conflictus piratarum,
Id est Cardinalium.
Syrtes insunt huic profundo,
Et Syrenes toti mundo
Minantes naufragium.
Os hominum foris patet,
In occulto cordis latet
Informe Dæmonium.
Habes juxta rationem
Διθάλασσον per Franconem.
Quod ne credas frivolum,
Ibi duplex mare fervet,
A quo non est qui reservet
Sibi valens obulum.
Ibi venti colliduntur,
Ibi panni submerguntur.
Bissum, ostrum, purpura.
Ibi mundus sepelitur,
Immo totus deglutitur
In Franconis guttura.
Franco nulli miseretur,
Nullum sexum reveretur,
Nulli parcit homini.
Illuc enim dona ferunt,
Omnes illuc ascenderunt
Tribus tribus Domini.
Canes Scyllæ possunt dici,
Veritatis inimici,
Advocati curiæ,
Qui latrando falsa fingunt,

Mergunt simul & confringunt
Carinam pecuniæ.
Iste probat se legistam,
Ille vero Decretistam,
Inducens Gelasium.
Ad probandam quæstionem,
Hic intendit actionem
Regendorum finium,
Uti reum prosequatur:
Hîc Charybdis debachatur,
Id est cancellaria.
Ibi nemo gratus gratis,
Nulli datur absque datis
Gratiani gratia.
Plumbum quod hîc informatur,
Super aurum dominatur,
Et massam argenteam.
Aequitatis phantasia
Sedet teste Zacharia
Super bullam plumbeam.
Qui sunt Syrtes, vel Syrenes?
Qui sermone blando lenes
Attrahunt bizantium.
Speciem prætendunt lenitatis,
Sed Charybdi parcitatis
Supinant marsupium.
Dulci cantu blandiuntur
Ut Syrenes, & loquuntur
Primò quædam dulcia:
Frater bene te cognosco,
Certè nihil à te posco,
Nam tu es de Francia.

Terra

Terra vestra bene cœpit,
Et benignè nos excepit
In portu concilii.
Nostri estis, nostri, cujus?
Sacrosanctæ sedis hujus
Speciales filii.
Nos peccata relaxamus,
Et peccantes collocamus
Sedibus æthereis.
Nos habemus Petri leges,
Ad ligandum omnes reges
In manicis ferreis.
Ita dicunt Cardinales,
Ita solent dii carnales
In primis allicere.
Sic instillant fel draconis,
Et in fine lectionis
Cogunt bursam vomere.
Tales regunt Petri navem,
Tales habent Petri clavem
Ligandi potentiam.
Hi nos docent, sed indocti.
Hi nos docent, sed nox nocti
Indicat scientiam.
Cardinales, ut prædixi,
Nove jure crucifixi
Vendunt patrimonium.
Foris Petrus, intus Nero,
Intus lupi, foris verò
Sicut agni ovium
In galea sedet una
Mundi lues importuna,

Camelos degluciens,
Involuta Canopæo
Cuncta vorat sicut leo
Rapiens & rugiens,
Hîc piratis principatur,
Et Joannes nuncupatur,
Sedens in insidiis.
Ventre grosso, lota cute,
Grande monstrum, nec virtute,
Sed rerum emptum vitiis,
Maris hujus non est dea
Thetis mater Achillæa,
De quâ sæpe legimus.
Imò verò Carlinorum
Sancta soror loculorum,
Quam nos Bursam dicimus
Hæc dum prægnat, ductor ratis
Epulatur cum piratis;
Et amicos reperit.
Sed si Bursa detumescit,
Surgunt venti, mare crescit,
Et carina deperit.
Sic à ventis circumlata,
Et à scopulis vexata
Periculo suberit.
Et occurrunt cautes rati,
Donec omnes sunt privati
Tam nummis, quàm vestibus.
Tunc securus fit viator,
Quia nudus & cantator
Fit coram latronibus.
Qui sunt cautes? janitores,
Per quos, licet sæviores

Tigribus & belluis,
Intrat dives ære plenus,
Pauper autem & egenus
Pellitur à januis.
Quòd ſi verum placet ſcribi,
Duo portus tamen ibi,
Duæ manent inſulæ:
Ad quas licet applicare,
Et jacturam reparare
Confractæ naviculæ,
Petrus enim Papienſis,
Qui electus eſt Meldenſis,
Portus tectè dicitur.
Nam cum mare fluctus tollit,
Ipſe ſolus mare mollit,
Et ad ipſum fugitur.
Eſt & ibi major portus,
Fœtus agri, florens hortus,
Pietatis balſamum.
Alexander ille meus,
Meus inquam, cui det Deus
Paradiſi thalamum.
Ille fovet literatos:
Omnes malis incurvatos,
Si poſſet, erigeret.
Verus eſſet cultor Dei,
Niſi latus Heliſæi
Gieſi corrumperet.
Sed ne rurſus in hoc mari
Me contingat naufragari,
Dictis finem faciam.
Quia dum ſecurus eo,

Ne

Ne submergar, ori meo
Posui custodiam.

DACTYLICI LEONINI IN ROMAM, quod donis omnia justificet, item quod sit insatiabilis.

Ecclesiastica Roma negotia cum moderetur,
Quæstio partibus omnis ab omnibus hîc recitetur.
Sola pecunia perficit omnia, nec tibi claudit
Janitor ostia, dona sequentia si prius audit.
Qui vehit amplius, ille benignius accipietur:
Quiq; remissius, hic inhonestius inde movetur.
Summa scientia, summa potentia, nulla tenentur
Verba precantia, munera dulcia ni comitentur:
Non sapientia, non reverentia relligionis,
Judicium nisi per vitium capit ambitionis.
Extenuabitur, evacuabitur omnis honestas,
Cum studio furit in precio Romana potestas.
Hinc anathemata, nulláque schismata spargit ubique,
Quod venialia tam capitalia sanctet iniquè:
Spiritualia jam quasi vilia dona trahuntur
A' sceleratis, sanctáq; gratis non tribuerunt.
Immedicabilis, insatiabilis ista vorago,
Quam sequitur, pro qua moritur damnata propago.
India, Græcia, Pontus & Asia non satiarent
Ingluviem, Romæq; luem, licet accumularent,
Quæ specialia sunt sibi pallia, sive monetam:
Deficerent, neq; sufficerent hic ponere metam.

Anglia,

Anglia, Scotia, largâ; Francia multa dederunt,
Rubráq;coccina, candida vellera composuerũt.
Composuerunt, quod voluerunt,& meruerunt
Idola plumbea, quæ quasi numina constituerunt:
Nec metuentes, nec reputantes, quòd Deus illa
Evacuabit, & annihilabit falsa sigilla.

EX VETERI QUODAM POEMATE, cujus initium est, Aurea lux oritur.

Mater Jerusalem, quasi filia sit Babylonis,
Sordet, vilescit, deprimitúrq; jugo.
Inspice tot rerum contagia, non reproberis
Cum reprobis, fugias, & reprobanda vide.
Hypocrisim, fraudem, mendacia, jurgia, litem
Desere, devita, respue, pelle, fuga.
Consortes Judæ vendunt patrimonia Christi:
Simonis arte perit spiritualis honor.
Defloret flos Ecclesiæ, languet caput omne,
Membra dolent, pastor deviat, errat ovis.
Væ regno pueri, quia deficit arte regendi,
Perditur in fatuis Pontificale decus.

HILDEBERTI EPISCOPI Cenomanensis in Romam disticon.

Urbs fœlix, vel si dominis urbs illa careret,
Vel dominis esset turpe carere fide.

Alterius cujuspiam.

Roma tibi quondam suberant domini dominorum,
Servorum servi nunc tibi sunt domini.

Alte-

IN PEREGRINATIONES AD LIMINA Apoſtolorum, ex quodam vetuſto codice.

Roma vale, vidi. ſatis eſt vidiſſe, revertar
Cum leno, meretrix, ſcurra, cynædus ero.

Aliud.

O' Roma, à Roma quantum mutata vetuſta eſt:
Nunc caput eſt ſcelerũ, quæ caput orbis erat.

SEQUITUR ANTIQUUM, TRITUM ac celebre ruſticorum proverbium in Romaniſtas, & eorum vicinos.

Je neher Rom, je böſſer Chriſt.
Roma habitans, nihili curat mandata Tonantis.

Ex veteri quodam miſcellaneorum libro.

Roma manus rodit, nil dantem crimine prodit.
Curia Romana, quaſi febris quotidiana,
Clerum corrodit, corroſum ſpernit, & odit.

Incerto autore, ex veteri codice.

NObilibus quondam fueras conſtructa patronis,
Subdita nunc ſervis heu malè Roma ruis.
Deſeruere tui tanto te tempore reges,
Ceſſit & ad Græcos nomen honórq; tuum.
Conſtantinopolis florens nova Roma vocaris,
Moribus & muris Roma vetuſta cadis.
Tranſit imperium, manſitq́; ſuperbia tecum,
Cultus avaritiæ te nimium ſuperat.
Vulgus ab extremis diſtractum partibus orbis,
Servorum ſervi nunc tibi ſunt domini.

In

In te nobilium rectorum nemo remansit,
Ingenuique tui rura Pelasga colunt.
Truncasti vivos crudeli funere sanctos:
Vendere nunc horum mortua membra soles.
Nam nisi te meritum Petri Paulíq; foveret,
Tempore jam longo Roma misella fores.

GANFREDUS DE STATU CURIÆ Romanæ, & de ejus ironica recommendatione.

Nuper Apostolica Ganfredus sede relicta
In patriam rediit, cuncta peracta tenens.
Obviat Aprilis Hispana gente profectus,
Obviat, inq; vicem verba salutis agunt.
Iste locum nondum Romanæ viderat urbis,
Alter erat tota cognitus urbe diu.
Postulat Aprilis, ut se de gente, locique
Moribus expediat, postulat: ille favet.
Gan. Quid Romæ facture, quid est quod quæris in urbe?
Cur te sub longo climate mundus habet?
Apr. Ille refert: Studui lustris ter quinque nec ulla
Respondit meritis philosophia meis.
Papa meos solus poterit relevare labores,
Et removere sitim fonte perennis aquæ.
Hunc peto, si forsan nostri miserebitur, & si
Paupertatis hyems tanta movebit eum.
Ampla tenent alii stipendia divitis aræ:
Hic tribus, hic senis, dives at ille decem.
Sed mihi sufficeret præbendula pauperis aræ
Quinq; talenta valens, quinq;, parum've magis.

Credo

Credo quòd urbis apex ſanctiſſimus ille virorũ,
Si me cognoſcat, non negat iſta mihi.
Ditat eos, qui pauca ſciunt, vir ſanctus, & à me
Forſitan excutiet pulueris iſtud onus.
Sed precor incipias, Romæ quis ſit ſtatus urbis,
Et ſi ſint illic tempora dura, refer.
Fama refert, quòd res nummis prius empta duobus,
Patre duplum valeat adveniente ſacro.
Fers aliquid? Ganfredus ait, Fero. ſubdidit alter,
Si licet exiguum, non tamen ære vaco.
Rumor enim loquitur, quòd curia ſacra requirat
Munus. & abſque illo littus aretur ibi.
Neſcio ſi ſic eſt: tu cum ſis cognitus urbi,
Hærentem dubiè non dubitare ſinas.
Gan. Frater amice, tibi res eſt narrata ſiniſtre.
Falleris, & non ſic erudiendus eras.
Peccat, Romanæ quiſquis ſic derogat urbi.
Sed linguas hominum quis domuiſſe poteſt?
Ventus per celſos ſua dat ſpiramina montes,
Nec livor claris novit abeſſe viris.
Aurea ſunt illic, Aprilis, ſæcula Romæ,
Urbs ſacra, prædulci venáq; melle fluit.
Nulla queri poteris, poſtquam perveneris illuc:
Omnibus hæc eſt urbs delicioſa bonis.
Non placeat ſuperis Papa præſente beato?
Deterius ſolito qui ſit in urbe forum?
Non aliter lueret pœnas vir talia tentans,
Quàm ſolet inventus vir nocuiſſe volens.
Omnia

Omnia de circum veniunt regione jacenti,
Protinus ut Papam Roma beata videt.
Grana Ceres mittit, & grandia dona Lyæus,
Transmittit fœtus pinguis oliva sacros.
Byssus ab Aethiopum Romam deducitur oris,
Et tellus alias barbara mittit opes.
Cocco bis tinctos urbi dat Græcia pannos,
Quid moror? huic urbi servit uterque polus.
Deliciæ si quis ubi sint ignorat, in urbem
Tendat, & inveniet omne quod orbis habet.
Apr. Insolitus timeo ne me distemperet aer,
Et mea tristis ibi presbytero ossa tegat.
Gan. Si pietatis adhuc opus est in climate nostro,
Si perfectus amor, urbs habet ista duo.
Esto quòd arripiat te febris in urbe, quod absit:
Physicus est illic, quem tibi Roma dabit.
Roma tenet medicos pro febricientibus aptos,
Qui res exiguas de patiente petunt.
Apr. Si forsan moriar, quali tumulabor honore?
Exulis exequias quis celebrare solet?
Gan. Tot digitos in utraque manu, tot in ore rotundo
Non niveos dentes dinumerare potes:
Quot tibi missarum solennia sacra dabuntur,
Clauserit extremum si tibi Roma diem.
Ante tuum corpus summo reverenter honore
Compositum clerus lumina mille feret.
Thuris odor fragrans mirrhæ jungetur odori,
Purpura defunctum te preciosa teget.

Apr. Quis rerum diviſor erit, Ganfrede, mearum?
Si fuero greſſus carnis in urbe viam?
Quis mihi promittet, ne ſi mea lumina condam,
Diripiat noſtras hoſpes avarus opes?
Gan. Non tibi pro capitis oculo, quicunque ſit hoſpes,
Senſeris in cujus ultima fata domo.
Non trahet è marcis, quamvis ſint mille, valorem
Feſtucæ, vel ſi res minor eſſe poteſt.
Hoſpes, in hoſpitio cujus deceſſeris illic,
Dividet in requiem cuncta relicta tuam.
Sic etenim cautum eſt, ſic urbis provida virtus
Conſtituit, lex eſt inveterata loco.
Apr. Lætus eo. ſed dic num ſit procurator in urbe,
Conſequar optatas quo mediante preces?
Gan. Deſeret infantem mater prius, herba virorem,
Piſcis aquas, virides garrula rana lacus,
Sponſa virū tenerū, tener infans ubera matris,
Quàm procurator non ſit in urbe ſacra.

De procuratoribus.

Apr. Eſt'ne fides etiam procuratoribus illis?
Qui ſe credet eis, num bene tutus erit?
Audivi, quòd dent adverſis partibus arma,
Et ſic occultè munus utrinque petunt.
Spem faciunt illi, quòd vincere debeat in re
Propoſita, & litis ferre trophæa ſuæ.
Mox redeunt, & idem promittunt illius hoſti:
Et ſic exhaurit tertia burſa duas.

Gan.

Gan. Nescio, nec credo: sed talia verba frequenter
Audio, nec pœnas res habet ista breves.
Apr. Præterea didici, quod lites, probra, tumultus
Exagitant illos, sed malè credo, viros.
Dissimulanda tamen sunt talia, dummodo litem
Contestando suam verbera nulla ferant.
Gan. Frigida mendaces compescat passio linguas,
Quæ ferit innocuos & sine labe viros.
Hoc genus est hominum, fallacia nulla reperta
In quibus esse solet, & nota nulla mali.
Fraus, dolus, impietas à mentibus exulat horũ:
Longius exagitant pectoris omne nefas.
Simplicibus contenta modis hæc turba virorum est:
Ignorat penitus jurgia, verba, minas.
Quando sedent illic, sine Marte negotia tractant,
Et cessant linguæ murmura cuncta malæ.
Nemo loqui præsumit ibi, nisi quicquid honestum
Aut justum fuerit, cætera verba vacant.
Ambitus ut servat consueta silentia claustri,
Vocibus exclusis sic locus ille tacet.
Petrus ab Assisio, subitam quia nuper in iram
Surrexit, gravius litigiosa movens:
Turpiter ejectum pepulerunt, & locus ille
Non potuit strepitum dissimulare viri.
Inter eos fraterna fides livore remoto
Regnat, & è puro pectore manat amor.

 Si

Si quid promittunt triplici quasi fune ligatum,
Alludunt rebus consona verba suis.
Spondeat, aut juret tibi rem Cistertius Abbas,
Illorum superat sponsio nulla fidem.
Tempore res aliquas promittunt solvere certo:
Persolvunt citius, præveniúntque diem.
Dedecus esse putant, contendere judice coram:
Utque alibi mos est, verba probrosa pati.
Lite recens orta norunt sopire querelas,
In radice mali quæstio mota perit.
Si duo contendunt verbis quandoq; parumper,
Tertius in medium commoda pacis agit.
Apr. Quis breviore via, quis pro mercede minori
Expediet factum, dic vir amice, meum?
Gan. Eligito quemcunque velis, valet unus ut alter:
Quilibet ex illis ut tibi frater erit.
Sed tamen illius vites consortia Petri,
Cujus nequitiam publica fama refert.
Apr. Pande dies igitur Ganfrede, & tempora narra,
Quæ cedent factis expedienda meis.
Gan. Quarta dies, quæcunque tenes Aprilis agenda
Terminat, & reditum lux tibi quinta dabit.
Hoc tamen excepto: si sit tua maxima causa,
Tunc cedunt factis tempora plura tuis.
Ap. Qualiter istud erit, cum non ego solus in urbem
Ante pedes sacros expediendus eam?

Nónne, velut pelagus terrarum colligit undas,
Roma frequens hominum sic gens omne capit?
Nõñe velut pisces veniunt, redeúntq; sub undis,
Sic huc diverso longius axe meant?
Gan. Sic equidem, Ganfredus ait: sed curia sacra
Officiatorum plena juvante manu est.
Ut multæ cernuntur apes in vallibus Hyblæ,
Sic ope multorum curia fulta viget.
Sunt ibi, qui norunt formare negotia quæq;:
Et sunt, qui formas abbreviare sciunt.
Scriptorum clara non nomina voce recordor,
Sed mihi cum quadam nube venire solent.

De grossariis.

Nec facilè esset eos numero comprẽdere certo:
Sed possunt decies, ut reor, esse decem.
Istorum labor est chartas grossare notatas,
Et grossas cameris restituisse suis.
Sunt ibi qui referunt sacri pastoris ad aures
Ardua vota hominum, sollicitásq; preces.
Quis stupor est igitur aut admiratio mentis,
Absolvat si te tempus ab urbe breve?
Crede mihi, si mille viris comitatus ad urbem
Ibis, adhuc plures urbs habet illa viros:
Omnibus una quibus mens est, ac una voluntas,
Conterat ingentem ne quis in urbe moram.
Procinus expediunt, quicquid datur expediendum,
Et mora sollicitos non tenet ulla viros.
Festinant, urgéntq; die noctúq; labores,
Incœptum donec perficiatur opus.

Res quandoq; datur tribus expedienda diebus,
Quam tamen instanter expedit hora brevis.
Prima dies igitur scribet quodcunq; petendum,
Et tua portabit vota secunda patri.
Tertia grossabit bullatum, quarta videbit;
Et potes in quinta dicere, Roma vale.
Forsitan horrebas, quòd te Romana teneret
Sumptibus innumeris curia sacra nimis.
Non est quod timeas: & ni loquor omnia vera,
Hanc frontem videat nullus in urbe magis.
Apr. Litera, quid dices, si rescribenda bis aut ter
Extiterit, Romæ nónne morabor adhuc?
Gan. Hoc factum fortuna regit, casusque gubernat:
Errorem tamen hunc quisque cavere studet.
Scriptor enim studio scribenda volumina tanto
Exarat, ut nulla parte notanda putet.
Et tibi si tua res ipsi facienda daretur,
Possit in obliquas currere penna vias.
Deterius forsan per te tua facta venirent,
Quàm per scriptores, quis viget arte manus.
Si tamen à capite forsan tua litera scribi
Debeat, hic error à tribus esse potest.
Aut malè narrabis narranda, vel abbreviator
Apponet factis plúsve minúsve tuis.
Ipse vel interea scriptor dum scripsit, Aprili
Chartam subrosam fonte lavabit aquæ.
Quiq; nocens fuerit discussa lite repertus,
Huic incumbit onus, ut reparetur opus.

Sacra-

Sacramenta putes quis ſcriptor frangere vellet,
Et violare patri quam dedit ipſe fidem?
Sponte ſua nullus commiſſa negotia turbat:
Si tamen excedit, dextera, crede, gemit.

De Correctoribus.

Hoc correctoris factum dependet ab arte,
Quælibet ut redeat charta ſapore novo.
Ille tibi apponet per ſe, vel demet amicè
Rem, quam non poteras conſuluiſſe tibi.
Ille oculus tuus eſt: & ne qua parte vacillet
Res tua, ſubtili lumine luſtrat opus.
Illius officium eſt, ut ſal tibi mittat in ollam,
Ad menſam vacuum ne ſalis intret olus.
Ille piper dapibus & condimenta miniſtrat,
In quorum guſtu lingua ſtupere poteſt.
Ille quidem mihi ceu faber eſſe videtur, & omnes
Fabrorum ritus, officiúmque ſequi.
Si producta nimis ſit littera, ponit in ignem:
Ingemit,& crebro verbere cudit opus.
Si brevis eſt,& eget quid producenda, favillas
Excitat,& rurſus maſſa ſub igne calet.
Malleus eductam tandem ſic concutit illam,
Longius ut creſcat, amplificetque viam.
Littera limata tua non eſt caſſidis inſtar,
Quæ facit ut radiet cura fidelis adeſt.
Apr. Chartula, quid faciam, ſi caſſa revertitur ad me?
Fortaſſis perdam, quis reparabit opus?
Gan. Non ne patrum pater eſt totius paſtor ovilis?
Et ſuperat cunctos compatiendo patres?

Ipſe ſuas ita paſcit oves, & providet illis,
Vt de paſtura nulla quæratur ovis.
Grandia dat magnis, & parvis parva, ſecundũ
Quod pollent meritis iſte vel ille ſuis.
Doctus es, & magno didiciſti multa labore:
Cur caſſarentur ergo petita tibi?
Spem teneas igitur: tanta ac fiducia tecum
Firma ſit, ut nulla parte timere velis.
Illud Apoſtolicum nimirum munus habebis,
In patriam gaudens inde redire potes.
En ego qui nondum tanto ſum dignus honòre,
Quo contentus eo, munus ab urbe fero.
Ad duo Papa videt: ad ſe qui maximus extat,
Et ſimul ad meritum ſuſcipientis opem.
Et quid perdit in hoc, ſi dat res Eccleſiarum,
Quas emit moriens in cruce verus homo?
Certè ſicut aquas in ſe mare colligit omnes,
Vt rurſus certo tempore reddat eas:
Sic res Eccleſiæ pater omnes poſſidet almæ
Sanctus, & acceptas ſpontè refundit opes.
Apr. Si contradictum fuerit mihi forſitan illic,
Abſolvi per quem littera capta poteſt?
Gan. Contradictarum certus ſedet arbiter illic,
Officio cujus diſcutietur opus.

De auditore Contradictarum.

Si res eſt ſimplex, & non præjudicat ulli,
Expediet curſus abſque labore ſuos.
Si verò talis fuerit, quòd fortè gravari
Inde poteſt aliquis, altera forma datur.
Tunc ſub diſſimili ponetur judice cauſa,
Tunc poteris ventis ad tua vota frui.

Sic

Sic etenim servat sua curia jura cuique,
Ne quisquam verè possit ab urbe queri.
Cum fuerit concors conventio facta, repentè
Mittitur ad bullam charta refecta sacram.
Auditor litis, qui prælia temperat, & qui
Oppositas partes fœdere sæpe ligat;
Ille, nec inficior, superat genus omne metalli,
Duritia par est nullus in urbe viro.
Non faciet pro fratre magis vir ferreus ille,
Quàm si mittat ei barbara terra virum.
Justiciam subitò sic omnibus arbiter ille
Exhibet, ut neutro claudicet illa pede.
Obijce perpetuò clausas sub veste perenni
Inferni portas quis reserare potest?
Scilicet haud aliter constantia pectora judex
Hic immutato robore semper habet.
Apr. Dic reverende comes, vicecancellarius urbis
Ducere quo studio tempora longa solet.
Gan. Ille secunda manus Papæ est, mediæque diei
Pondus, & æstatis ferre laborat onus.

Vicecancellarius.

Surgit ad auroram, graditurque ad prælia primus:
Pugnáque sub tali judice prima sedet.
Inde jubente viro, quæ litera Marte triumphans
Vicerit, ad bullam post sua bella datur.
Hujus & hoc opus est, & regula certa legendi,
Vt ferat ante sacrum, cum vacat hora, Patrem.

Plus alijs candoris habens hæc ultima fornax
Fervet, ut ad purum quodque reducat opus.
Ignis & impositum non sic examinat aurum,
Nec medicinales sic rosa colat aquas.
Dic precor, ut possim voto breviore potiri,

De Lectore.

Lectorem precio conciliare licet?
Thuris odore Jovem placari sæpe videmus:
Mitior est frugum mater ad exta suis.
Bacchus ab incœpta pro capro desinit ira,
Cum videt in templo viscera fusa suo.
Omnia muneribus placantur numina sumptis,
Et divina manus quærit honoris opus.
Præterea video, quòd si non ungitur axis,
Tardius incœptum continuatur iter.
Cera ligat tabulas, & eas confœderat aptè,
Et cerata ratis tutius intrat aquas.
Gan. Ille modus non est, Aprilis, in urbe: sed illic
Muneris illiciti quisque recusat opus.
Hoc quod habent gratis de cœli munere puro,
Non dant pro rebus, quæ nivis instar eunt.
Præterea sic ditat eos clementia Papæ,
Ne cuiquam sit opus, quod malè quærat opes.
Gutta quid immenso confert brevis addita fundo?
Quid juvat accensos flamma minuta rogos?
Sic nihil est quodcunque potest vir pauper in illos
Fundere, nec brevis est apta crumena viris.
Papa satis largitur eis: postponite curas,

Vos

Vos quibus hæc ſacra eſt urbs adeunda, viri.
Nullus in urbe ſolet contingere munera lector,
De quibus ante Deum pectora læſa ferat.
Diſce quid acciderit famoſa nuper in urbe,
Diſce, ne in vanum verba notanda cadant.
Gratia lectoris quendam promovit in illa,
Hoc duce & ad ſacros venerat uſque pedes.
Ille velut ſimplex, & qui non noverat urbem,
Quid faciam, dixit, clámne redire decet?
Eſt'ne boni ſpecies, & quo laudatur honeſtas,
Ut nihil accipiat, qui mihi multa dedit?
Hic mihi pro tanto ſervivit, & omnia dudum
Quæ voluit finem juſſit habere ſuum.
Non igitur malè gratus ero, qui grandia pro me
Fecit, & ad portum carbaſa noſtra tulit.
Quamvis ille nihil hac pro mercede requirat,
Non tamen idcirco munera nulla feret.
Excitat in prædam, cogítque ſitire cruorem
A' ſue deprenſa portio jacta canem.
Dixerat, & caute rediit lectoris ad ædem,
Impoſuítque viri quinque talenta thoro.
Aere dato greſſum tacitè dimovit: at hoſpes
In cameram rediens, condita dona videt.
Unde venis, inquit, inimica pecunia, quæ tè
Impoſuit lecto dextra nefanda meo?
Quid facis in noſtris penetralibus ô maledicta
Aeris imago, mihi morte peroſa magis?

Ecce

Ecce tot horrendos mallem reperisse colubros,
Et quæcunq; hominilmonstra nocere solent.
Ille meo, quicunque fuit, detraxit honori.
Qui posuit laqueos in mea damna suos.
Ita, ait. & subitò hunc investigate prophanum,
Qui studuit famæ prodigus esse meæ.
Verùm si latitat, quoniam latitare latronum
Est proprium, quod vox nominis ipsa docet;
Continuò nummos inter spargamus egenos:
Nesciat hospitium gutta minuta meum.
Hoc factum, Papæ sacras pervenit ad aures,
Censuit & dignum laude favore virum.
Apr. Audio quòd cassat quàm plura negotia lector,
Quorum nulla fuit mentio facta patri:
Quæ si lecta forent aliquo mediante favore,
Forsitan optatam Papa tulisset opem.
Pinguia dum veniunt, & macra negotia mixtim,
Hæc læta facie suscipit, illa gravi.
Quod videt insipidum, communem mittit in ollam:
Quod sapit, & pingue est decoquit olla minor.
Hoc tantum dominis & conservatur amicis,
Sed de communi quilibet haurit homo.
Illa minor factis detur, comes optime, nostris;
Exhorret stomachus vas generale meus.
Quid tibi, si sic est, sacra de sede videtur?
An res est, quæ sit laude notanda gravi?

Gan,

Gan. Dum ſic diſtinguit ablata negotia lector,
Non fuit, & non eſt vir ratione carens.
Omnia longinqui cognovit temporis uſu,
Quæ pater admittit, quæque negare ſolet.
Ne ſacras ergo teneat ſermonibus aures,
Et det inutilibus tempora multa ſonis.
Caſſat eas quas Papa preces tranſire negaret,
Quàm citò prodiret primus ab ore ſonus.
Quæ verò retinent formam curſumq; probati
Tramitis, has nunquam ſupprimit, immò legit.
Cúmque laboravit commiſſa negotia Papæ,
Mente legens pura, præmia nulla petit.
Nec terrena cupit, ſed quæ ſine tempore durant
Munera, res alias pulveris inſtar habet.
Ap. Si ſermo Ganfrede tuus non deviat à re,
Romulea nullus regnat in urbe Simon.
Gan. Iſta vetus miſeri comes eſt inſania vulgi,
Hæc ſtolidos ſemper crede referre viros.

De Simonia, an ſit in curia Romana.

Nullus in urbe Simon, ſed nec ſimonia moratur,
Nec ſpeciem, nec habet urbs benedicta genus.
Res individuas etiam non poſcimus illic:
Nullus enim precio ſpirituale petit.
Eloquio teſtante ſacro Samaria vidit
Sola viri fraudem, pertimuitque nefas.
Sed multis, ut fama refert, terráque mariq;
Diſtat ab urbe ſacra millibus ille locus.

Ex

Ex quibus arguitur, & ſic concluditur, amens
Ille quòd hac dicta non ſit in urbe Simon.
Roma virum, factúmque viri non noverat
unquam,
Re niſi quòd geſta rumor in urbe fuit.
Mercator tanti ſceleris mercede relicta,
In puncto Stygias raptus adivit aquas.
Vox Petri percuſſit eum: Tua proditor, inquit,
Munera ſint tecum, perniciémque trahant.
Quod petis argento, nec fulvo quæritur auro:
Non Deus hoc fragili munere dives eget.
Hujus ad exemplum noſter ſe Papa retorquet,
Et comitatur in hoc curia tota patrem.
Simonis ingratum valeat quid nomen in urbe?
Barbara nulla magis nomina Roma putat.
Si tamen eſt aliquid tali de nomine reſtans,
Nolo petas ubi ſit, nam didiciſſe nocet.
Apr. Iſtud habes Ganfrede, meum quod for-
tius urit
Pectus, & interior ſcire laborat homo.
Nulla meam mentem potius doctrina juvabit,
Quàm mihi ſi pateat, qua ſit in urbe Simon.
Gan. Hæc tua ſupponit vir ſimplex quæſtio
falſum:
Urbis enim Simonem mœnia nulla tenent.
Relligioſus erat, & ſpiritualia quærens:
Regales illi diſplicuere domus.
Sed mihi plura loqui de re non expedit iſta,
Ne ſuper aſtra ferat labra tuliſſe loquens.
Non adeò ſum ſtultus adhuc, ut clauſtra,
Priores,
Abbates, Monachos in mea fata vocem.
Pla-

Plaçatos habuisse bonos, non gloria parva:
Qui prodesse sciunt, & nocuisse simul.
Sufficiat nocuisse tibi, nec plura require,
Quod Simon exemplo ducit ad imo suo.
Non mihi suspectus Cistertius ordo, vel abbas,
Non magis aut illi, qui crucis arma gerunt.
Excludo muliebre genus, vel anima quarum
Horrent perversi facta nefanda viri.
Pontificúmne putes quòd mystica facta recusent?
Absit, & insanus talia credat homo.
Jam non præpositos, jam non involvo decanos,
Pectora me quivis judice pura tenet.
Alter in urbe fuit magica perfectus in arte,
Roma sed hunc Simonem dixerat esse Magum:
Aethereas qui dum signum facturus ad arces
Iret, & in cœlum penna levaret eum:
Ad partes rediit sanctis orantibus imas,
Et malè præsumptum continuavit iter.
Namque cadens solidæ collisit corpora petræ:
Et stat in indicium petra perenne rei,
Apr. Melleus iste mihi sermo Ganfrede videtur,
Melleus est inquam, pocula lactis habens.
In causam fortasse traham, vel me trahet alter:
Aut gravor, aut alium fortè gravare volo.
Quis poterit, Ganfrede, meam defendere causam?
Quem mihi tutorem curia sacra dabit?
Gan. Troia viris caruit nunquam, qui bella moverent
Hostibus, & quorum laude superba foret.

India

India nec fortes quæ cervos vincere posset,
Atque feras alias, tigribus orba fuit.
Sed neque Romulea domus est doctoribus expers:
Fons utriusque sacri juris in urbe viget.
Legimus armatur & Canone Roma frequenter,
Ecclesias alias rivus ab urbe rigat.
Ars alibi speculata viget, sed practica Romæ
Novit, & ex rerum fonte resultat honor.
Parthus retrogradus privabitur antè sagittis,
Quàm desint linguæ spicula Roma tibi.
Auditore dato vel judice longius ite,
Me monitore, preces & manus ære gravis.
Judicii libra non munere flectitur illic,
Constantes animos præmia nulla movent.
Ista vetus Romæ solum mensura remansit,
Quæ cumulat medium, cuique refertque suum.
Et quæcunque alibi juris scintilla relucet,
Hic, nisi decipior, stillat ab urbe vigor.
Illic justitia, dextra læváque relicta,
Aspicit in mediis scandala nulla viis.
Si tua causa bona, dabitur sententia pro te:
Si minus, orbis eam justificare nequit.
Quod nuper factum, res est formidine plena,
Res est quæ reliquos admonuisse potest.
Causidicus quidam fuerat corruptus in urbe,
Injustæque rei ferre spopondit opem.
Qui factum est? dum nocte daret sua membra sopori,
Digna super sontem judiciis ira ruit.

Dæmon

Dæmon adeſt, oculóque virum condemnat
in uno,
Dicent: Nequitiæ ſint ea ſigna tuæ.
Si magis in cauſa fueris deprenſus iniqua,
Latro ferox reliquo lumine cæcus eris,
Proviſum eſt, & ſic Erebi ſtàtuere potentes,
Sic placuit Stygijs qui dominantur aquis.
Ille ſequente die factum manifeſtat, & omnis
Concuſſa eſt ſubitò Roma ſtupore viri.
Penè viri nomen lapſum fuit ore ſequentis,
Sed ſatis erepto lumine notus erit.
Præterea Aprilis factum memorabile quod-
dam,
Quod Romæ nuper accidit, iſtud erat.
Ecce Caſertanum comitem ſubmovit ad urbem
Cujusdam viduæ longa querela bonæ.
Cauſa ſuper manſis centum tangentibus orta,
Ac alijs rebus, utputa prata duo.
Ille comes multos pro ſe conduxit: utrinque
Traditus, ut poſcunt jura, libellus erat.
Obtinuit pauper in cauſa fœmina tandem,
Confuſusque abijt lite cadente comes.
Vnde patet, quòd Roma libram ſic dirigit
æquam,
Vt paſſus faciat dives inopsque pares.
Apr. Perge per incœptum comes ô fidiſſime
callem,
Et dubiæ menti luminis affer opem.
Sit benedicta dies, ſit fœlix hora diei,
Quæ me fœlicem te recitante facit.
Hoſpes, & hoſpitium quæ nos junxere, per æ-
vum

Durent, & ſtabili ſint cumulata bono,
Ardeo plus & plus, magis & magis æſtuo Romam
Aſpicere, & pedibus oſcula ferre ſacris.
Jam mihi ab urbe procul quædam redolentia ſurgit,
Jam locus ille mihi ſpirat aroma novum.
Diſco, ſed & lætum tua me ſolatia reddunt,
Et mihi jam videor urbe potente frui.

De Cardinalibus.

Dic age quid faciunt, quibus eſt à cardine nomen?
Poſt Papam quibus eſt immediatus honor.
Gan. Expediunt cauſas, magnique negotia mundi,
Extingunt lites, fœdera rupta ligant.
Iſti participes onerum, Papæque laborum,
Suſtentant humeris grandia facta ſuis.
Atque aliquem ſi Papa jubet, petit æquoris undas,
Ecce & inhumanas non timet ire vias.
Hic partes Siculas, hic te Germania gaudens,
Viſitat hic flavos patre jubente Dacos.
Sed cur enumerem totius climata mundi?
Diverſosque ſitus, & loca ab urbe procul?
Omnibus una ſedet Patri parêre voluntas,
Et facere ut Chriſti multiplicetur honor.
Hi ſunt (quis dubitat?) qui portant fœderis arcam,
Aſpectus quorum fulguris inſtar erat.
Iſtæ ſunt ſtatuæ, totus quibus incubat orbis:

Hæ

Hæ ſunt, quas curuant pondera nulla baſes.
Nec ratione vacat, quòd habent à cardine nomen:
Deſervire ſolent nomina rebus in his.
Porta ſuos poſtes ſine cardine claudere neſcit,
Non benè præter eos paſtor ovile regit.
Cardo tenet portam, nec quid valet illa remoto
Cardine, ſic Papa his nil valet abſque viris.
Iſti ſunt flores, quos matris protulit hortus,
Eccleſiæ quorum germine vernat ager.
Creſcit in hôc horto florum genus omne, ſed iſtos
Præcipuos flores nulla pruina premit.
Munere perpetuo gaudentque vireſcere veris,
Et ſemper rutilis præradiare comis.
Si dicam, quòd ſint violæ, non mentior ex hoc:
Nam cœlo ſimiles vita colorat eos.
Fortè roſas dixiſſe placet, mirabile non eſt:
Vulnera nam Chriſti pectore ſemper habent
Lilia candoris nivei dixiſſe licebit:
Nam carnis ſtimulo ponere frena ſolent.
Apr. Vnde viros potero, quando me Roma videbit.
Noſcere Ganfrede, quæ mihi ſigna dabis?
Gan. Veſtibus incedunt communibus; ac tamen illud,
Quod caput inſignit, ut roſa verna rubet.
In vultu macies, in corpore languor, in ipſo
Geſtu neſcio quid ſpirituale ſedet.
Apr. Et quid habent, quo ſic facies jejuna videtur?

Squallorem quare carceris ora tenent ?
Nunquid deficiunt quæ ſunt ad corporis uſum?
An rebus, quibus eſt vita juvanda, carent?
Gan.Non ſic Aprilis, non ſic comes optime, verùm
Præparat egregias larga coquina dapes.
Quando vocat tempus patres ad prandia ſacros,
Aſtat diverſis menſa repleta cibis,
Quid credis? comedant ne putas Aprilis amice
Omnia quæ dives fercula menſa gerit ?
Non ita, ſed ratio pactum diverſa reformat.
Mos eſt Angelico vivere more viris.
Decipiunt carnem, nolentes carnibus uti,
Decipit & Bacchum vitis aquoſa ſenem.
Aſperiore cibo contenti, pinguia mandant
Cæcis,debilibus,pauperibusque dari.
Si tamen interdum digitos carnalibus eſcis
Apponant, timor eſt appoſuiſſe manus.
Protinus abſiſtunt, & primus guſtus in ore
Deſipit, & carni diſplicet ipſa caro.
Sacra meam quoties verſant hæc omnia mentem?
Nam ſum rimatus urbis aperta ſacræ.
Vnde tibi, cum ſim toti notiſſimus urbi,
De rerum ſerie verba referre ſcio.
A' cauſis ſi quando patres, & litibus aures
Expediunt, ſtudij protinus arma petunt.
Hinc ut librorum pertranſijt hora, perorant
In terra poſito pectore clauſtra poli.
Cœleſtes ſpeculantur opes, mundóque labanti
Succurrunt humili ſedulitate precum.

O quo-

O quoties meritis istorum justa Tonantis
Dextera placata est, continuitque minas.
Judicis assumptam jejunia longa securim
Impediunt, & nox longa soporis egens.
Et quàm sæpe putas curato poplite regem
Orant, ut miseris parcat ab arce reis?
Ap. Continua venerande comes procede loquela:
Aequoreas nondum Phœbus adibit aquas.
Magna dies nostris superest narratibus, & me
Leniret cantu fistula nulla magis.
Quid facit antistes Pastor sacer orbis & urbis,
Quid facit, & studium quod solet esse viro?
Est ne adeò sanctus, ceu prædicat orbis eundem?
Si sic est, meritò mundus adorat eum.
Gan Ista meas vires, Aprilis, quæstio vexat,
Res est ingenijs altior ista meis.

De Papa.

Non quid sit Papa facile est evolvere verbis,
Exiguum pectus quomodo magna premunt.
Papa brevis vox est, sed virtus nominis hujus
Perlustrat quicquid mundus ubique tenet.
Hic est Helias, magni de vertice montis
Cœlesti tumidos qui ferit igne viros.
Hic Samson typicus, quo percutiente Philistim,
Stravit millenos faux asinina viros.
Liberat hic idem deprensis vulpibus agros,
Nec jam schismaticis vexat ovile lupus.
Non dubitat forti pater obvius ire leoni,
Maxillisque graves imposuisse manus.

Iste novus David, cujus virtute Golias
Concidit, à funda vulnera mortis habens.
Herculis exemplo, mundi ne corruat axis,
Hic cavet, atque humeris grande retentat opus.
Præ cunctis alijs sacro desudat in agro
Ecclesiæ, & cunctos Papa labore præit.
Eijcit arentes herbas, circumfovet illas,
Quæ proferre boni germen odoris habent.
Ecclesiæ muris hortum complectitur altis,
Et spaciantur oves absque pavore lupi.
Pro grege multotiens animam sanctissimus ille
Exposuit pastor, nulla pericla timens.
Ista procul tenebras depellit in orbe lucerna,
Lucet, & à cœli lampade lumen habet.
Non est hæc lucens modio candela sub arcto,
Sed nitet in media, præradiatque domo.
Hoc mundi commune jubar, generaléq; sidus,
Omnibus in media nube revelat iter.
Nec tenebris noctis, nimio ve absumitur igne:
Fulget in adversis casibus, inque bonis.
Non ventus, non aura potest extinguere lumen
Istud, & æterno numine flamma calet.
Nocte pater media, quando sopor occupat omnes,
Fessaque membra tenet fortius alma quies:
Surgit ad arma precum, totoq; è corde Tonanti
Supplicat, ut miseras intueatur oces.
Non videat quæ sint mundi delicta fluentis,
Sed quali sit homo conditione miser.

Et

Et magis ad fontem veniæ, quo ſemper abundat,
  Aſpexiſſe velit, & tumulare nefas.
Cumque thorum lachrymis ſic humeſtavit obortis,
  Sollicitoque Dei corde rogavit opem:
Lux ſubit,& ſacrum poſcunt altaria numen,
  Officiumque pater audit, aditq; tremens.
Egreditur poſthæc in conſiſtoria, cauſas
  Audit, & à longis tractibus orbis adeſt.
Res ſit in exemplo, quendam te finge leonem
  Cernere, & in medijs ſceptra tenere feris.
Etueniunt, abeuntque feræ, regemque precantur
  Dulcibus & pavidis, ut venerentur herum.
Sic Papam venerantur oves, ſic poplite flexo
  Ante pedes almos procidit omnis homo.
Inde poteſt aliquis, quicunque ſit ore ſoluto,
  In ſerie verbi dicere quicquid habet.
Et quod multotiens mirabar, maximus ille
  Quemlibet alloquitur, verba recepta notans.
Sæpe aliquem tenuit fruſtrà longiſſimus annus,
  Nec potuit finis litibus eſſe ſuis.
Protinus at fuerat cum facta relatio Papæ,
  Explicat impliciti ritè laboris opus.
Non longè ſuſpendit opus, non hæſitat in re,
  Non quærunt tardas pectora clara moras.
Sic ſit, ait, vel non: ſic res determinat omnes:
  Sic longas cauſas finiet hora brevis.
Sed quanquam Papæ ſuperet prudentia fratres,
  Vnus ut ex illis eſt tamen inter eos.

Nil proprio facit arbitrio, licet omnia possit:
Consilium prudens sæpe minoris amat.
Sufficiat quamvis immenso providus orbi,
Vult tamen externo dogmate Papa regi.
Ac ita dum residet, mundumque gubernat ab alto,
Nil tamen absque suo cardine porta valet.
Sæpe preces aliquas timidè quis porrigit illi,
Accipit: & pauper exhilaratus abit.
Sic mihi dum pavidis accessi gressibus illum,
Quam non sperabam gratia facta fuit.
Ille tamen qui me promovit, & ante tribunal
Duxit, & adjecit, flecte poeta genu:
Gajetanus erat, qui cardinis instar habendus
Crescit, & impositis ædificatur opus.
Cui nisi defuerint à me sua carmina missa,
Tempus in omne suum fama celebris erit.
Immo post obitum faciam ne vivere cesset,
Carmine perpetuo busta novabo viri.
Apr. Jam stylus accepto declinat themate, jamque
Carpere diversum velle videris iter.
Proposita discurre via Ganfrede fidelis,
Et sine felle comes differe facta patris.
Gan. Cumque fatigatur vario luctamine tandem,
Perdita restaurans submonet hora patrem.
Quamvis lauta sacræ ponantur fercula mensæ,
Contentus tamen est asperiore cibo.
Si mare transmittat pisces, si sylva ferinam,

Si veniant quas vir arte fefellit aves :
Pauca pater timido tentat gustare palato :
Cætera mittit eis, nulla coquina quibus.
Non mora longa placet, subitò sacra mensa levatur:
Redduntur grates, qui dedit illa, Deo.
O quot in urbe scio, quorum prolixior esca,
Major in appositis quos tenet hora cibis:
Qui quando comedunt, hoc quo vescuntur,
Et clauso inclinant lumina sæpe mero.
Prandia non satiant alios geminata, sed almo
Quotidie satis est unica mensa patri.
Inde petit solvi cum commensalibus, aulæ
Intrat & in medium, quomodo pulchra datur.
Hic aliquis quærens non dedignatur in ipsis
Grammaticè dubijs opposuisse vijs.
Cur in transpositos tres verba gerundia casus
Declinare solent, curque supina duos.
Cur numerus talis accessit partibus istis,
Et casus plures non habuere rogat :
Aut sint in genere verborum, nominibus ve,
Grammaticus certis associanda putat.
Alter adest quærens, universalia quare
Septem sint numero, si trahis inde duo.
Sint in corporeis ea subsistentia rebus,
An mentis ratio separat illa procul.
Subjectumque tribus cum sermo sit artibus idem,
Qualiter à reliquis differat una trium.
Alter ab eloquio sic incipit ore disserto,

 Ponit

Ponit & in medios hoc breve thema viros.
Artis rhetoricæ cum ſit perſuaſio finis.
Quis color ad finem pronior eſſe poteſt?
An quo ſermo nitet, vel quo ſententia fulget,
An magis irradiet mixtus uterq; color?
Rurſus adeſt aliquis, qui novit carminis artem,
Cui de natura conſtat & arte pedum.
Cur tantum pedibus ſenis vel quinq; laborat
Metricus, & plures neſcit habere pedes?
In pedibus mediis cur eſt cæſura, nec illud
Primus & extremus commoditatis habet?
Objicit hic aliquis contra te Muſica, ſicq;
Arguit, & verum de ratione trahit.
Cœleſtis cum ſit, quidam ceu Muſica, dicunt,
Cum ſeſe feriunt corpora magna poli.
Quæ ratio, quod non vox talis pervenit ad nos,
Cum tamen ex ſonitu concutiatur humus?
Quærit Arithmeticus, cur ſeptenarius inter
Res numeri ſolus myſtica ſacra gerit?
Jus dominum trahat inde ſuum de partibus ipſis,
An magis à ſpecie, qua datur eſſe rei?
Cur non eſt æquè ſatis octonarius, aut ſex,
Augmentum monadis cum ſuperaddit ei?
Quærit item ratio quæ ſit deſcribere terram
Menſura, cujus portio nulla latet.
Si terræ, & magno quo claudimur undique cœlo,
Ex æquo centrum participetur idem.
Linea ſi major fuerit conjuncta minori,
Efficere hanc illi qua potes arte parem.

Aſtro-

Astronomus loquitur, cur tempus noctis opacæ
Plus madeat pluviis, quàm radiosa dies?
Quærit item, quare vernali tempore semper
Plus solito pluviæ multiplicentur aquæ?
Quæritur hoc etiam, quæ constellatio regnet,
Cum generatur homo prospera nulla videns?
Quisve sit ascendens tunc, cum post bella potimur
Laudibus, & cingit laurea summa caput?
Quóve sub aspectu connubia talia fiant,
Nulla quibus flamma est, nec generalis amor?
Hinc naturalis ad naturalia sese
Torquet, & in turba tale volutat onus:
Cum nihil ex nihilo, sed sit res omnis ab ente,
An sit ab æterno primula massa rei?
Præterea cum sit generatio continuorum,
Si mundus duret tempus in omne, rogat.
Et quæsit ratio, quòd ab uno fonte ferantur
Tot species pluviæ, grando, pruina, nives.
Disputat hæc etiam, qui Physica corpora novit,
Physicus, & socium comparis artis habet.
Cum sint humores in corpore quatuor omni
Organico, sumptus quos alit usque cibus.
Quæritur an pariter omnes generentur, an unus
Per prius, & reliqui posteriore loco?
Instat adhuc alius præcinctus dogmate legum
Doctor, & his juris insinuare solet.
Fœmina si qua suo quæsivit toxica sponso,

An

An fit legitimo jure fuganda thoro.
Hunc Titius fundum possedit pluribus añis,
Nec meminit, quod ei quæstio mota fuit.
Si juvet hunç, quærit,præscriptio temporis ampli
Semper an actori justa querela patet.
Disputat Inde sacro, formant cui Biblia pectus,
Dogmate, quique valet sensa profunda sequi.
Cur tentavit Abram scrutator pectoris alti,
Aspectu cujus nulla latêre queunt.
Quærit item, proprio si Christus sanguine mundum
In cruce salvavit, quid sacra lympha lavat?
Vel quoque si verbo potuit succurrere mundo,
In cruce qua propter vulnera dira tulit?
Aut ita dum tenuit crucifixi membra sepulchrum
Condita, ubi interea spiritus ejus erat.
Rursus ait,si mundus erat redimendus, Olympo
Cur Deus extremo tempore venit homo.
Omnibus his vigiles præbet sacer arbiter aures:
Quod durum reliquis,hoc leve Papa gerit.
Talibus ecce viris solium Papale refulget,
Et tales gemmas ardua tigna ferunt.
Apr.Eloquio superas magnum recitator Vlyssem:

Mira

Mira refers, quæ ſint omnia vera precor.
O mihi ſi tali menſa reſidere liceret,
Diceret & princeps, ſit mea menſa tibi.
Non loquor hoc, quòd deficiat mihi potus & eſca,
Sed vellem ſtudijs junctus adeſſe bonis.
Spicula fortè meis facerem prodire pharetris
Dura mihi fieret quæſtio quæque levis.
Nunc reſponderem, nunc rurſus ad arma venirem,
Opponens doctis abſque pudore viris
Gan. Invenies quodcunque ſitis, ſi veneris illuc,
Omnibus ornata eſt artibus illa domus.
Eſt illic aliquis, quo ſi combuſta jaceret
Vindice, mox eſſet philoſophia redux.
Erigeret, meliore modo novus editor illam
Vinceret, & veteres artis honore viros.
Ap. Incœptam percurre viam, jam terminus inſtat:
Jam tibi plura movens non onoroſus ero.
Eſt ne locus cum Patre loqui, pedibus ne ſacratis
Concedi ſperas oſcula ferre mihi?
Audivi quòd ſæpe viros intrare volentes,
A foribus removent verbera juncta nimis:
Quodque ſacros poſtes per dura repagula firment,
Fitque per anguſtum tranſitus ille locum.
Quis mihi conſilium, quis opem præſtabit amicam,
Vt ſine fuſte queat porta patêre mihi?

Expe-

Expediénsne putas, si cautè munera quædam
Illis qui servat hostia sacra feram?
Munere nónne dato vaccas Jove natus abegit?
Vivit adhuc regnans Bacchus ubique senex.
Gan. Omnia temporibus distinguit curia certis,
Et poscunt horas quæque gerenda suas.
Quisquis manè, patri postquam sacra missa peracta,
Venerit, admittet parvula porta virum.
Dummodò compositis veniat sub moribus, & sit
Vir placiti vultus, suspicione carens.
Non ibi percussum vidi sua vulnera flentem,
Nec malè distractas diripuisse comas.
Nec tibi, crede, opus est, ut quemquam munere flectas:
Omnia, qui sacris postibus instat, habet.
Sic etenim ditavit eos pia dextera Papæ,
Muneris ut species nulla perurat eos.
Cúmque fores ingressus eris, formidine pulsa
Securè poteris comminus ore frui.
Disce tamen pedibus in primis oscula ferre
Sacris, & post hæc surge, loquenda loquens.
Papa tuis placidas præbebit vocibus aures,
Et tibi cum solita se pietate dabit.
Esto tamen brevis, & succinctis utere verbis:
Multa vident paucis pectora magna notis.
Sermo diu teneat stultos sermonibus, audit
Sola libens varios rustica turba sonos.
A. Fortè loqui possum mihi quod placet, ac tamen arvis.

Non

Non bene fertilibus semina mando ferens,
Sic vellem sermone frui, ne ventus & aura
Deferrent voces & mea vota simul.
G. Hic tibi nostra manus (tibi nam secreta licebit
Cernere corda procul) non dabit artis opem.
Solus habet secreta Deus cognoscere mentis.
Talibus in factis quis tuus augur erit?
Rebus at in dubiis exponens carbasa ventis,
Et tua vult illic gratia fortè regi.
Spes tamen est, constans aliquis de sanguine Papæ
Si tecum fuerit, dona petita feres.

De cognatis Papæ.

Si potes, efficias Papæ venturus ad aures,
Proferat illius ut tua verba nepos.
Papa facit, quod sæpe volunt: veruntamen illi
Justa petunt, non rem quæ ratione carent,
Ap. Dic Ganfrede precor, dic vir clarissime, quales
Hi sunt, quos Papæ sanguinis unit amor?
Súntne viri, quorum bona conversatio, súntne
Tales virtutum forma, lucerna boni?
Nunquid in afflictos pietatis viscera ponunt,
Oppressosq; juvant principis ante thronum?
G. Sic equidem, quorum genus est de se sanguine tali,
Naturæ fas est semina ferre suæ.
Non homines vidi, quorum perfectio major,
Omnibus inspectis nec reor orbis habet.
Sic dotes natura suas exhausit in illis,
Penè

Penè quòd hæc alios non habet, unde juvet.
Semper habent vultum, quasi desuper angelus adsit,
Eventusque bonos significare solent.
Hoc facile est novisse tibi, procera statura,
Et formæ candor indice prodit eos.
Quilibet illorum de vita & moribus altis,
Jurè sacer fieret urbis & orbis apex.
Sunt faciles, ut rem faciant pro paupere magnam,
Et tantum cœli munus ab arce volunt.
Nemo redit vacuus, non exauditus ab illis,
Conspicua cunctos de bonitate juvant.
Quid moror? ipsa viros complexio clara coercet,
Ne quid agant præter nobilitatis opus.
Hos adeas supplex, & te tua vota sequantur:
Et me fata trahant, si tibi falsa loquor.
Ap. Quid si pœniteo, si me mea culpa remordet,

De pœnitentionarijs.

Quis mihi consilium spirituale dabit?
Quis poterit tunc me, tanquam baptismatis unda
Lauerit, ad primos restituisse gradus?
Gan. Alma viros posuit discretio Patris in urbe,
Qui purgant monitis sordida vasa sacris,
Explanatur ibi, quod magni pagina vatis
Ore sacro longos dixerat ante dies:
Coccinei fuerint si crimina vestra coloris,
Induet his niveum forma novella decus.
Si quasi vermiculus fuerit rubefacta, recentes

Et vultus alios candida lana dabit.
Multotiens illic durissima pectora primùm,
Tandem sunt monitis mollia facta piis.
Sæpe dedit lachrymas vir desperatus amaras,
Et sensit, quam non ferre putabat opem.
Ap. Dic facunde comes, de quo sit bulla metallo:
Non est visa oculis, proh dolor, illa meis.
Credo, quòd ex fulvo nimirum splendeat auro:
Conveniens tanto est aurea bulla patri.
Aurea si non est, argento clara refulget:
Aere figurari non leviore potest.
G. Te tua, vir simplex Aprilis, opinio fallit:
Res est à tali credulitate procul.
Non auro, non argento sacra bulla refulget:
Insignit chartas plumbea bulla sacras.
Vix aliquis baculo Romanam deserit urbem,
Tutus & ad patrios pervenit inde lares.
Et quibus insidiæ fierent redeuntibus auro,
Undique nocte, die semita clausa foret.
Vix plumbum retinent (retinerent qualiter aurum?)
Cautius abstinuit talibus ergo pater.
Ap. Quo magis affecto cœpto sermone perores,
Quales sint, quibus est credita bulla, viri.
Súntne aliqui precibus, & qui sine munere bullam
Illic mendico dant veniente viro?
Gan. Accipe quæsiti quæ sit responsio verbi,
Omnia scire volens, singula ritè feres.

De bullatoribus.

Pervenit ad bullam planè quoq; pauper & exul,
Promeruisse potest fortè salutis opem.

Alter ab excelſo ſi ſit tranſmiſſus Olympo,
Ni prius enumeret munera, littus arat.
Bulla reclamatur, niſi ſolvat tempore certo,
Dentibus horrendis dilaceratur opus.
Et niſi legales ſint & ſine crimine nummi.
Littera de bulla nulla ſequetur eos.
Hanc ego fornacem credo (quia lumina vidi)
Semper in intuitu mentis habebo meæ.
Ponitur incudi pars quædam parvula plumbi,
Et redit argenti tempore forma brevi.
Malleus impoſitæ vix dat tria verbera maſſæ,
Et ſubitò plumbum ſe novat ære novo.
Ap. Forſitan alchimia. nam talia plura videmus,
Quod melior ſpecies ſurgit ab ære rudi.
Gan. Non ita: ſed virtus Papalibus inſita verbis,
Naturæ ſpeciem ſic variare ſolet.
Virtus verborum Papæ ſic imperat æri,
Ut faciat, quicquid verba ſacrata jubent.
Sæpius audiſti, quæ vis ſermonibus apta:
Omnia, quæ mea mens callet, aperta dabo.
Ap. Non video quæ plura mihi quærenda ſuperſint,
Jámque patent oculis mœnia ſacra meis.
Si juvat ergo preces in cœlum fundere quicquam,
Dii referant monitis præmia digna tuis.
Hic patriam repetit, hic ſacram tendit ad urbem:
Hunc loca nota vident, hunc peregrina domus.
Opto Ganfrede, quòd ſint tibi mille valete.
Gan. O' miſer Aprilis, hic fuit antiphraſis.

QUAR-

QUARTA PARS, CONTRA MONACHOS.

QUERELA CUJUSDAM SACERDOTIS, ut vocant, curati, de monachis, qui ſacerdotium illius cœnobio ſuo volebant unire, quod vulgò dicunt incorporare, zu guttem teuſch beſchroten.

QUæ monachi quærunt, patrio mea jurent
fuerunt.
Concio vult fratrum laribus me pellere patrum.
Nunquid Chriſte feres, ut ſit tibi turba cohæres,
Quæ fugat hæredes, patrias quibus eripit ædes?
Duros introrſus monachorum ſentio morſus,
Qui mea frendentes acuunt in vulnera dentes:
Quos ad res geſtas in me non cogit egeſtas,
Divitiis pleni rem deprædantur egeni.
Quàm duram gentem, ſpoliat quæ dives egentem?
Nec miſero fratri parcit grex velleris atri.
Atra notat veſtis, quales intrinſecus eſtis.
Sunt mea parva ſatis: non eſt opus, ut minuatis.
Res anguſta nimis ſuper addita rebus opimis,
Vos non ditabit, me paupertate gravabit.
Quæ crementa dabit, quas delicias cumulabit,
Menſæ communi, quod vix mihi ſufficit uni?
Parvi jura loci rictu ſorbetis atroci.
Innectens lora vobis Deus obſtruat ora.
Res eſt nota ſatis, quòd iniquè me ſpoliatis:

Eſtq; mei juris, noſtri decimatio ruris.
Non eſt perfecti, normam contemnere recti.
An jubet orde ſacer, fremat ut ſic ambitus acer,
Nec teneat frenum vis invadens alienum?
Mente Deum pura ſitientes, qui ſua jura
Sponte reliquerunt, mea cur invadere quærunt?
Turpiter ergo gerunt, qui ſorbent quod vomuerunt.
Quæ pietas? quis amor? pulſat meus æthera clamor:
Quódque magis plango, minus horum pectora tango.
Quàm crudele genus, quod flens non tangit egenus.
Inſultat flenti, panem rapit eſurienti.
Turbam raptorum tranſcendit grex monachorum.
Rodens viventes, acuit gens mortua dentes:
Mortua gens mundo fremit ore vorax furibundo:
Mitem ſe fingens, ſic virus contegit ingens,
Hic dolus eſt magnus: lupus eſt, qui creditur agnus.
Non eſt fida ſatis veſtræ nota ſimplicitatis,
Noſtris læta malis, mala gens: ſors dæmonialis.
Turba nocens eſtis, ſcelerum fons, publica peſtis,
Vipereúmque genus, grex omni crimine plenus.
Aſpera jura pati nos vultis, quàm ſcelerati
Empto-

Emptores rerum, quæ debent pascere clerum?
Legi terga datis, qui vos Simoni sociatis:
Quódq; dari gratis lex præcipit, ære paratis.
Non ego sanctorum vitam reprehendo virorum,
Consilio quorum fit nulla rapina meorum,
Utpote justorum, non detraho laudibus horum.
Fratres inclusi, non in vos turpia lusi:
Non vos offendat, quócunque locutio tendat.
Fratribus inclusis ut parcant, impero Musis,
Nec sibi raptores reprehendant exteriores.
Lædo lædentes, mordentibus imprimo dentes.
Turpe nihil vitant, qui se de fœnore ditant,
Et nummos servant, quos usura coacervant,
Ecclesias ut emant, & nobis omnia demant.
Hic mea jam prorsus lacerasset viscera morsus,
Inq; tuos casses gens me mala præcipitasses:
Sed tutela boni non vult hoc ferre patroni.
Præsul, & ordo cleri non tardus jura tueri,
Me fovet atque regit, sicut jam sæpius egit.
Cujus agit virtus, ne me grex sorbeat hirtus.
Hic meus est tutor, tutela præsulis utor,
Vires frangentis, cujusque nocere volentis,
Ne qua pressura titubent sibi subdita jura:
Qui rigidos flectit, tumidis qui vincula nectit,
Qui juga nulla pati, nec parcere scit feritati.
Mens tamen atra furit, quæ me sic acriter urit,
Antè parata mori, quàm ponere frena furori.
Lædere vult tanti pastoris ovilia tanti.
Gens inimica Deo, gens ô compar Pharisæo,

Quid me perſequeris ? quid me crucifigere quæris ?
Hos ego raptores, horúmq; perhorreo mores.
Cum defecerunt dolus & violentia, quærunt
Pondere nummorum ſibi ſubdere res miſerorum.
Sed neſcit donis venerandi prorſus Odonis,
Ferrea mens flecti, præſertim conſcia recti.
In duo me ſolvit res hæc, quam mens mea voluit,
Spem ſimul atque metum, nec me ſinit eſſe quietum.
Terret turba fremens, dat præſul ſpem mihi clemens.
Virtuti cujus cedat gregis impetus hujus,
Ac exaltet eum de quolibet hoſte trophæum:
Nil ſubeat lævum, ſed gaudeat hîc & in ævum.
Sed prece non tali pro gente rogo monachali,
Nomen honeſtatis qui factis dant ſceleratis.
Vinci turpe putant, & ob hoc ceſſare recuſant.
Nec quaſi forma boni prætenditur ambitioni.
Sed probat hoc verbum, monachos genus eſſe ſupbum.
Non bene ſe celant, qui crimen crimine velant.
Gens pia nulla minus, cremat horum corda caminus:
Per quem ſic ardent, ut nil committere tardent,
Vel deprædando, vel dando, vel inſidiando:
Dat crementa rei grex indomitæ rabici.
Parva fuit juris monachorum portio ruris,
Totam mox villam, partem rapuere per illam.
Hunc imitata gregem, gregis æquat tinea legẽ:
Quód-

Quódque femel lambit, totum capit, implet, & ambit:
Primò contingens partem, mox omnia cingens.
Ad mala proclivis grex cogit, ut amodo quivis
Sit mihi fufpectus, nigro velamine tectus.
Credo jam nulli, nigra cui fit maffa cuculli.
Mundum linquentes, & ad hunc habitum venientes,
Aut retinent mores, aut fiunt deteriores.
Quid prodeffe putant, quod folum tegmina mutant?
Eft aliud virtus, quàm pannus teter & hirtus,
Et toga talaris, feu maffa triplex folearis.
In caligis laxis promittitur aftriger axis.
Si decimam ruris furor abftulerit mihi juris,
Huic malè dictorum decimam promitto meorum.
Ne dubitet namque ne utram perdam, vel utramque.
Nec votum frangam, quin acriter omnia tangam.
Si quid fraudabo, quadrupliciter reparabo.
Duriter & fœdè propria qui vixit in æde,
Dum fuit in mundo, nec abundans pane fecundo,
Hunc habitum nactus, duros ut finiat actus,
Faftidit vefcas ipfis quoque regibus efcas.
Potabat flumen: pultes, olus, atque legumen
Nunc cibus ejus erant, nec eum fatis ifta replebant.
Cum tulerit pannos per tres aut quatuor annos,
Aer, terra, mare vix hunc poterunt fatiare.

Cumque petet potum, pincerna sit hoc tibi
notum:
Ad minus offer ei triplicis tria vasa Lyæi,
Vt satagat normæ nectar sorbendo triformæ:
Distentus vino triplici, sub nomine trino,
Pocula sicque bibat, curuo qui sæpius ibat.
Jumento vectus, nulloque sequente profe-
ctus,
Nunc mulæ dorsum premit, ire volens ali-
quorsum,
Vel si gaudet equo monachus, petulantior
æquo,
Ejus erat vector, qualem sibi posceret Hector,
Ordine qui nullo monachi volitante cucullo,
Saltus mille dabit, gyros & multiplicabit.
Nunquid equum macrum prohibet jus scande-
re sacrum?
Sed non ut portet crassum macer, illud o-
portet.
Pondus tale pati, non corporis est tenuati.
Hac in gente Dei, nullus locus est maciei.
Omnia crassa nimis, bene consona rebus opi-
mis.
His pinguedo comes, quibus affluit undique
fomes.
Huic sanctæ genti nil terrenum cupienti,
Res est nulla satis, nisi plena superfluitatis.
Martyrij talis fert pondera grex monachalis.
Hoc se more gerunt, qui totum deserue-
runt.
Se sic affligunt, sic mundo se crucifigunt.
Fratres inclusi, non escis talibus usi,

Sæpe

Sæpe bibunt flumen, comedunt olus atque legumen.
Illis contingens tenuis cibus, & labor ingens,
Infert pallorem, carnis minuendo vigorem.
His malè subductum pars devorat impia fructum.
His igitur crassis, illis famis aspera passis,
Non cunctis æquè bona sunt communia quæque.
Escis hic mille distenditur, esurit ille.
Ebrius ille furit, sitis hunc exiccat & urit.
Qui sic fraudantur, quibus arcta cibaria dantur,
Hoc habeo mecum, qui debent volvere secum,
Et non mirari quicquam me talia fari.
Orbem commovit, me gens ubi pessima novit,
Communis massæ lapides plaustro cumulasse,
Anxius unde larem, qui lapsus erat, repararem.
Exiliens claustro, mox irruit obvia plaustro.
Horrifer ecce globus cœpit juga demere bobus.
Turba bubulcorum fugit stupefacta meorum,
Insolitas horum formas rata dæmoniorum.
Qui sibi nil quærunt, hos jure boves voluerunt
Hoc retinere modo: sed eis probus obstitit Odo,
Tunc quoque raptorum rapiens me morsibus horum.
Sed dignas grates humilis tibi reddere vates

Digne nequit tutor, Dominus tibi ſit retributor.
Pax erit agnorum ſtabilis prius atque luporum,
Et prius ipſorum dilector ero monachorum,
Quàm benefactorum mea ſit mens immemor horum.
Differo majora, ſolvens levioribus ora:
Meque pudet fari, quod non pudet hos operari.
Aut flecti diſcent, & ceſſantes reſipiſcent:
Aut ego cuncta vomam, penitusque latentia promam,
Voce fremens dira, cum me ſtimulaverit ira.
Cum ſic ergo fremant, ſic omnibus omnia demant,
Nec modus aut finis ſit fraudibus atque rapinis.
Deſine Roma pati rabiem gregis immoderati:
Vt ſubeat pœnas, ſi non ſibi ponat habenas.

VITA MONASTICA.

SI vis eſſe cœnobita,
Hujus vitæ vitam vita,
Vt ſis re pro nomine.
Tuæ mentis ſordes munda,
Vt ſit Deus laus iucunda
In utroque homine.
Solus Deus diligatur,
Cui ſoli relinquatur,
Omnis laus & gloria.
Honor, virtus & poteſtas

Ipſi

Ipſi ſit, cujus majeſtas
Replet, regit omnia.
Non eſt tuum honorari
Velle homo, vel laudari,
Cum ſis vitæ miſeræ.
Quicquid hîc honoris captas,
Niſi totum Domino aptas,
Perdis tuum vivere.
Non tam facile honores,
Si ſentirent & labores,
Affectarent clerici.
Volens præeſſe, non prodeſſe
Perdit ſuum eſſe,
Pœna dignus duplici.
Ad honores ſunt parati,
Ad labores ſunt ingrati
Jam juvenes cum ſenibus.
Totum datur dignitati,
Parum aut nil ſanctitati,
His noſtris temporibus.
Sic & vita Laicorum
Parum differt à porcorum
Conſuetudinibus.
Supra modum epulantur,
Intus, foris excæcantur,
Pleni malis moribus.
De ſalute animarum
Rarus ſermo, ſed terrarum
Amplitudo quæritur.
Qui verò plùs poteſt ditari,
Vel in altum ſublimari,
Hic beatus dicitur.

Mun-

Mundus finem jam minatur,
Qui tot malis inquinatur,
Quod prædixit veritas.
Charitas jam refrigeſcit,
Omnis ſanctus obmuteſcit,
Abundat impietas.
Potens ridet impotentem,
Sic aſtutus innocentem,
Adoleſcens veterem.
Vir à pari ſupplantatur,
Patri puer adverſatur,
Dives ſpernit pauperem.
Sanctus is hodie putatur,
Qui nunc minus inquinatur
Malis criminibus.
Formam vitæ ſi requiris,
Non hanc quæras jam in viris,
Sed in voluminibus.
Perijt lex à ſacerdote,
Pereunt virtutes totæ,
A' ſene conſilium.
Multos habemus doctores,
Pauciſſimos factores,
In vita mortalium.
Hanc vitæ captivitatem,
Si manentem civitatem
Hic haberem, plangerem.
Hæc eſt planè civitas,
In qua neſciretur veritas,
Hic ſi ſemper viverem.
Heu heu homo cur creatur?
Cum tot malis inquinatur,

Velit

Velit nolit ; moritur.
Quod eſt malum, hoc vitare,
Vel quod bonum, hoc amare,
Vir infœlix cogitur.
Hinc nemo jam mirari
Debet, ſi hîc conſolari
Omnis juſtus renuit.
Immò ſatis eſt dolendus,
Et à Deo reſpuendus,
Qui non mundum reſpuit.
In hoc tantum conſolatur
Verè ſanctus, & beatur,
Quia mundus tranſiet.
De hoc caſu flete mundi,
Deque peccatis ô immundi,
Quorum dolor veniet.
Ad te ergo revertere,
Homo a te deſciſcens miſerè,
Cur ſis factus conſidera.
Deus ſibi te ſimilem
Fecit, ſed tu diſſimilem
Te facis, augens ſcelera.
Conſors quondam angelorum,
Legem tenens jumentorum,
Ipſis factus ſimilis.
Eſca ventri, venter eſcis,
Has & hunc frenare neſcis,
Propter quòd es fragilis.
Surge miſer, qui dormitas,
Imitare cœnobitas
Antiquorum temporum :
Qui tenentes viam vitæ,

Con-

Contempſerunt non invitè
Opes, vires corporum.
Erant mundo crucifixi
Cum vitijs, & transfixi
Charitatis gladio.
Vitam hanc parvipendebant,
Nam cœliſti adhærebant,
Magno deſiderio.
Corpus ſatis caſtigabant,
Lectionibus vacabant,
Et orabant jugiter:
Nunquam erant ocioſi,
Omnibus affectuoſi.
Vade, fac ſimiliter.
Et conſerva te devotum,
Quicquid vides, fuge totum,
Paupertatem elige.
Non te locus vilitatis
Angat, vel extremitatis,
Sed neſciri dilige.
Te prælato ſubjugabis:
Quicquid jubet, obſervabis,
Et hoc voluntariè.
Prælatorum noli judicare
Facta, ſed vitare
Debes fel invidiæ.
Temetipſum reprehende,
Diligenter & attende,
Ne quenquam unquam judices:
Pro te reddens rationem,
Antequam proferas ſermonem,
Vt teipſum vindices.

Erit tibi ſalutare,
  Si amari, & amare
  Omnem hominem ſtudeas.
  Quicquid facis, reprobatur
  Apud Deum, nec laudatur,
  Niſi pacem teneas.
Diligantur juvenes,
  Venerentur ſeniores,
  Eſto charus omnibus.
  Non accipias perſonam,
  Sed amabis vitam bonam
  In cunctis hominibus.
Et gaudere cum gaudente,
  Bonum eſt, Paulo dicente,
  Et flere cum flentibus.
  Ordinatus ordinatis,
  Patiens inordinatis
  Eris tuis fratribus.
Corporum infirmitates,
  Sic & morum paupertates,
  Patienter tolera.
  Neque velis apparere
  Magnus, neque laudem habere,
  In hac vita miſera.
Cave ne ſis ſingularis,
  Sed quæcunque operaris,
  In commune facias.
  Canta, pſalle, ora,
  Sicut omnes, & labora,
  Vive, & non aliàs.
Primus eris ad laborem,
  Tardus autem ad furorem,

Et

Et ad iram ultimus.
Omnibus ſubijciaris,
Nunquam aliud loquaris,
Quàm quod habet animus.
Omnem horam occupabis
Hymnis, pſalmis, & amabis
Tenere ſilentium.
Super hoc orationem
Diliges, & lectionem,
Nutricem clauſtralium.
Habens veſtitum & victum,
Vt fert Apoſtoli dictum,
Nihil quæras amplius.
De colore ne cauſeris,
Si ſit vilis, tunc læteris,
Et ſic eris ſobrius.
Cave ne ſis curioſus
In veſtitu, nec guloſus
In diverſis epulis.
Sic non eris ſomnolentus,
Nec in potu vinolentus,
Nec vacabis fabulis.
Nimis eſt periculoſum,
Eſſe clauſtralem verboſum,
Cum ſilere debeat.
Joci quidem ſunt ferendi,
Nunquam tamen referendi,
Quos proferre pudeat.
Omne fugias peccatum,
Si videre vis pacatum
Salvatorem omnium.
Ipſum corde, ore ora:

Ut in die & mortis hora,
Tibi ſit auxilium. Amen.

METRA DE MONACHIS CARNALIBUS, reperta Baſileæ, Anno 1554. 14. Julii in Lib. tergo ſignato, I. LVI. Cum Titulo Jeſnida Hieron. Patavini.

SCire cupis quid ſit monachus, tam nobile vulgus?
In omnem terram exivit ſonus eorum.
En mox poſt primam veniunt offare coquinam,
Sepulchrum patens eſt guttur eorum.
Vix Pſalmos dicunt, & mox concumbere diſcunt,
Sicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.
Omnia conſumunt, ſaturos nec reddere poſſunt
Volucres cœli, & piſces maris.
Fercula multa petunt, & longum tempus edendi.
Si non fuerint ſaturati, tunc murmurabunt.
Dicunt gaudenter, dum plurima fercula cernunt,
Lætatus ſum in his.
Sed cum pauca vident, replicant miſerabile carmen,
Heu heu quàm incolatus meus prolongatus eſt.
Ut benè paſcatur monachus, nil amplius optat,
Superbo & inſatiabili corde.

Sic igitur ſperant cœleſtia regna mereri ?
Non ſic impii, non ſic.

EX ANTIQUO QUODAM CODICE, IN QUO VARIA ANIMALIA DEPICTA.

In fine lupus cucullam monachi indutus, dicit ad vulpeculam, alliciens.

QUod metuis frater, olim ratione timebas:
Sed modò quod metuis, regula noſtra vetat.

Vulpecula ad lupum.

Ut tibi credatur, geris hanc per colla cucullam.
Nam licet antè parum, nunc tibi credo minus.

DE MORTE IMPERATORIS HENRICI VII. quem frater Paulinus ordinis prædicatorum intoxicavit (quod tamen illius ordinis fratres conſtantiſſimè negant) ex vetuſtiſſimo libro carmina, ſeu rhythmi quidam.

IN anno, quo milleſimum
Ante, & trecenteſimum
Adfuit, ac duodenum,
Præcinctum ſtricta faſcia,
Cœleſte verbum, gratia,
Et veritate plenum.
Ut ſerpens lividiſſimus,
Leviathan turpiſſimus,
Aſpis invidioſa,
Succeſſibus victricibus,

Et

Et actibus fœlicibus,
Non favens tortuosa.
Gens fremens in Florentia,
(Quam tangat pestilentia
Quam dictat in monarcham,
Ut corruat pestiferè,
Intereat mortiferè)
Thesauri pandens arcam.
Paulinum quendam variis
Corrumpit cum denariis,
Quàmpluribus florenis,
Ut principem piissimum,
Monarcham potentissimum,
Inficiat venenis.
Paulinus non scientiæ
Indutus, nec clementiæ,
Sed spiritu furoris,
Ad nefas minus pavidus,
Sed auri nimis avidus,
Et prodigus honoris.
Thesauri capto stemate,
Sed mortis anathemate,
Iniquè pollicetur,
Quod tuum Cæsar magnanime
Corpus fiet exanime,
Guelphusque liberetur.
Hæc turpis colligatio,
Quam Florentina natio
Sic colligat nefanda,
Heu minimè dissolvitur,
Qua principis resolvitur
Humanitas laudanda.

Auguſtus horum neſcius,
  (Cum homo non ſit præſcius,
  Sed Deus futurorum)
  Enarrans ſub ſpe gratiæ,
  Cuncta cordis acie,
  Commiſſa delictorum.
Reponens confidentiam
  In Deo, pœnitentiam
  Pro viribus implere
  Promittis Cæſar præpotens,
  Ut Dominus omnipotens
  Dignetur abolere,
Quæcunque geſſit crimina,
  Sic purgans cordis limina,
  Scopa confeſſionis,
  Ut fiat apoſtolicæ,
  Sic particeps catholicæ
  Sacræ communionis.
Paulinus non intrinſecus
  Paratus, ſed extrinſecus
  Solennia miſſarum
  Dicturus ſub oramine,
  Ut principem libamine
  Communicet præclarum.
Sed ſimulata veritas,
  Hîc venenoſa feritas,
  Sub ungue occulatur.
  Qua princeps ſereniſſimus,
  Fide Chriſtianiſſimus,
  Clandeſtinè vocatur.
Sic ſathanæ archangelus,
  Transformans ſe ſic angelus,

Infe-

Infector luculentus,
Post vitæ alimoniam,
Dans mortis acrimoniam
Amicus fraudulentus.
Venena princeps sentiens,
Vindictæ non consentiens,
Sic ait : ô mi frater,
Amicum cur interficis,
Quem commendavit mater ?
Amicum tibi creditum,
Pro nato tibi deditum,
Cur necas per venena?
Cur tristes reddis populos,
Quos udos facis oculos,
Quàm cuncta pallet gena ?
Hæc princeps & similia
Dum profert, supercilia
Hypocrita deponit.
Sic dominatur gentium,
Venefico silentium
Benignus imponit.
Nec tradit hunc tortoribus,
Sed jubet ut à foribus
Clandestinè recedat.
Sic pro persecutoribus
Precatur, Christi moribus,
Ne judex manus lædat.
Paulinus frenum rapiens,
Clam fugam citò capiens,
Lateribus equinis,
Punctatis cum calcaribus,
Tam fœminis quàm maribus

Exponit Florentinis
Totius facti seriam,
Processus & materiam
Intoxicationis,
Qua plebis ex ferventia,
Auditur in Florentia
Vox exultationis.
Dum Cæsaris consulibus,
Suísque contribulibus
Commissa propalantur,
Fit ingens ululatio,
Nobilium turbatio,
Magnates lachrymantur.
In grandi stat tristitia
Exercitus militia
De principis ruina,
Quam feritas damnabilis,
Manúsque detestabilis
Coagulat Paulina.
Dum sentit vir catholicus,
Quòd humor melancholicus
Se arctius extendit,
Magnates citò convocat,
Ad lachrymas quos provocat,
Sic dicens: Mors tetendit
Jam arcum suum acrius:
Imperium alacrius
Defendite fideles:
Ne meum per dispendium
Lætentur, & compendium
Percipiant crudeles,

Incir-

Incircumcisi moribus,
Rebelles præceptoribus,
Ne amplius exultent:
Nec viris, ut exterritis,
Famosis, imperterritis,
Militibus insultent.
O' nobiles imperii,
Victores improperii,
Nunc memores estote,
Quod Mathathias commodo,
Privatus vitæ quomodo,
Præmonuit devotè.
Gentes æquanimes,
Pro testamento animas,
Et legibus paternis
Viriliter exponite,
Formidinem deponite
Pro præmiis supernis.
Et Judas vir fortissimus,
In populo mitissimus,
Illustris Machabæus,
Qui hostem non abhorruit,
In bello quando corruit,
Exultat Philistæus.
Quem plebs Israelitica
Deplangit, & Levitica,
Et vitæ celebratis
Lugubribus exequiis,
Et gentium reliquiis,
Et principum legatis.
Tyrannus quicquid reprobus,
Pro sacris & pro legibus,

 Ulte-

Ulterius luctatur,
Et victrix plebs Judaica
Ob bella Machabaica,
Hucusque veneratur.
Vos inclyti similiter,
Luctamini viriliter,
Cum plebe tam incæsta:
Ut celebris cum gloria
Vestrorum sit memoria
Per orbem manifesta.
His dictis cum auxilio,
Et principum consilio,
Nobilium prudentum,
Imperium ut amodo
Fruatur pacis commodo,
Disponit testamentum.
Constituens vicarium,
Fidelem commissarium,
Canem de Verona,
Munitum, legum stemmate,
Armorum fretum schemate,
Virilitatis zona.
Ornatum, virum bellicum,
Veracem, fidum, mellicum,
Verbisque seriosum,
Amicis satis placidum,
Sed inimicis acidum,
Triumphis gloriosum.
Scriptis inventariis
A' publicis notariis,
Factisque codicillis,
Signatis curiosius,

Mu-

Munitis ſtudioſius,
Cæſareis ſigillis.
Hortatur inſtantiſſimè,
Ut Cæſaris noviſſimæ
Aſſiſtat voluntati:
Et teſtamentum editum,
Honori ſuo creditum,
Suæque probitati.
Ut miles carens vitio,
Fideli exercitio,
Fidelis exequatur.
Quòd minus ſit ſufficiens,
Et viribus deficiens,
Se canis arbitratur.
Sed victus à nobilibus,
Virisque ſpectabilibus,
Cum fletibus admittit
Auguſti deſiderium:
Quòd proteget imperium,
Pro viribus promittit.
His factis nec theoricum
Accerſit, nec chirurgicum,
Carnis infirmitati:
Sed animarum medicum,
Commendans diem tetricum
Divinæ voluntati.
Ut fidei conſocius
Precatur hic quàm ocyus,
Divinis ſacramentis
Ut muniatur, parcius
Cum mors non agat, arctius
Sed ſtimulet tormentis.

Viatico dum fungitur,
Et oleo inungitur,
In fide roboratur:
Renunciánsque ſeculo,
In crucifixi ſpeculo
Se princeps ſpeculatur:
Sic valedicens populis,
Turbatis clauſis oculis
Hinc ſpiritum emittit,
In trinitatis nomine,
In manus tuas Domine
Quem amplius committit.
O' quantus luctus omnium
Ob diræ mortis ſomnium,
Quàm plurium lamenta,
Audaces turbant animos,
Sollicitant magnanimos,
Conturbant elementa.
Virilis ſexus ejulat,
Plebs muliebris ululat,
Gens clamitat per caſtra:
Auditur planctus undique
Qui præ dolore utique
Extollitur ad aſtra.
Perfuſis genis fletibus
Plebs militum cum cœtibus
Extrahit capillos:
Ingemiſcendo clamitat,
Mors illi quare percitat,
Qui facit nos pupillos?
Sic hominem maleficum
Condemnant, & veneficum,

Tam

Tam magni quàm pufilli:
Et imputantes ilico
Iniquitatis villico,
Sic ajunt pupilli:
O' traditor blandiffime,
O' proditor viliffime,
O' peffime mercator,
Hærefiarcha pallide,
Infidiator callide,
O' archicriminator.
O' venenofa fcabies,
O' belluina rabies,
O' fera truculenta,
O' bellua fæviffima,
O' vipera nequiffima,
O' tabes virulenta.
Graffaris cur in Dominum?
Cur regem necas hominum?
Cur mundi demis florem?
Cur tantum lædis apicem,
Magnalium opificem,
Imperii decorem?
Cur mundi turbas gaudium,
Deteftatorem fraudium,
Bonorum fectatorem?
Infontem quare decipis,
Quotidie quo recipis
Res largas & honorem?
Benignum cur interimis?
Manfuetum quare perimis?
Cur inficis modeftum?
Cur humilem perfequeris?

Cur ſimplicem inſequeris?
Cur opprimis honeſtum?
O' nequam cunctis nequior,
Quo nemo vixit æquior,
Cur per te venenatur?
O' Satana malignior,
Theſauro gemmis dignior,
Cur per te trucidatur?
Impenſis beneficiis?
Reſpondes veneficiis.
O' canis impudice,
Qui totus tibi credidit,
Arcana quævis edidit
Cur fraudas inimice?
Horrores gentibus irruunt,
Et aures ambæ tinniunt,
O' facinus horrendum:
Fit mentis trepidatio,
Stupor, horripilatio,
Ob nefas contremendum.
Immanior es pecude,
Tu durior es incude,
Tu malleo veneni:
Tu fabricator funeris,
Te cæcum cæci muneris
Præcipitant floreni.
Tu degener ab homine,
Nec belluino nomine
Es dignus nuncupari:
Cum Dathan & cum Abiron,
Quos deglutivit Acheron,
Vix dignus nuncupari.

Fune-

Funeſtis tuis manibus
Hoc opto, ne à canibus
Vel avibus rodantur:
Ne ex veneni vitio
Communicent exitio,
In rabiem ferantur.
Senex ad ſacerdotium
Te ſibi fore ſocium,
Tu frater prædicator
Nec es, nec eſſe diceris,
Fuiſſe ſed conjiceris
Ater prævaricator.
Te cleri congregatio,
Religionum ſtatio
Cruentè deteſtatur:
Societas crudelium,
Conventus infidelium
Te ducem aſpernatur.
Tu perfide conſidera,
Sol, luna, cœlum, ſidera
Cum aere nigreſcunt:
Arbuſta, ſaltus, gramina,
Telluris flores, germina
Ob ſcelus exareſcunt.
Eſt enim execrabile,
Nephásque deteſtabile,
Res prorſus impudica:
Quòd Aquila mirificus,
Pergrandis & magnificus
Occiditur à pica.
Per orbis cuncta ſpacia
Sit nulla tibi gratia,

O' bestia cruenta:
Sed turpi pro audacia
Surripiant solatia
Bis duo elementa.
Oremus dilectissimi
Fideles devotissimi
Pro principe gementes,
Ut tibi sit auxilio
Qui proprio nec filio
Pepercit, sic dicentes:
Extensus more platani
Heli lamazabathani
Qui clamitat in cruce,
Sit principi propitius
Et eruat hunc citius
A' perfidorum duce.
Ne damnatorum maxima
Reorum neque proxima
Cathena hunc constringat:
Nec Tartari dispendium
Gehennæ vel incendium
Severius attingat.
Sed data sibi venia
Ad Paradisi mœnia
Per manus angelorum
Ducatur è militia,
Fruatur & lætitia
In patria vivorum.
Qua Deus non per speciem,
Sed facie ad faciem,
Quàm pulchrè revelatur:
Quem omnis ordo cœlicus,
Con-

Conventus & angelicus
Cum laude veneratur.
Ubi dolor nec triſtitiæ,
Nec languor, nec mœſtitiæ,
Nec labor, neque planctus:
Sed jugi cum frequentia
Sunt Cherubin canentia,
Senctus, Sanctus, Sanctus.
Quod ſumma præſtet trinitas,
Et viva divinitas
Cunctorum moderamen:
Quam decet virtus, gloria
Laus, honor, & victoria,
In ſempiternum. Amen.

In Monachos diſtichon.

O' Monachi, veſtri ſtomachi ſunt amphora Bacchi,
Vos eſtis, Deus eſt teſtis, teterrima peſtis.

Aliud in Franciſcanos.

Cordula nodoſa, pes nudus, kappa doloſa,
Hæc tria lignipedes ducunt ad Tartara fratres.

FRATRIS JOANNIS FERNANDI
antiquum Epigramma.

Improba diſtorto Monachorum colle pererrans,
Nec cuiquam ad rectam turba cathedra viam,
Lernæum infecto paſſim vomit ore venenum,
Et ſcreat in cuneos dux Benedicte tuos.

Non

Non tulit hoc acri juvenilis percitus œſtro
   Guido, reformati paſtor amórque gregis.
Codice ſed lepido petulantes contudit auſus,
   Quos plenos odiis invidiáque docet.
Detegit & ſcabiem fœdam, ſaniémq; fluentem,
   Qua ſordet veteri gens malè ſana cute.
Obſtitit at Sathanas, ne bibliopola peritus
   Ederet hunc dictis veridicíſque notis.
Nunc tandem meliore manu curáque politum
   Aequa fronte probi ſuſcipitote viri.

EJUSDEM IN MONACHOS impudentes.

Ite nunc pelles Monachi vetuſtæ,
   Sola quos veſtis, vacuúmque nomen
Separat ſcurris, & olente pinguem
      Plebe popinam.
Ite & inſanos per inane queſtus
Fundite inſulſis levibúſque nugis,
Jam foro, jam vos triviis jocoſa
      Reddit imago.
Veſtra jam cunctis ſcabies, & atra
Carne putreſcens ſanies videtur.
Vos ſenex, vos & puer, atque linguax
      Fœmina ridet.
Molle ſeu vos contineat lupanar,
Sive vinoſæ ſtrepitus tabernæ,
Seu pilæ ludus, vetitæve fallax
      Alea ſortis.
Sive clamoſi levitas theatri,
Sylva ſeu denſis tenebroſa ramis,

Uſque

Usque vos cunctis monachos patescit
Esse magisttos.
Non feret rector Benedictus ultra
Sub suis tales latitare pennis,
Sed greges sparsos sibi præparata
Ducet ad arva.
Tunditis frustra scioli senatus
Candidas aures prece palliata:
Separat nugas sapiens, fauétque
Curia vero.
Curia in nostrum bene prompta lucrum,
Curia in vestros malè prompta nisus,
Si quid est vobis animi deinceps
Parcite nummis.
Qui fidem raucis datis advocatis,
Aureis vestras vacuant crumenas,
Vósque derident: moneo deinceps,
Parcite nummis.
Nam reformati gregis arua passim
Spiritu sancto duce, copiosa
Fruge pinguescent, variísque surgent
Semina terris.
Vósque mendici (nisi mente sana
Optimam vitæ seriem probatæ
Carpitis) latas miserè per urbes
Deficietis.
Cur ita ô fratres? potius professæ
Vos jugo normæ simul obligate,
Unus & pastor benedictus, unum &
Fiat ovile.
Ponite exhortor malè complicatum
Pallium vanæ simulationis,

Nósque vobiſcum ſuperas juvate
Scandere ſedes.

REGULA BEATI LIBERTINI
ordinis noſtri.

Abbas noſter tritus eſt ſcyphos evacuare,
Abbatiſſa noſtra ſcit per pedem declinare.
Præpoſitus noſter magnus eſt prælatus,
Septem artes perfectè ſcit, dum eſt inebriatus.
Cuſtos noſter ſcit res perfectè conſervare,
Et omnibus ſupervenientibus nihil habet dare.
Canonici noſtri ſunt rarò calceati,
Sed camiſiis & retibus ſunt ſuperpelliciati.
Claviger noſter ſemper clamat, Infunde,
Si ſcyphus ſcyphum ſequitur tanquam fluentes undæ.
Cocus noſter dat cum ſale fercula bene condita,
Talis noſtri cœnobii eſt vita prænotata.
Ergo vita noſtra præcellit omnes ordines,
Teſtante Auguſtino, noſtri præcellunt Canones.
Qui ſcribit, quantum regula gravior,
Tantum vita ſanctior.
Ordo noſter ſuſcepit omnes ordines.
Primo enim ſuſcepit Præmonſtratenſes, Ciſtertienſes,
Prædicatores, & cæteros fratres minores.
Ordo noſter nulli unquam denegatur,
Nec ſpernit fures & latrones, ut ſpectatur.
Ordo noſter ſuſcipit cum pueris magiſtrum,
Ut nobiſcum diſcurrant, & finiant regiſtrum.
Ordo noſter prohibet matutinas planè:
Si quis tunc ſurrexit, non eſt mentis ſanæ.

Dum sol sic oritur, & pulsatur prima,
Tum quærit unus ab alio, Verba sunt bona vina.
Hinc erit prima lectio haustus Bernhardi:
Post hoc adjunctũ responsoriũ, ludus Hashardi,
Hinc projiciamus decem & octo pro benedicamus Domino.
Et sic erit novissimus error pejor priore.

IN MONACHOS CARMEN SATYRICUM, ex veteri quodam codice. acriter taxans eorum impietatem.

Sacrilegis monachis emptoribus Ecclesiarum,
Composui Satyram, carmen per secula clarum,
Quam quia vir magnus corroborat Hugo Diensis,
Noster amicus eam legat Otto Suessionensis,
Ordo monasticus Ecclesiasticus esse solebat,
Pura cibaria dum per agrestia rura colebat,
Nulla pecunia, nulla negotia præpediebant,
Sobria copia, parva colonia sufficiebant.
Pro venialibus & capitalibus invigilabant,
Tam venialia, quàm capitalia nostra piabant;
Sed miserabilis & lachrymabilis est sibi factus,
Post venialia, sub capitalia damna redactus.
Ordo monasticus Ecclesiasticus est violenter,
Ecclesiastica comparat omnia dona patenter:
Ordo monasticus Ecclesiasticus est sine sensu,
Aestimat omnia spiritualia divite censu.
Ordo monasticus Ecclesiasticus est sine causa,
Clamat ad ostia spiritualia jam sibi clausa,
Ordo monasticus Ecclesiasticus est sine fructu,
Intra ovilia, desuper ostia non sine luctu.
Ordo monasticus Ecclesiasticus unde vocatur,
Quan-

Quando rapacibus atque tenacibus aſſimilatur.
Terra, pecunia, templa, palatia magna parantur:
Unde ſuperbia, quid per inania ludificantur.
Lucifer extulit, & Deus expulit, & cruciatur.
Sed duo crimina per ſua nomina nolo notare,
Quæ ſapientia vel reverentia neſcit amare:
Dicere planius eſt inhoneſtius, ultrò patebit,
Ultro quis audiet, ultrò ſub audiet, ultrò docebit.
Sed Dominus meus omnipotens, Deus omnicreator,
Inſipientibus & ſapientibus auxiliator,
Hæc prius auferat, & bona conferat, ut mereantur
Spiritualia quærere paſcua, ne moriantur.

ALIA QUÆDAM EX VETERI MISCELLAneorum libro, in Monaſticum habitum, & fucatam religionem.

In veſtimentis non eſt contritio mentis,
Ante Deum teſtis mens eſt, non aſpera veſtis.
Non eſt in veſte vitium, dum vivis honeſtè.
Sub panno viridi ſanctorum corpora vidi,
Non faciunt Monachum tunica, veſtiſque cuculla,
Sed bona mens, ſincera fides, cordiſq; medulla:
Non confert ulla regnum cœleſte cuculla,
Ni mens ſit pura, nil confert regula dura.
Relligio non principio, ſed fine probatur,
Relligio niſi corde pio non appreciatur.

FINIS.

INDEX RERUM.

A.

B.

C.

Fer-

F.

G.

H.

I.

L.

M.

N.

O.

P.

Preces

Schisma-



Errata in præfatione Editoris obvia.

p. 1.	lin. a fin. l. Cap. IV.	pro	CIV.
	lin. penultima leg. vix	-	via
p. 2.	l. 1. l. præconia	-	præconio
	ibid. l. prolixos	-	prolixas.
	l. 14. l. ample	-	amplam
	l. 20. l. perfecitque	-	perſecitque
	l. penult. l. libris	-	literis
p. 3.	lin. 3. l. ipſe	-	ipſa
	l. 14. l. ſatius	-	ſtatius
	l. 26. l. eorum	-	enim
p. 4.	lin. 3. l. fuerint	-	profuerint.
	lin. 19. l. Papatu	-	Papa tu
p. 5.	lin. 7. a fin. l. Ille poſt autem		
	lin. ultima l. aux	pro	a
p. 6.	lin. 1. l. variis modis	-	telis
	lin. 5. l. tempora	-	tempore
	lin. 20. l. haillons	-	haillous
p. 7.	lin. 1. l. referantur	-	referuntur
	lin. 2. l. quod	-	quid
	lin. 4. l. num	-	nunc
	ibid. l. an	-	quam
	lin. 6. omitte *is* & lege ut in inſtructiſſimis		
	lin. 17. l. aliquo	pro	aliqua
	lin. 22. l. ingratam	-	ingratum
	lin. 27. l. ex	-	ea
	lin. 28. l. reſponderit pro contigerit.		

Leviora ipſi benevolo Lectori corrigere placeat.







